53

7a.8.1.

A
5
389

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 4
Numero: 445

R. 3463

# INTRODVCTIO

## In Sacram Theologiam,

Del Colegio de la Comp.a de IHS. de Granada

## SEX COMPREHENSA LIBRIS:

In quorum quinque, ſacrę Doctrinæ natura, cauſſæ,
principia, attributa, concluſiones, &
loci omnes explicantur:

*In ſexto autem, Auctores quamplurimi, pro ijs rebus
quæ a Theologis & Concionatoribus tra-
ctari ſolent, legendi citantur.*

AVCTORE LVDOVICO CARBONE,
A COSTACIARO,
Academico Parthenio, & ſacræ Theologiæ in Almo
Gymnaſio Peruſino, olim publico Profeſſore.

*Cum triplici Indice.*

CVM PRIVILEGIO.




VENETIIS, M. D. LXXXIX.
Apud Damianum Zenarum.

# ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. DOMINO, D. BENEDICTO IVSTINIANO, CARDINALI AMPLISS.

*Ludouicus Carbo* *S. D.*

INGRATI animi vitium, Cardinalis Ampliſsime, tanquam omnium vitiorum caput, tum humanæ, tum diuinæ literæ, omni animi contentione fugiendum eſſe, præcipiunt. Nec defuerunt, qui contra hanc turpiſſimam labem,

ad eam ex hominum mentibus eluendam, integros libros ſcripſerint. Intelligebant enim viri ſapientes, nullam maiorem peſtem in humana ſocietate reperiri poſſe: in quam, ſi omnino irreperet, pudor, beneficentia, gratia, amicitia, caritas, uirtutes denique & artes extinguerentur omnes. Vt merito Perſę eum, qui tali ac tanta eſſet infectus culpa, capitis pœna puniendum eſſe cenſuerint: cum hoc vno in vitio, vt ſapienter Publianus ſcripſit, cetera contineantur crimina. Quod culpę genus, etſi ſemper mihi fugiendum eſſe putaui; tamen, tunc, ut cum maxime, cum tuam in me, Præſul optime, voluntatem, benignitatemque ſempiterna memoria dignam plane perſpectam habui. Etenim, cum anno proxime elapſo Summæ Diui Thomæ Compendium, mei erga te ſtudij ſignificandi cauſſa, tibi dicaſſem; ita, & uerbis, & re illud munuſculum tibi gratum fuiſſe declaraſti; ut, ni tuæ gratiæ immemor haberi uelim, aliquod grati animi indicium tibi præbere omnino debuerim. Cum itaque mecum cogitare cœpiſſem, quanam ratione id efficerem, in mentem uenit, quod tuis literis mihi ſignificaſti; ea præcipue de cauſſa tibi Compendium fuiſſe gratum, quod te totum ſacræ Theologię ſtudijs eo tempore dare velles: quo factum eſt, ut de hac mea ad diuinam ſcientiam Introductione conficienda decreuerim; eamque tua cauſſa, me eſſe facturum pollicitus fuerim. Quam multo citius confeciſſem, & ad te miſiſſem, ni quotidianæ lectiones, quibus multum a meis ſtudijs diſtrahor, & nonnulla alia inchoata opera, quæ perficienda erant, mihi impedimento fuiſſent. Hanc ergo lucubrationem tibi, & gratiæ, & iuſtitiæ nomine debitam, eo ſtudio nūc offero, quo abs te, ob tuam ſingularem humanitatem, acceptam iri confido. Neque id a me ea de cauſſa fieri exiſtimes uelim, vt hoc leuidenſe munere parem gratiam (quid enim offeram, quo tua in me merita vllam in partem uidear aſſequutus?) tibi referam, aut tecum officijs certem, uel te ad noua officia conferenda prouocem; ſed ut turpiſſimam illam notam, de qua initio ſcripſi, ſubterfugiam, & promiſſa faciam. Vt interim omittam, quod alte-

ris literis plane teſtatum reliqui, te eo eſſe in omnes bonarum artium cultores animo, ut quidquid librorum in lucem uenit, tibi, priuato quodam iure, deberi putem: cum ijs potiſſimum omnis debeatur honor, qui beneficentiam diuinitati propriam imitando, honeſtos & doctos homines iuuant, tuendoſque ſuſcipiunt; vt tu non ſine magna tua laude & gloria facis. Quippe qui omnem gratiam, auctoritatemque tuam nunquam non libentiſſime confers, ad iuuandos eos, quibus in ipſis cauſſa ſit aliqua, cur iuuari debeant: vt etiam his diebus e quodam optimo & fide digno homine, non ſine maxima mea lætitia intellexi: dum omnes, qui ad te confugiunt, humaniter excipis, comiter alloqueris, & benigne tractas. Quod non faciunt homines quidam noui, qui ruſticitate quadam imbuti, & ſuperbia elati, alios facile contemnunt, & pro dijs haberi uolunt: cum in ſe tamen diuinitatis, quæ ab omni elato ſpiritu quam longiſſime abeſt, nihil habeant. Quid igitur iſtis nuncupentur opera? qui ea ſunt mente, ut ſe potius beneficium dediſſe, quam quicquam accepiſſe putent; etiam ſi multorum annorum labores ſibi nuncupatos eſſe uideant. Quid, inquam, aliquo afficiantur honore? qui ijs ſolummodo debetur, in quibus diuinæ naturę, cui, id eſt maxime proprium, ut & beneficia conferat, & quod offertur benigne accipiat, cumulateque compenſet, ſimilitudo elucet aliqua. Vt eos miſſos faciam, qui etiam extra hominum ſocietatem mittendi eſſent, cum ab omni humanitate abſint; qui, non dicam re, ſed ne verbis quidem munus, etiam ſe digniſſimum (ſi ullo tamen munere id genus hominum dignum haberi poteſt) gratum accidiſſe, ſibi ſignificandum eſſe arbitrantur. Langueſcant, iaceant, pereant etiam, bonarum artium ſtudia per iſtos licet: immo, pax & felicitas omnis omnino tollatur humana: cum, tunc præcipue bene beateque ciuitates uiuant, cum in eis honeſtæ coluntur, ac vigent artes. Quod optime optimus ille Imperator intelligebat, qui, cum a quodam conſiliario, hac tamen in re, meo quidem iudicio, parui conſilij homine, admoneretur; ne tanta, ut faciebat, libe-

ralitate, erga literarum ſtudioſos uteretur; ea de cauſſa, quod ærarium exhauſtum, militibus ſtipendia ſuppeditare non poſſet, acuta inuerſione, ut Suidas ſcribit, hunc in modum reſpondit, Immo, optarim talem eſſe Reip. ſtatum, cui nullis opus eſſet militibus, ſed tantum literarum ſtudioſis. Ceterum, mirum omnino uideri non debet, ſi iſti, de quibus loquor, de literis tam male merentur, quod nullos maiores hoſtes literatura habeat, quã illiteratos homines: in quorum numero eos profecto poneres, quorum oculos ita ignoratio perſtrinxit, ut uirtutis ſplendorem uidere minime queant. Sed, hac re omiſſa, de qua aliquis longam lamentationem faceret, ſi noſtrorum temporum hac in parte miſeram conditionem deplorare uellet, ad ipſam Introductionem reuertor, & quodnam in ea conficienda mihi fuerit propoſitum, paucis expono. In hac ergo Iſagoge id nobis propoſitum fuit, ut ea omnia explicaremus, quæ uolentibus rerum diuinarum notitiam conſequi, præcognoſcere eſt neceſſe: quibus de rebus diſſerere Theologi ſolent, cum eas

eas quæſtiones tractant, quas proœmiales vocant; id quod nos etiam hoc opere, paulo tamen aliter, quam alij, fecimus. Nam, cum experientia didicerim, non ſatis nouis Theologiæ auditoribus eos conſulere, qui in ipſo ingreſſu eis difficiles quæſtiones proponunt, vel ſtrictim breuiterque tantæ ſcientiæ uim, atque naturam exponunt; aut certe multa inutilia latius, quam par eſt, proſequuntur, uolui quandam aliam viam inire, qua Theologiæ candidatos, & eos præſertim, qui in dialecticis, & philoſophicis non ſunt multum verſati, ad ſcientiam de ui naturaque diuina percipiendam, idoneos redderem. Propterea in primo noſtræ Iſagoges libro, qui eſt velut quędam propędia, ſeu præcedens inſtitutio ad reliquos, facili, breui, atque perſpicua quadam ratione ſacræ Theologię naturam, omni remota diſputatione, explicare conati ſumus. In quattuor ſequentibus rem totam a principio aggrediendo, omnia quę ad ſacræ doctrinæ naturam exponendam pertinent, accurata diſputatione examinantur. In ſecundo igitur libro, de doctrinæ

ctrinæ

ctrinæ reuelatæ, unde tota Theologica ſcientia dimanat, neceſſitate, utilitate, & conuenientia per multa capita copioſe, diligenterq; diſſeritur. In tertio de Theologiæ forma, dum quæritur, an ſit ſcientia, an una, vel plures, an practica, uel ſpeculatiua, an ſapientiæ nomen mereatur, & denique quæ ſit eius ſubiecta materia. In quarto demonſtratur primum qualis ſit, vel propter quid ſit, dum probatur eſſe ſcientiam quandam, quæ ratiocinatione utitur: ubi, cur, & quo pacto humano diſcurſu, ſcientijſque utatur, exponitur. Deinde, de eius principijs diſſeritur, dum docetur quæ illa ſint, & quo modo humanus aſſenſus ratioque circa illa ſeſe habeat; deque eorundem principiorum certitudine. Poſtremo, de propoſitionibus, concluſionibuſque theologicis, bonis, & malis copioſe diſputatur. In quincto, de locis theologicis, vbi de eorum natura, & vſu breuiter ſcribitur; ita tamen, ut nihil poſſit deſiderari, quod ad eorum cognitionem, vſumque pertineat: de diuinæ ſcripturæ ſenſibus, & de ad eos explicandos regulis: ac denique, de recta theologandi ratione nonnihil præcipitur. In ſexto nihil tractatur, quod proxime ad ſuſceptam materiam pertineat; ſed ſolum index quidam proponitur eorum Auctorum, qui præcipuas Theologiæ ſubiectas tractarunt materias: cuius libri conficiendi quæ ratio fuerit, in primo eius libri capite latius explicatur. Quod vero ad ſcribendi methodum attinet, Scholaſticorum diſſerendi uiam fere ſecuti ſumus: niſi, quod quæſtiones in capita ſecuimus, ne earum longitudo legenti aliquam maiorem afferret moleſtiam. Et eam dicendi rationem retinuimus, quæ eſſet quaſi media inter illam compreſſam & minutam Dialecticorum diſſerēdi conſuetudinem, quæ non omnibus arridet, & illam fuſam, & aliquanto ornatiorem, qua, qui in hoc rerum genere explicando vtuntur, minus idonee, utiliterque docent. Quo factum eſt, ut ab ijs uocibus non abſtinuerimus, quibus Theologorum, & Philoſophorum ſcholæ uti conſueuere. Habes ergo, Cardinalis Ampliſſime, quæ noſtra fuerit, in hoc opere conficiendo, ſententia, & cur tibi potiſſi-

mum

mum dicari debuerit. Quibus expoſitis, cum nihil in præſentia de tui generis nobilitate, de tuorum maiorum geſtis, tuiſque virtutibus dicere debeam, cum hæc locum multo ampliorem requirant, & id ſi facerem, meam in te laudando laudem non obſcure quęrere uideri poſſem; hæc ſit epiſtolæ noſtræ clauſula, Me omnem cogitationem, curam, operamq; ad commentaria in omnes Theologiæ partes conſcribenda collaturum; ſi hanc meam lucubrationem tibi homini gratiſſimo, non ingratam accidiſſe intellexero: Vt, te Auctore, rerum diuinarum ſtudioſi, ex noſtris multorum annorum laboribus, aliquid, ad Dei Opt. Max. gloriam, utilitatis referant. Vale.

Venetijs, Idib. Maij, M. D. LXXXIX.

# INDEX CAPITVM SINGVLORVM LIBRORVM.

## Libri Primi capita.

*De nomine & definitione Theologiæ, atque Theologi.* Cap. I. pag. 1

*De cauſſa materiali & formali ſacræ Theologiæ.* Cap. II. 5

*De cauſſa efficiente & finali ſacræ Theologiæ.* Cap. III. 9

*Qua ratione Chriſtiana Theologia differat ab alijs habitibus, qui aliquo modo circa Deum verſantur.* Cap. IIII. 13

*Quæ ſint ſacræ Theologiæ principia.* Cap. V. 16

*Quæ ſint ſacræ Theologiæ concluſiones.* Capit. VI. 20

*Quod ſit ſacræ Theologiæ officium.* Cap. VII. 24

*De diuiſione Theologiæ, & de Scholaſticæ diſciplinæ origine.* Cap. VIII. 28

Expli-

*Explicantur variæ Scholaſticorum claſſes. Capit.* IX. 34
*Adnotantur quædam circa Theologiam, & Theologos Scholaſticos. Cap.* X. 38
*Theologia variæ in ſuas partes diuiditur. Capit.* XI. 43
*Explicantur quædam neceſſaria ad intelligentiam primæ quæſtionis primæ partis diui Thomæ, ac etiam eiuſdem in docendo methodus. Capit.* XII. 48
*Explicatur titulus primi articuli primæ quæſtiones diui Thomæ, ac etiam totius articuli ſententia. Cap.* XIII. 53
*Afferuntur, ac ſoluuntur dubitationes quædam circa eundem articulum. Cap.* XIIII. 60

## Libri Secundi capita.

PROPONVNTVR *ea de quibus agendum eſt, & argumentis quibuſdam doctrinam reuelatam dari non poſſe probatur. Cap.* I. 71
*Ponuntur fundamenta quædam ad demonſtrandum aliquid a Deo reuelari poſſe. Cap.* II. 76
*Varijs concluſionibus quid in quæſtione poſita ſit ſentiendum docetur, & rationes in contrarium allatæ ſoluuntur. Cap.* III. 80
*An re ipſa aliqua doctrina nobis à Deo reuelata fuerit. Cap.* IIII. 88
*Hominis naturam eſſe deprauatam, nec in eo ſtatu eſſe, in quo a Deo creata fuit, varijs rationibus de*





*monſtratur. Cap.* V. 96
*Quod conueniens, & vtile fuerit aliquam doctrinam homini diuinitus reuelari. Cap.* VI. 103
*Humano generi aliquam doctrinam diuinitus reuelatam neceſſariam fuiſſe oſtenditur. Capit.* VII. 108
*Ponuntur, & ſoluuntur nonnullæ rationes pugnantes contra ea, quæ demonſtrata ſunt. Capit.* VIII. 115
*Afferuntur ac ſoluuntur argumenta quædam Theologica probantia doctrinam reuelatam non eſſe neceſſariam. Cap.* IX. 122
*An doctrina reuelata ſit homini neceſſaria ad ſalutem conſequendam. Cap.* X. 129
*An ad ſalutem conſequendam, ſemper omnibus hominibus neceſſarium fuerit aliquid ſupernaturale cognoſcere. Cap.* XI. 144
*An in Eccleſia fuerit ſemper neceſſaria aliqua doctrina, qua explicaretur doctrina diuinitus reuelata. Cap.* XII. 159
*An homini fuerit neceſſaria doctrina reuelata ad cognoſcenda ea, quæ alias naturaliter de Deo cognoſci poſſunt. Cap.* XIII. 166
*An euidenter demonſtrari poſſit homini eſſe neceſſariam doctrinã reuelatam. Cap.* XIIII. 173
*Explicatur titulus ac etiam opiniones ſuper hac quæſtione, an Deus ſit finis naturalis hominis. Capit.* XV. 184
*Varijs concluſionibus reſpondetur ad propoſitam quæſtionem. Cap.* XVI. 190

Refelluntur varia argumenta pugnantia contra ea quę proximo capite decreta ſunt. Cap. XVII. 202

## Libri Tertij capita.

PROPONVNTVR ea de quibus diſputandum eſt; & diui Thomæ doctrina quæ habetur in articulo ſecundo explicatur. Cap. I. 209

Docetur quæ ſint ad ſcientiam conſtituendam neceſſaria, & quomodo ſcientia, fides, & opinio differant. Cap. II. 212

An Theologia ſit appellanda fides. Cap. III. 218

Afferuntur argumenta in vtranque partem ſuper hac quæſtione, an ſacra Theologia ſit ſcientia. Cap. IIII. 226

Afferuntur notanda quædam ad explicandam propoſitam quæſtionem: & quid ſentiendum ſit docentur, & argumenta ſoluuntur. Cap. V. 232

Afferuntur notanda quædam ad explicandam quæſtionem de euidentia principiorum ſacræ Theologiæ. Cap. VI. 241

Varijs concluſionibus reſpondetur ad quæſtionem propoſitam de euidētia principiorum ſacræ Theologiæ. Cap. VII. 247

Explicatur ac refellitur opinio quædam de ſubalternatione Theologiæ. Cap. VIII. 254

Quid de ſubalternatione Theologiæ ſentiendum ſit. Cap. IX. 260

An habitus Theologię maneat in patria. Cap. X. 268

Explicatur doctrina diui Thomæ quæ habetur in articulo



articulo tertio, ac etiam nonnullæ dubitationes ſoluuntur. Cap. XI. 274

Ponuntur nonnulla fundamenta ad explicādam quæſtionem de vnitate Theologiæ. Cap. XII. 280

Varijs concluſionibus docetur quid de vnitate Theologiæ ſentiendum ſit. Cap. XIII. 290

Refelluntur rationes pugnantes contra ea, quæ proximo capite decreta ſunt. Cap. XIIII. 299

Explicatio articuli quarti diui Thomæ, ac variarum ſententiarum circa hanc difficultatem, an Theologia ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua. Cap. XV. 306

Ponuntur notanda quædam ad explicandam ſciētiæ practicæ & ſpeculatiuæ naturam. Cap. XVI. 309

Varijs concluſionibus docetur quid in propoſita quæſtione tenendum ſit. Cap. XVII. 319

Afferuntur, ac ſoluuntur nonnullæ difficultates circa quæſtionem proximo capite explicatam. Capit. XVIII. 328

Explicatur doctrina articuli quincti D. Thomæ, ac etiā varij recenſentur auctores qui pro defenſione doctrinæ Chriſtianæ ſcripſerunt. Cap. XIX. 331

Attinguntur nonnulli loci, quibus chriſtianæ doctrinæ præſtantia demonſtrari poteſt. Cap. XX. 335

Refelluntur nonnullæ rationes, quibus ſacrę doctrinæ operam dandam nō eſſe probatur. Cap. XXI. 341

Explicatur doctrina articuli ſexti diui Thomæ: agiturque de nomine, & definitione ſapientiæ. Capit. XXII. 346

Qua ratione ſcientia, & ſapientia inter ſe diſtinguantur.

*tur.* *Cap.* XXIII. 351
*An ſapientiæ ratio noſtræ Theologiæ proprie conueniat.* *Cap.* XXIIII. 358
*De obiecto Theologiæ, quæ fuerint hac de re ſcriptorum ſententiæ.* *Cap.* XXV. 364
*Explicatur natura, proprietates, ac partes ſubiecti adæquati alicuius ſcientiæ.* *Cap.* XXVI. 369
*Ponuntur nonnulla fundamenta ad explicandam quæſtionem de ſubiecto ſacræ Theologiæ.* *Capit.* XXVII. 377
*Varijs concluſionibus docetur quid de obiecto ſacræ Theologiæ tenendum ſit.* *Cap.* XXVIII. 385
*Afferuntur ac ſoluuntur varia argumenta cōtra ea, quæ ſupra determinata ſunt.* *Cap.* XXIX. 392
*Explicatur quædam contraditio quæ in diuo Thoma eſſe videtur.* *Cap.* XXX. 406

## Libri Quarti capita.

EXPLICATVR *doctrina diui Thomæ in articulo octauo, & ea de quibus deinceps diſputandum eſt, proponuntur.* *Cap.* I. 413
*An ſacra doctrina ſit argumentatiua.* *Cap.* II. 416
*Cur res diuinas diſputatione tractare liceat.* *Capit.* III. 424
*Refelluntur rationes, quibus probatur de rebus diuinis non licere diſputare.* *Cap.* IIII. 430
*In rebus diuinis explicandis licere humanis rationibus & ſcientijs uti.* *Cap.* V. 437
*Theologi Scholaſtici laudantur & ab hæreticorum calum-*



Index Capitum.

*calumnijs defenduntur.* *Cap.* VI. 448
*Soluuntur nonnulla aduerſariorum argumenta aduerſus ea quæ dicta ſunt.* *Cap.* VII. 455
*Quę ſint ſacrę Theologiæ principia.* *Cap.* VIII. 461
*Quo pacto humanus intellectus ſe habeat ad principia Theologiæ quantū ad aſſenſum.* *Cap.* IX. 476
*Quid humana ratio circa Theologiæ principia quātum ad eorum probationem & defenſionem poſſit.* *Cap.* X. 480
*De certitudine principiorum ſacræ Theologiæ.* *Capit.* XI. 492
*Afferuntur aliquot rationum capita, quibus demonſtratur doctrinam Chriſtianam eſſe diuinitus datam, & eſſe euidentur credibilem, & dignam quæ ab omnibus recipiatur.* *Cap.* XII. 503
*Afferuntur nonnullæ diſtinctiones ad explicanda varia quæſtionum genera, & quid ſit quæſtio docetur.* *Cap.* XIII. 506
*Quæ nominum quæſtiones laudabiles, quæue vituperabiles ſint.* *Cap.* XIIII. 513
*De quæſtionum bonitate & prauitate ex parte rerum & perſonarum, & quæ ſit quæſtio theologica.* *Cap.* XV. 519
*Afferuntur, ac ſoluuntur nonnullæ dubitationes circa ea quæ dicta ſunt.* *Cap.* XVI. 531
*Quid ſit hæreſis, & propoſitio hæretica.* *Capit.* XVII. 538
*Ponuntur admonitiones quædam neceſſariæ ad intelligendum ac diſcernendum quænam ſit hæretica propoſitio.* *Cap.* XVIII. 543

*An communis ſanctorum patrum conſenſus faciat propoſitionem hæreticam. Cap.* XIX. 551
*De propoſitione erronea, hæreſim ſapientia, male ſonante, ſcandaloſa, temeraria, iniurioſa, & ſchiſmatica. Cap.* XX. 562

## Libri Quincti capita.

QVID *ſit locus Theologicus, quotuplex, & quam ſit vtilis & neceſſaria horum locorum notitia. Cap.* I. 569
*De loco auctoritatis ſacræ ſcripturæ: ubi docetur quid ſit ſcriptura, ac etiã nonnullæ animaduerſiones ad huius loci notitiam neceſſariæ traduntur. Cap.* II. 575
*Qua ratione tum ex literali, tum ex ſpirituali ſenſu ſcripturæ argumentari liceat. Cap.* III. 580
*De loco traditionis; quid & quotuplex ſit traditio. Cap.* IIII. 586
*Qua ratione ex loco traditionis argumentari liceat. Cap.* V. 589
*De loco auctoritatis eccleſiæ: quid ſit eccleſia, & quo pacto hinc argumenta ducantur. Cap.* VI. 593
*De loco auctoritatis Romani Pontificis: explicatur huius loci natura, & quo modo ex eo argumenta ducantur. Cap.* VII. 596
*De loco auctoritatis cõciliorum: quid ſit Concilium, quotuplex, & quomodo hinc argumenta petãtur. Cap.* VIII. 604
*De loco auctoritatis antiquorũ patrum. Cap.* IX. 609
*De loco auctoritatis Scholaſticorum: quantum hic locus valeat, & quomodo inde argumenta ducantur. Cap.* X. 612
*De loco rationis, & ſcientiæ humanæ. Cap.* XI. 617
*De loco auctoritatis philoſophorum. Cap.* XII. 620
*De loco humanæ hiſtoriæ: quid ſit hiſtoria, quotuplex, & quæ & quo modo hinc argumenta ſumantur. Cap.* XIII. 624
*Explicantur nonus & decimus articulus diui Thomæ. Cap.* XIIII. 629
*Quod plures ſint diuinæ ſcripturæ ſenſus, & quot ſint. Cap.* XV. 631
*Qui ſenſus dicatur literalis, & unde ſumendus ſit. Cap.* XVI. 638
*Demonſtratur in vno eodemq; diuinæ ſcripturæ loco plures ſenſus litterales contineri. Cap.* XVII. 642
*Afferuntur aliquot regulæ vtiles ad inueniendos ſenſus litterales. Cap.* XVIII. 647
*Soluuntur nonnullæ dubitationes circa ea, quæ dicta ſunt. Cap.* XIX. 650
*Quid ſit sẽſus ſpiritualis, et quotuplex. Cap.* XX. 654
*Traduntur regulæ ad inueſtigandos ſpirituales ſenſus, & dubitationes quædam ſoluuntur. Capit.* XXI. 660
*Vter ſenſus ſit præſtantior literalis ne, an ſpiritualis. Cap.* XXII. 664
*An ex ſpirituali ſenſu argumentari liceat. Capit.* XXIII. 668
*Quid ſit metaphora, parabola, ænigma, & apologus. Cap.* XXIIII. 676

*An conueniēter ſacræ litteræ vtantur locutionibus tranſlatis, ſeu metaphoricis.* Cap. XXV. 681
*Duodecim recenſentur cauſſæ ob quas congruū fuit diuinam ſcripturam vti Metaphoris, de quibus nonnullæ admonitiones dantur.* Cap. XXVI. 692
*Qualis eße debeat is, qui ſacris ſtudijs ſit operam daturus, vel de auditore ſacrę Theologiæ.* Capit. XXVII. 697
*Qualis eſſe debeat is qui ſacram doctrinam alios eſt docturus, vel de ſacræ Theologiæ Magiſtro.* Cap. XXVIII. 705

## Libri Sexti capita.

HVIVS *libri conficiendi ratio, & vtilitas.* Cap. I. 711
*Afferunt admonitiones quædam circa propoſitam materiam.* Cap. II. 714
*Citantur nonnulli auctores legendi pro materia de Deo.* Cap. III. 717
*De nomine, deſcriptione, & exiſtentia Dei.* Capit. IIII. 719
*Recenſentur varij auctores legendi pro varijs attributis diuinis.* Cap. V. 722
*De cognitione Dei, qua a nobis, & a beatis cognoſcitur: & an unquam eius eßentia a viatore viſa fuerit.* Cap. VI. 725
*De ſciētia, pręſcientia Dei, & de ideis.* Cap. VII. 727
*De potentia Dei, & nonnullis alijs attributis.* Capit. VIII. 728

De



*De prouidentia & prædeſtinatione.* Cap. IX. 730
*De myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis.* Cap. X. 733
*De creatione, operibus ſex dierum, mundo, & natura boni & mali.* Cap. XI. 739
*De Angelis, & Dæmonibus.* Cap. XII. 741
*De hominis creatione, lapſu, & de anima.* Capit. XIII. 743
*De fato, fortuna, iudicijs Aſtrologorum, & actione cœlorum in hęc inferiora.* Cap. XIIII. 745
*De actibus humanis, et libro arbitrio.* Cap. XV. 747
*De omnibus virtutibus & vitijs in communi, & de donis Spiritus ſancti.* Cap. XVI. 749
*De peccato originali.* Cap. XVII. 751
*De gratia, iuſtificatione et merito.* Cap. XVIII. 752
*De legibus, & præceptis.* Cap. XIX. 754
*De virtutibus Theologicis & moralibus ſpeciatim.* Cap. XX. 756
*De ſummo Pontifice, & Eccleſia.* Cap. XXI. 757
*De Concilijs, & Symbolo.* Cap. XXII. 759
*De hæreſi, & hæreticis.* Cap. XXIII. 761
*De ſpe, caritate, amicitia, pace dilectione inimicorū, correctione & bello.* Cap. XXIIII. 763
*De paupertate, dominio & eleemoſyna.* Capit. XXV. 766
*De iuſtitia, iudicijs, & alijs materijs huc pertinentibus.* Cap. XXVI. 767
*De beneficijs, reſidentia, acceptione perſonarum, ſimonia, honore, &c.* Cap. XXVII. 771
*De virtutibus & vitijs generatim, & ſpeciatim.* Cap. XXVIII. 773

 De

## Index Capitum.

*De voto, & ieiunio. Cap.* XXIX. 776
*De ſtatibus, ſiue de hominum officijs, & viuendi generibus, & de prophetia. Cap.* XXX. 777
*De incarnatione & Chriſti vita. Cap.* XXXI. 783
*De veneratione, inuocatione, canonizatione, ſanctorū, & imaginum adoratione. Cap.* XXXII. 788
*De conceptione beatæ Virginis, & de eius laudibus. Cap.* XXXIII. 790
*De Sacramentis in communi, de baptiſmo circumciſione, & confirmatione. Cap.* XXXIIII. 791
*De Euchariſtia, & ſacrificio Miſſæ. Cap.* XXXV. 795
*De Sacramento pœnitentiæ, & confeſſionis. Capit.* XXXVI. 798
*De purgatorio, indulgentijs, & iobelæo. Capit.* XXXVII. 800
*De oratione, horis Canonicis, & traditionibus. Cap.* XXXVIII. 802
*De Sacramento ordinis, extremæ vnctionis, & de cenſuris. Cap.* XXXIX. 804
*De Sacramento matrimonij. Cap.* XL. 806
*De reſurrectione, iudicio, & inferno. Cap.* XLI. 809
*De fine hominis, ſeu beatitudine, & vita æterna. Cap.* XLII. 811
*Citantur nonnulli alij ſcriptores pro varijs materijs legendi. Cap.* XLIII. 812

Indicis Capitum Finis.

# INDEX RERVM NOTABILIVM.

### A

ABSTRACTIO duplex. pag. 292
Abſtractio quomodo diſtinguat ſcientias. 303
Accidentium forma quæ dicatur. 8
Actio quæ dicatur. 310
Actionis principium quodnam ſit. 317. & 318
Actus credendi, ſperandi, & amandi Deum partim naturales, partim ſupernaturales ſunt. 199. & 200
Actus diuerſi, cur poſſint producere vnum & eundem habitum. 304
Admonitiones quædam circa ſenſus metaphoricos. *695. & 696.*
Admonitiones quædam Theologo maximæ neceſſariæ. 429
Ægidius Romanus quando floruit. 36
Ænigma quid ſit. 680
Albertus magnus quando floruit. 36
Aliquid eſſe neceſſarium naturaliter, multis modis intelligi poteſt. 182

Aliquis

Aliquis actus eſt neceſſarius ad aliquid conſequẽdum tripliciter. 130
Allegoria vnde dicta, & quid ſit. 655
Allegoria quid ſit. 680
Altiora nobis quomodo quærere liceat. 75. 430. & 431
Anagogia, vnde dicta, & quid ſignificet. 655
Angeli non omnia myſteria diuina norunt. 431
Angeli hominum cuſtodes. 90
Angelos carere materia nondũ eſt fide tenẽdum. 550
Anima rationalis eſt immortalis. 83
Antiqui patres & ſcholaſtici quomodo differant. 32
Apologus quid ſit. 680
A principio mundi ſemper fuit aliquid reuelatum. 148.
Apprehenſio, & iudicium quomodo inter ſe conueniant & differant. 407. & 408
Argumentum non ducitur ab ignoto. 436
Argumentum ſophiſticum in duobus peccare poteſt. 483.
Argumentum ex ſcriptura quomodo ducendum ſit. 579.
Argumenta varia quibus probatur non eſſe opus doctrina reuelata. 73
Argumenta varia quibus probatur Theologiam non eſſe ſcientiam. 227. & 228
Argumenta varia, quibus probatur theologiam eſſe ſcientiam. 229. & 230
Ariſtotelis vitia. 140
Ariſtoteles ob ignorantiam perijt. 140
Ars nobilior quæ cenſeatur. 334
Aſſenſus concluſionum non eſt maior aſſenſu principiorum. 227
Auctoritas magiſtri aliquando nocet diſcipulis. 42
Auctoritas diuina primum locum obtinet in Theologia. 428
Auditor ſacræ Theologiæ qualis eſſe debeat. 698. & ſequent.
Auguſtinus legendus ſcholaſticis. 39

Augu-

INDEX.

Auguſtinus non negauit licere argumentari ex ſenſu ſpirituali. 675

## B

Baptismvs nunquam datus ſub nomine Chriſti tantum. 548
Baptizato in quomodo maneat peccatum. 581.
Beati duplicem habent cognitionem. 263
Beati triplicem habent Theologiam. 264
Beatorum ſcientiæ omnes aliæ ſubalternantur. 267
Beatorum cognitio in quo ſita ſit. 264
Beatitudo in qua hominis parte poſita ſit. 176
Bonauentura quando floruit. 35
Bullarium Pontificum. 603

## C

Caietani opinio de ſubalternatione Theologiæ explicata. 255. 256. & 257
Caietani opinio de ſubalternatione Theologiæ confutata. 258. 259. & 260
Canonici ſcriptores ſunt Spiritusſancti ſcribæ. 470
Caritas quid ſit. 309
Caritas uiæ, & patriæ ſunt eiuſdem rationis. 198
Catholica ueritas eſt duplex. 563
Cato fuit leno. 140
Cauſſæ ſunt inter ſe ordinatæ. 73
Cauſſa quomodo cognoſcenda per ſcientiam. 234
Chriſtum ſcire quid ſit. 393
Chriſto proprium fuit loqui per metaphoras. 689
Chriſtiana religio uti poteſt humanis ſcientijs ad res diuinas tractandas. 438. & ſeq.
Chriſtiana doctrina eſt ſibi conſentiens. 504
Chriſtianæ doctrinæ effectus. 505

Chri-

Chriſtiana doctrina nullam habet in ſe contradictionem. 180
Chriſtianæ religionis fundamentum eſt doctrina reuelata. 144
Chriſtiani debent cognoſcere aliquid ſupernaturale. 159
Ciceronis errata quædam. 170
Clementinæ quæ dicantur. 602
Cœli, concionatores gentium. 157. & 158
Cognitio veri Dei ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem. 146.
Communicare ſapientiam eſt maxima perfectio. 81
Communicatio ſcientiæ Deo conuenit. 78
Comparatio fit in ijs quæ ſunt eiuſdem generis. 118
Conditiones neceſſariæ ad ſcientiæ ſubalternationem. 261
Conditiones neceſſariæ in eo, qui uult operam dare diuinis literis. 698. & ſeq.
Concilium quid ſit. 604. & 605
Concilium quando poſſit, aut non poſſit errare. 606. & 607.
Concilij auctoritate, quando neceſſario argumentemur. 507
Conciliorum diuiſio. 605
Concilij auctoritate quando probabiliter, vel male argumentemur. 608. & 609
Concluſiones quæ non ſint theologicæ. 21
Concluſio Theologica quæ. 21
Concluſio, ſeu quæſtio Theologica quæ ſit. 534. & ſequent.
Concluſio theologica requirit duplex lumen. 535
Concluſio de fide quæ. 23
Concluſio prima in Theologia pertinet ad lumen acquiſitum. 537
Concluſionem ſequi ignobiliorem partem quomodo ſit intelligendum. 537
Concluſionis theologicę neceſſitas quomodo cognoſcatur. 535





Concluſiones malæ fugiendæ, quæ ſint. 24
Concluſiones Theologicæ in duplici differentia. 217
Concluſiones neceſſariæ nondum determinatæ cadūt ſub habitum Theologiæ. 225
Concluſionum Theologicarum variæ diuiſiones. 22
Congruentem quęſtionem tractare non eſt facile. 534
Cornelius Tacitus hiſtoricus mendax. 626
Credendi ratio, eſt auctoritas diuina. 248
Credere, ſperare, & amare ſunt actus uitæ. 192

## D

DÆMON perpetuus Dei æmulus. 164
Dæmones cur ceſſauerit dare reſponſa. 93
Dæmones boni hominum cuſtodes. 94
Debitores male acepti apud quaſdam ciuitates. 142
Decreti diuiſio. 600. & 601
Decretales quæ ſint. 602
Definitio nominis eſt cognitionis principium. 120
Definitio diſputationum initium. 1
Definitio duplex. 2
Demonſtratio, quæ dicatur. 231
Demonſtrationes quomodo in ſciētia quærendę. 232
De ſingulari incorruptibili habetur ſcientia. 239
Deus, ut reuelatus, quomodo ſit theologię obiectum. 391.
Deus reuelat aliquid tripliciter. 9. & 10
Deus eſt cauſſa efficiens & exemplar omnium rerum. 173.
Deus ſolus eſt proprie ens. 384
Deus, ut Deus, quid ſignificet. 383. & 384
Deus eſt cauſſa, & finis omnium entium. 383
Deus non poteſt negare homini auxilium, poſita ſua ordinatione. 206
Deus clare uiſus eſt obiectum intellectus humani. 194
Deus non eſt inuidus. 90

Deus quomodo poſſit hominem docere. 79
Deus communicat ſe mortalibus. 91
Deus non fecit hominem in eo ſtatu in quo modo reperitur. 97
Deus non cognoſcitur ſine ipſius lumine. 90
Deus mortem non fecit. 99
Deus poteſt docere hominem modo naturali. 84
Deus non eſt ens commune, ut genus. 381. & 382
Deus cur in ſcriptura vtatur nominibus metaphoricis. 690
Deus clare viſus eſt finis naturalis hominis. 195
Deus quot modis nobiſcum loquatur. 468
Deus quid ſit, neſcitur. 365
Deus ut cadat ſub noſtram cognitionem. 398
Deus docendo hominem ſua oſtendit attributa. 104
Deus poteſt hominem per ſe docere. 78. & 81
Deus & natura nihil faciunt fruſtra. 74
Deus eſt infinitus. 76
Deus quot modis ſe communicet. 77
Deus clare viſus quomodo ſit finis hominis ſupernaturalis. 199
Deus quomodo ſit auctor Theologiæ. 11
Deus quomodo poſſit dici communis. 401
Deus quomodo omnia contineat. 395
Deus an habeat veras proprietates. 399
Deus cur aliqua reuelauit Gentibus. 250
Dei notio apud nos, quæ ſit. 397
Dei ſapientia in docendo rudi populo. 685
Deo credere eſt quid præſtantiſſimum. 341
Deo hominis perfectio eſt tribuenda. 81
Deum eſſe quomodo probetur in theologia. 400
Deum mentiri eſt impoſſibile. 499
Deum eſſe, & remuneratorem eſſe naturaliter cognoſci poteſt. 146. & 147
Deum eſſe & habere prouidentiam naturaliter cognoſcitur. 125
De una & eadem re poteſt eſſe ſcientia practica, & ſpeculatiua. 320

Diale-



Dialecticæ ignorantia, perturbatio eſt ſcripturæ. 424
Didymi quanta doctrina. 440
Diuinatio eſt ſupernaturalis. 92
Diuinatione qui delectati fuerint. 92
Diuiſio librorum Magiſtri ſententiarum. 44
Diuiſio ſummæ diui Thomæ. 45. & 46
Diuiſio primæ quæſtionis diui Thomæ. 49
Diuitiæ ſunt improbitatis miniſtræ. 702
Diſcentem oportet credere. 434
Diſcendi cupidus nulli magiſtro ſit adictus. 41. & 42
Diſputatio a definitione ſumi debet. 2
Diſputatio de rebus diuinis in concilijs adhibita. 420
Doctrina reuelata vbi contineatur. 160. & 161
Doctrina reuelata eget expoſitione. 162. & 163
Doctrina ſcholaſtica, ſeu theologia quibus ſit neceſſaria. 165. & 166
Doctrina reuelata cur conuenienter data ſit. 103
Doctrina reuelata non eſt, ubi ſunt leges naturæ legibus contrariæ. 180
Doctrina reuelata de rebus, quæ naturaliter cognoſcuntur, quomodo neceſſaria. 168
Doctrina humana neceſſaria ad exponendam doctrinam diuinam. 161. 162. & 163
Doctrina, qua res diuinę explicantur duplex. 160
Doctrina reuelata de rebus naturalibus cur fuerit vtilis. 171
Doctrina reuelata cur dicatur habitus fidei. 63
Doctrina reuelata non eſt apud nationes diuerſas, quæ religione differunt. 179
Doctrina humana varijs modis conſiderari poteſt. 168
Doctrinæ reuelatæ neceſſitas. 58
Doctrinæ reuelatæ neceſſitas quomodo naturaliter cognoſcatur. 174
Doctrinam reuelatam eſſe neceſſariam euidenter probatur ex ſacris literis. 174
Doctrinam reuelatam reperiri naturaliter demonſtrari poteſt. 175. 176. & ſeq.
Doctrinam homini reuelari conueniens fuit ex parte

te

te hominis. 104.& 105
Docti homines, qui profitentur ſcientias, debent ſoluere rationes pugnantes contra fidem. 486
Docti uiri fuerunt pauperes. 703
Doctiores qui ſunt, non ita facile errant. 466
Doctores cur neceſſarij in eccleſia. 165
Doctores interdum labi in rebus fidei mirum uideri non debet. 466
Doctores cur dati eccleſiæ. 163.& 560
Dona gratis data olim erant frequẽtia in eccleſia. 465
Dubitatio eſt uia ad inueniendam veritatem. 444
Duobus modis aliquid cognoſcitur per cauſſam. 233
Duodecim cauſſæ ob quas ſcriptura utitur metaphoris. 692.& ſeq.
Duplex eſt in homine appetitus. 185. & 186
Dupliciter aliqui actus intellectus dirigi poteſt. 312. & 313.
Durandus quando floruit. 36

## E

Ecclesia quid ſit. 595
Eccleſia in quo poſſit errare. 594
Eccleſia non poteſt deficere. 594
Eccleſia quando non poſſit errare. 594
Eccleſiæ auctoritate quando probabiliter argumentemur. 595
Eccleſiæ auctoritate quando male argumẽtemur. 596
Eccleſiæ auctoritate quando neceſſario argumentemur. 595
Eccleſiæ eſt proponere nobis res credendas. 248. & 249.
Eccleſiæ notæ, quæ ſint. 593
Editio ſcripturæ quæ ſit approbata. 545
Effectus non cognoſcitur perfecte niſi cognoſcatur cauſſa. 113
Effectus Dei ſunt in duplici genere. 397

Elegan-



Elegantia non eſt requirenda a philoſopho. 451
Ens quomodo ſit obiectum intellectus. 123
Ens diuinum non eſt obiectum Theologiæ. 390
Ens diuinum quadruplex. 367
Entis ratio, quæ ſit. 380.& 381
Entis ratio quomodo conueniat Deo. 381
Entis ratio, quid in Deo contineat. 382
Epiſcopus qualis eſſe debeat. 165
Errandi cauſſa quæ ſit. 13
Erronea propoſitio quæ dicatur. 563
Eſſe uerum, & eſſe credibile non ſunt idem. 244
Euidentia quid ſit. 243
Euidentia triplex. 243
Euidentiæ gradus tres. 246
Euidentia non reperitur in articulis fidei. 250.& 251
Euidentia quæ reperiatur in fidelibus. 253
Euidenter ſoluere, & probare inter ſe differunt. 482
Euidenter credibile quid dicatur. 244
Euidenter verum quid dicatur. 244
Extrauagantes quæ dicantur. 602

## F

Falsum eſt omnes homines poſſe ſaluari in ſua religione, ſeu ſecta. 179
Fides eſt ueluti habitus principiorum reſpectu Theologiæ. 15
Fides & theologia habent idem obiectum apprehenſionis. 389
Fides potius ſita eſt in iudicio, quam in apprehenſione. 410.& 411
Fides quomodo poſſit admittere dubitationem. 502
Fides corrigit humanas ſcientias. 501
Fides diuina in quo deficiat a vera ſcientia. 214
Fides humana in quo deficiat a ſcientia. 215
Fides humana in quorum auctoritate fundetur. 625
Fidei iudicium quattuor includit. 411

e Fides

Fides habet unum obiectum apprehenſionis & iudicij. 410
Fides diuina quid ſit. 219. & 220
Fides & theologia non habent idem obiectum formale. 389
Fides eſt unus ſimplex habitus. 298
Fides Chriſtiana fuit a principio mundi. 504
Fides & Theologia quomodo diſtinguantur, &c. 15
Fides quam neceſſitatem habeat. 214
Fides ſecundum ſe eſt certiſſima. 498
Fidei ratio eſt auctoritas diuina. 15
Fidei lumen efficit euidentiam credibilitatis. 252
Fidei aſſenſio unde pendeat. 410
Fidei uis atque poteſtas quanta ſit. 500
Fidei lumen non excludit omne dubium. 245
Fidei lumine non cognoſcuntur omnia quæ ſunt in Deo. 131. & 132
Fidei lumen quale & quantum ſit. 495. & 496
Fidei lumen tria nobis præſtat. 247
Fidei certitudo ex ſe ſuperat ſcientiæ certitudinē. 498
Fidei ex habitu, qui habitus nati ſint. 220. & 221
Fidei chriſtianæ regulæ quæ ſint. 541
Fidei myſteria non eſſe falſa indirecte demonſtrari poteſt. 490
Fidei & naturæ lumen inter ſe comparatur. 496. & 497.
Fidei certitudo ex parte noſtri eſt maior, quam certitudo ſcientiæ. 499. & 500
Fidei myſteria qui demonſtrare uolunt, errant. 488
Fidei meritum maximum. 105
Fidei apprehenſio, & iudicium vnum. 409
Fidem qui habere dicantur. 220
Fideles ſunt obligati credere ſuis Doctoribus & ſuperioribus. 561
Fideles duplici utuntur lumine. 245
Fideles non habent euidentiam articulorū fidei. 250
Figurata locutio ubi adhibeatur. 689
Finis ſcientiæ & ſcientis differunt. 316

Finis

INDEX.

Finis hominis non eſt in hac uita. 176
Finis ultimus quid ſit. 196
Finis hominis, qui eſſe dicatur. 196
Finis habet rationem principij. 59
Finem hominis conſiſtere in clara uiſione Dei, non poteſt naturaliter cognoſci. 201
Finem hominis cōſiſtere in aliqua cognitione Dei poteſt naturaliter cognoſci. 200
Firmitas quid, & quotuplex ſit. 242
Formalis ratio obiecti quæ ſit. 373
Formalis ratio obiecti cui conueniat. 374
Frui quid ſit. 43
Furtum olim approbatum. 142
Futura prædicere, eſt Dei proprium. 504

## G

GABRIEL Biel quando floruit. 37
Generationem eius quis enarrabit quomodo intelligendum. 645
Gentes quomodo legem naturalem ſeruarent. 117
Gentes non fuerunt a Deo derelictæ. 150
Gentes quomodo per ſapientiam poterant ſaluari. 153.
Gentes non erant obligatæ ad recipiendam legem moſaicam. 150. & 151
Gentes multa acceperunt ex ſcriptura. 444. & 445
Gentes habebant legem ſcriptam in corde. 152
Gentibus quomodo Deus ſe manifeſtauit. 152
Gentibus non ſunt manifeſtata iudicia Dei. 154
Græci pro infantibus ſacrificabant. 149
Gratia eſt in eſſentia animæ. 136
Gratia non deſtruit naturam. 193. & 224
Gratianus quis fuerit, & quando floruerit. 600
Gregorius Ariminenſis quando floruit. 37

 HABITVS

## H

Habitvs directicum ſunt in duplici differentia. 311. & 312.
Habitus ſcientiæ ab quam cauſam poſſit dici unus. 288
Habitus intellectus ſunt quinque. 230
Habitus practicus, & ſpeculatiuus quomodo differant. 315. & 116
Habitus infuſi ſunt ſimplices qualitates. 304
Habitus cur ſint neceſſarij. 286
Habitus ſcientiarũ non ſunt ſimplices qualitates. 294
Habitus cur manere debeant in patria. 269
Habitus qui circa Deum verſantur quattuor. 13
Habitus principiorũ & cõcluſionum ſunt diſtincti. 64
Habitus ſcientiæ & principiorum ſunt diſtincti. 235
Habituum genera tria. 313
Hebræi debebant cognoſcere aliquid ſupernaturale. 158
Hæretica propoſitio, quæ cenſeatur. 540. 541. & ſeq.
Hæreſis turpitudo quanta ſit. 539
Hæreſis quid ſit. 538. & 539
Hæretici Theologia non eſt uera. 13
Hæretici impugnandi ſunt auctoritate ſcripturæ. 427
Hæretici moderni nomina corrumpunt. 515
Hæreticus qui cenſendus non ſit. 540
Henricus Gandauenſis quando floruit. 36
Hiſtoria quid ſit. 624
Hiſtoria quotuplex. 624. & 625
Hiſtorici veri qui cenſendi. 625
Hiſtoriæ auctoritate quomodo argumentemur. 626. 627. & 628.
Hiſtoriarum cognitio theologo eſt neceſſaria. 626
Homo animal contemplationis appetens. 310
Homo appetitu naturali appetit claram uiſionem Dei. 198





Homo habet naturalem aptitudinem ad recipiẽdum habitus ſupernaturales. 198
Homo lege diuina perficiendus eſt. 114
Homo pertinet ad ordinem rerũ ſupernaturalium. 87
Homo ſine religione eſſe non poteſt. 114
Homo ſeipſum cognoſcere non poteſt. 110
Homo poteſt a Deo & ab intelligentijs doceri. 82
Homo poteſt perfici modo ſupernaturali. 86
Homo habet naturalem potentiam ad uidendum Deum. 190
Homo creaturarum orizon. 78
Homo habet potentiam ad omnem ſcientiam. 86. & 87.
Homo in cognoſcendo ab omnibus pendet. 80
Homo cognoſcit per phantaſmata. 75
Hominis finis qui. 114
Homo ludus Dei. 90
Homo eſt creaturarum finis. 74
Hominis naturam deprauatam eſſe. 97
Hominis finis ignoratus ab omnibus. 110. & 111
Hominis lapſus, fuit occaſio, vt duplex verbum nobis daretur. 102
Hominis finis duplex. 185
Hominis uita eſt contemplari. 310
Hominis natura in malum propenſa. 98
Hominis miſeria. 100
Homini fuit neceſſaria doctrina reuelata. 108
Homines cognitionem Dei appetunt. 112
Homines nati ſunt ad veritatem. 89
Humana cura non poteſt hominem perficere. 143
Humana natura eſt impotens ad bene agendum. 138
Humana mens non eſt regula rerum diuinarum. 133
Humana hoſtia dijs oblata. 142
Humanæ ſcientiæ incertæ. 484. & 485
Humanæ ſcientiæ conuenienter adhibentur ad res diuinas tractandas. 441
Humanarum actionum principium, quod nam ſit. 318
Humilitas neceſſaria in auditore Theologiæ. 703

Humanis ſcientijs opera danda eſt, ad explicandas res diuinas. 439
Humanis ſcientijs quatenus utendum. 447

## I

IDololatria damnata. 141
In aliquo libro duo eſſe poſſunt procœmia. 51
Incarnationis myſterium incognitum a ſæculo. 151
Incarnationis myſterium olim reuelatum. 148. & 149
In homine eſt aliqua aptitudo ad clare uidendum Deum: 190
Indocti de fide diſputare non debent. 420
Infideles impugnandi ſunt ratione. 427
Inimicos non eſſe odio habendos eſt naturæ conſentaneum. 170. & 171
Initium, ſiue diſpoſitio ad fidem, quænam ſit. 446
Iniuriam ſuo iure vulciſci non licet. 170
In lege naturæ non fuit neceſſaria reuelatio rerum ſupernaturalium. 151. & 152
Intellectus humani duo munera. 310
Intellectus humanus pendet a ſenſibus. 685
Intellectus humanus cauſſa Theologiæ. 11
Intellectus & oculus qũo differant in operando. 284
Intellectus humanus quomodo ſe habeat ad res diuinas. 342
Intellectus duplici perfectione indiget. 284
Intellectus dupliciter aſſentitur veritati. 476. & 477
Intellectus obiectum eſt ens, ut uerum. 395
Intellectus operationes duæ potiſſimæ. 407
Intellectus aſſenſus duo, & quomodo inter ſe differant. 478. & 479
Intellectus noſter vt ſe habeat ad diuina. 132
Intellectus cognoſcit aliquid vel motiue, vel terminatiue. 121

Intel-


Intellectus & volũtas humana egẽt auxilio diuino. 136
Intelligentiæ poſſunt docere hominem. 81. & 82
Intelligentiæ quomodo hominem docere poſſint. 80
In ſcientia duo conſiderantur, res cognita, & modus cognoſcendi. 276
Inter ſcientiam practicam & ſpeculatiuam non datur alia intermedia. 323
Ioannes Capreolus quando floruit. 37
Ioannes de Baſſolis quando floruit. 37
Ioannes Scotus quando floruit. 36
Iudicium humanum vnde incipiat. 686
Iulianus interdixit Chriſtianis ſtudiũ ſciẽtiarum. 445
Ius humanum duplex. 599
Ius canonicum vnde natum. 600
Iuris canonici diſtributio. 600. & ſeq.
Iuriſperitorũ auctoritas quid valeat in theologia. 624

## L

LAres hominum cuſtodes. 95
Latini quo die pueros luſtrarent. 149
Legendis ſanctis patribus quæ cura adhibenda. 518
Legiſlatores omnes ſuas leges in Deum retulerũt. 92
Legum quædam diuiſio. 587
Lex humana non poteſt hominem perficere. 95
Lex humana non perficit hominem. 137
Lex ſine promulgatione non obligat. 155
Libri qui legendi non ſint. 463
Libri canonici qui ſint. 543
Libri canonici enumerati. 577
Literalis ſenſus qui non dicatur. 638. 639. & 640
Literalis ſenſus quomodo ſit ſpirituali præſtãtior. 667
Literalis ſenſus ſcripturæ qui dicatur. 640. & 641
Locus theologicus quid ſit. 571
Locorum theologicorum diuiſio. 572
Loci cur ſint cognoſcendi. 574

Loci theologici quot ſint. 571
Loci Theologici qui, & quot ſint. 26
Loci nonnulli quibus doctrina Chriſtiana laudari poteſt. 336
Locorum notitia quantum ſit neceſſaria. 569. & 570
Logica non eſt proprie ſcientia practica. 312
Lumen ſupernaturale duplex. 10. & 11
Lumen reuelatum dupliciter ſe habet ad concluſiones ſcientiæ. 277
Lumen, quo utimur in hac uita, eſt triplex. 495
Lumen fidei eſt perfectius, quam lumen theologicum. 253. & 254

## M

Magiſter ſententiarum quando floruit. 34
Magiſtri ſententiarũ Theologię diuiſio. 43
Magiſter Theologiæ qualis eſſe debeat. 705. & ſequen.
Mahometus impie negat rationis uſum in rebus ad religionem pertinentibus. 618
Maior pars eorum quæ ſcimus, eſt minima eorum quę ignoramus. 134
Maiorum veſtigia ſequenda. 557
Mandatum diuinum eſt facile. 125
Marcus Euangeliſta Academiam Alexandriæ erexit. 443
Mathematicæ demonſtrationes quales ſint. 485
Metaphora quid ſignificet, & quid ſit. 679
Metaphoræ ad res diuinas explicandas, unde conuenientius ſumantur. 688. & 689
Metaphoræ ob quas cauſſas uſurpentur in ſcriptura. 692. & ſequent.
Metaphorica locutio non dicetur impropria. 690
Metaphorica locutio ad quid conferat. 693. & 694
Metaphoricæ locutiones ſcripturæ aptiſſimæ. 678
Metaphoricus ſermo non eſt damnandus. 691

Meta-



Metaphyſica quomodo diſtinguatur a theologia. 74
Metaphyſica, & theologia quomodo obiecto differant. 405
Menogamus qui dicatur. 518
Motiua fidei chriſtianæ in duplici genere. 244
Miracula a ſolo Deo fieri poſſunt. 503
Mulier externa in ſacris literis, quæ dicatur. 458
Multa ſunt in Deo, quæ non poſſunt naturaliter cognoſci. 131
Multæ res naturales non aſſequuntur finem, ſine externo auxilio. 203
Myſteria diuina ſub quibuſdã ſignis tradẽda fuere. 688

## N

Natura cur dicatur nouerca erga hominem. 99
Naturæ opera ſunt ordinata. 101
Naturali lege res diuinæ occulta quadam ratione traduntur. 683
Naturalis potentia quid ſit. 186
Natutalis ſcientiæ ratio formalis quę. 287
Naturaliter cognoſci poteſt in hac uita non eſſe hominis felicitatem. 173
Neceſſarium quot modis aliquid dicatur. 55. & 56
Neceſſitas quę, & quomodo requiratur in ſciẽtia. 213
Nemo ſaluatur ſine Chriſto. 147
Nemo ſaluatur ſola cognitione naturali. 147
Nomina noua quomodo imponere liceat. 516
Non poteſt euidenter demonſtrari in religione chriſtiana eſſe doctrinam reuelatam. 180
Non poteſt ab ullo demonſtrari in religione Chriſtiana non eſſe doctrinam reuelatam. 180
Non poteſt naturaliter cognoſci id, in quo ſita eſt hominis beatitudo. 207
Nulla creatura repreſentat Deum perfecte. 132

ORIE-

## O

OBIECTVM in ſcientia quibus nominibus appelletur. 370
Obiectum ſcientiæ quibus modis diuidatur. 371
Obiectum formale in ſcientia, quid dicatur. 373
Obiectum materiale quod dicatur. 373
Obiectum adæquatum ſcientiæ quod dicatur. 371. & 372.
Obiectum partiale quod dicatur. 372
Obiectum adæquatum intellectus eſt omne ens. 194
Obiectum intellectus dupliciter accipi poteſt. 183. & 184.
Obiectum principale in ſcientia quod dicatur. 372
Obiectum ſcientiæ triplex. 371
Obiecti formalis ratio duplex. 67
Obiecto de Theologiæ uariæ ſententiæ. 365. 366. & ſequent.
Obſcuritatis cauſſæ in docendo quæ ſint. 452
Omnes homines beatitudinem appetunt. 197
Omnia quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt. 73
Operationum tria genera in homine. 317
Operationum humanarum duo genera. 311
Opinionis natura quæ. 215. & 216
Opiniones variæ de Theologia, an ſit practica, vel ſpeculatiua. 307. & 308
Oratio neceſſaria ad ſapientiam conſequendam. 704

## P

PARABOLA quid ſit. 680
Parabola & metaphora quomodo differant. 681
Particularia quomodo conſiderentur in Theologia. 212

Paruuli



Paruuli non baptizati, non triſtabuntur ob non adeptam felicitatem. 206
Paſſiones omnes alicuius ſubiecti cognoſcuntur ſimplici habitu. 296
Patrem eſſe maiorē filio quomodo intelligendū. 555
Patres antiqui humanis ſcientijs ornati. 441
Patres approbati qui cenſeantur. 553
Patres poſſe errare, quomodo intelligendum ſit. 562
Patres & ſcriptores canonici, quibus differant. 554
Patres antiqui habuerunt ſpiritum diuinum ad interpretandas ſcripturas. 648
Patrum communis opinio, an faciat rem de fide. 552
Patrum & Scholaſticorum auctoritas quomodo diſtinguatur. 613
Patrum a conſenſu quando liceat diſcedere. 555
Patrum cōſenſum deſerere in ijs, quę ad religionem pertinet, eſt periculoſum. 555. & 556
Patrum doctrina non eſt ita certa, ut ſcriptura diuina. 554
Patrum communem conſenſum deſerere quando ſit hæreticum. 556. & 557
Patrum teſtimonia quomodo afferri poſſint. 609
Patrum auctoritate quando neceſſario, quando probabiliter, vel male argumentemur. 610. 611. & 613
Paulus diſputando docebat. 419
Paupertas non nocet ſtudijs. 702
Paupertas artium inuentrix & conſeruatrix. 702
Peccata non ſunt paria. 170
Peritus qui dicatur. 52
Perſarum vitia. 142
Philoſophandi rationes uariæ. 460
Philoſophia quid ſit. 12. & 620
Philoſophia donum Dei. 107
Philoſophia moralis, an ſit practica. 322
Philoſophia quatenus damnetur a ſanctis Patribus. 459. & ſequent.
Philoſophia quomodo iuſtificabat. 155
Philoſophia & Philoſophi damnati. 459

Philo-

Philoſophia non damnatur in diuinis literis. 457
Philoſophiæ quatenus incumbendum. 463
Philoſophia ad quid ſit utilis. 156
Philoſophia uera non eſt contraria chriſtianæ ueritati, & contra. 180
Philoſophia Græcis pro teſtamento fuit. 155
Philoſophia Græcorum pedagogus fuit. 446
Philoſophia, an iuſtificauerit. 128. & 129
Philoſophi ocultarunt veritatem. 141
Philoſophi cur olim damnati. 460. & 461. &c.
Philoſophorum auctoritate quomodo argumentemur in theologia. 623. & 624
Philoſophorum auctoritate quatenus utendum. 621
Philoſophus quid. 143
Philoſophus malus quid. 461
Philoſophus quomodo habere ſe debeat ad ueritatem fidei. 487
Phyſica diſciplina quæ dicatur. 54
Platonis uitia & errores. 139
Poetæ olim erant Theologi. 5
Poetæ multa ſumpſerunt ex ſcriptura. 115
Pontifex duas perſonas agit. 597
Pontifex quando non poſſit, vel poſſit errare. 598. & 599.
Pontifex ut priuatus Doctor poteſt errare. 548
Pontifex in qua conſtitutione non poſſit errare. 546
Pontificis decretum quid ſit. 599
Pontificis decreto quando probabiliter, uel male argumentemur. 604
Pontificis auctoritate quando neceſſario argumentemur. 603. & 604
Potentia triplex. 187
Potentia uiolentia quid ſit. 186
Potentia neutra quæ dicatur. 187. & 188
Potentia obedientialis quid ſit. 186
Potentiæ & habitus diſtinguuntur per obiecta. 321
Poteſt demonſtrari eſſe euidenter credibile in religione Chriſtiana eſſe doctrinam reuelatam. 181

Præcepta



Præcepta decalogi ſunt principia Theologiæ. 18. & 19
Præceptum de ſui cognitione. 109
Practica & ſpeculatiua ſcientia quomodo diuidantur. 317
Practicum quid dicatur. 314
Practica cognitio, quæ dicatur. 314
Practica ſcientia dignior quæ. 333
Practica ſcientia, quæ proprie dicatur. 318
Practica facultas quæ dicatur. 310
Practica ſcientia ſimpliciter, unde dicatur. 322
Præter ſcientias naturales datur doctrina reuelata. 88
Praxis quid ſignificet. 309
Praxis dupliciter accipi poteſt. 313. & 314
Praxis variæ deſcriptiones. 319
Praxis proprie, quę dicatur. 331
Praxis an poſſit eſſe in actibus intellectus. 330. & 331
Principia Theologiæ propria quæ. 17
Principia theologiæ quę cenſeantur. 473. & 474
Principia theologiæ unde habeantur. 467
Principia theologiæ quattuor modis ſumi poſſint. 18
Principiorum theologiæ natura explicata. 475
Principiorum theologiæ habitus qui ſit. 223
Profani arcentur a rerum diuinarum cognitione. 684
Propoſitio hæreſim ſapiens quæ. 564
Propoſitio hæretica quæ dicatur. 540. 541. & ſeq.
Propoſitio erronea quæ dicatur. 563
Propoſitio iniurioſa quæ ſit. 567
Propoſitio ſchiſmatica quæ. 566
Propoſitio temeraria, quæ dicatur. 566. & 568
Propoſitio ſcandaloſa, quæ dicatur. 565
Propoſitio male ſonans, quæ dicatur. 565
Propoſitio vt cenſeatur eſſe contra patres qualis eſſe debeat. 561
Puritas animi neceſſaria ad res diuinas intelligendas. 701
Pythagoræ aliquot ſententiæ. 684
Pythagoræ uitia. 139

QVARVN-

## Q

QVARVNDAM rerum diſtinctio in tres ordines. 189
Quarum rerum cognitioné requirat Theologia. 28
Quattuor diuinæ ſcripturæ ſenſuum effectus. 659
Quattuor de unaquaque re quæruntur. 49
Quæ potentia dicatur uana. 204
Quæ requirantur ad efficiendum bonum Theologum. 5
Quæ per amicos poſſumus per nos ipſos poſſumus. 119. & 203
Quæ ſint a nobis quærenda & diſputanda. 524
Quæ Deo ſint grata, non cognoſcitur naturaliter. 137
Quælibet natura ex ſe eſt inclinata ad perfectionem ſuam. 193
Quæ in auditore, & magiſtro theologiæ requirantur. 697. & 705.
Quæ doctrina dicatur una. 275
Quæſtio quid ſit. 507
Quæſtio prima diui Thomæ an ſit proęmium. 50
Quæſtio unde poſſit reddi uitioſa. 509
Quæſtio theologica quæ cenſenda. 528. & 529
Quæſtio rei inanis, & inutilis quæ cenſeatur. 521
Quæſtio nominis, quæ ſit uituperabilis. 513. 514. & 515
Quæſtio bona, uel mala ſit unde ſpectandum. 510
Quæſtio de re, quæ mala cenſeri debeat. 519. & 520. & ſequent.
Quæſtio ut culpa vacet, quid requirat. 522. & 523
Quæſtiones quinque de homine quæri ſolent. 108
Quæſtiones theologicæ, quæ ſint beatis relinquendæ. 530
Quæſtiones quæ non explicandæ idiotis. 527. & 528
Quæſtiones quæ utiles, & neceſſariæ. 527
Quæſtiones quæ non ſint theologicæ. 525
Quæſtione in nominis, quid ſpectandum ſit. 509
Quæſtione in, quæ conſiderari poſſint. 508
Quæſtionum diuiſio. 510
Quæſtionum tractatio eſt res indifferens. 511. & 512
Quid ſit eſſe formaliter in aliquo. 324
Qui diuina tractant, magnam habent occaſionem merendi. 432
Qui doctoris gradum ſuſcipiunt profitentur ſe expoſituros ſcripturam iuxta patrum conſenſum. 559
Qui doctrinam Chriſtianam vituperauerint. 334
Qui doctrinam Chriſtianam contra aduerſarios defenderint. 334. & 335
Quinque habitus nati ex doctrina reuelata. 221
Qui non recipiunt doctrinam Chriſtianam, cum de ea habent notitiam, ſunt inexcuſabiles. 181
Qui recte non quærant. 521. & 522
Qui volunt Theologię operam dare, & Patres legere, Scholaſticos prius legant. 40
Quomodo, de rebus diuinis, qua ratione quęri poſſit. 433. & 434.
Quomodo homo poſſit appetitu naturali appetere viſionem Dei. 200
Quomodo intelligatur illud, nos non ſumus ſufficientes cogitare quicquam. 172

## R

RATIO formalis, per quam, non facit diſtinctionem ſcientiarum. 290
Ratio & ſcientia humana non ſunt omnino incerta. 619
Ratio formalis ſcientiæ quomodo fiat. 379. & 380
Ratio formalis Theologiæ, non eſt diuina reuelatio. 269. & 272.
Ratio debet eſſe diſcendi regula. 425
Ratio optima diſcendi regula. 42
Ratio formalis, per quam, diſtinguit ſcíẽtiam ab alijs habiti-

habitibus. 290.& 291
Ratio quibus modis adhibeatur in theologia. 482
Rationis vſus quid valeat in rebus fidei. 464
Ratione humana in rebus fidei uti licet. 617.& 618
Ratione humana quomodo argumentemur in theologia. 619.& 620
Rationes omnes, quæ afferuntur contra fidem ſunt falſæ. 487
Rationes duodecim ad demonſtrandum fidem Chriſtianam eſſe euidenter credibilem. 503.& ſeq.
Rationes cur adhibeantur in rebus fidei. 435.& 436
Rationes in rebus diuinis tractandis quomodo damnentur. 434
Regula pro ſenſu ſpirituali. 657
Regulæ ad inueſtigandos ſenſus myſticos ſcripturæ. 660. & 661.
Regulæ nonnullæ ad inueniendos ſenſus literales. 647. & ſequent.
Regulę ad cognoſcendas veras traditiones. 589.& 590
Regulæ ad cognoſcendum quãdo Concilium ſtatuit aliquid fide tenendum. 551
Regulæ ad cognoſcendum quando a Pontifice determinetur aliquid tanquam dogma tenendum. 549
Regulæ pro diſcipulo volenti progreſſum facere. 704
Religionis myſteria occulta quadam ratione tradenda fuere. 687
Religione Chriſtiana nihil credibilius. 479
Religionũ approbatio pertinet ad mores eccleſię. 547
Res duobus modis ſignificant in ſcriptura. 678
Res quæ in ſcientia tractantur ſubijciuntur apprehenſioni & iudicio. 407
Res diuinas, cur diſputatione tractare liceat. 424. & ſequent.
Res quę naturaliter cognoſcuntur, reuelari cõgruum fuit. 178
Res eadem poteſt tractari a diuerſis ſcientijs. 374
Res non ſunt uituperandæ ob hominum abuſum. 460
Rerum ſpecies non poſſunt mutari. 75



INDEX.

Rerum diuiſio ex Aguſtino. 43
Reſurrectio corporis cur neceſſaria. 177
Reuelat Deus aliquid dupliciter. 469.& 470
Reuelatio quomodo ſe habeat in Theologia. 296. & 297.
Reuelatio eſt homini in hac uita neceſſaria ad ſalutem. 134. & 135
Reuelatio facta fuit a principio, mundi. 116
Reuelatio nõ eſt ratio, qua Theologia diſtinguitur ab alijs ſcientijs. 296
Reuelatio triplex. 145
Reuelatio diuina ad quæ ſit neceſſaria. 17
Reuelatio eſt cauſſa efficiens theologiæ. 9.& 10
Reuelationes priuatæ non pertinent ad ſtatum eccleſiæ. 469
Reuelationum diuinarum duo genera. 468
Richardus a ſancto Victore quando floruit. 35
Romana eccleſia eſt regula loquendi. 518

## S

SACRA Doctrina eſt argumentatiua. 817
Sacra ſcriptura eſt dignior alijs ſcientijs. 332.& 333.
Sacra ſcriptura eſt ueluti menſa. 332
Sacra doctrina quomodo ſit argumentatiua. 415
Sacra doctrina eſt ſapientia. 346
Sacra doctrina ubi contineatur. 577
Sacra ſcriptura quid ſit. 575.& 576
Sacrę Theologiæ auditor qualis eſſe debeat. 698. & ſequent.
Salomonus lectulus qui ſit. 164
Salus hominis duplex. 129
Sancti patres cur tractarint quædam occulta myſteria. 533
Sanctorũ canonizatio pertinet ad mores eccleſię. 546
Sapientia quot modis ſumatur. 349

Sapientia quotuplex ſit. 349
Sapientia quomodo ſit ſcientia & intellectus. 357
Sapientia humana nō damnatur in diuinis literis. 456
Sapientia diuina, & chriſtiana quanti facienda. 339
Sapientia diſtinguitur a ſcientia. 355
Sapientia petenda a Deo. 78
Sapientia bonum optimum. 107
Sapientia quomodo differat ab arte & prudentia. 358
Sapientia unde habet ut principia explicet. 356
Sapientia quomodo eſt ſuperior habitu principiorum. 356
Sapientia & ſcientia in quo diſtinguantur. 356
Sapientia non eſt habitus diſtinctus a ſcientia. 355
Sapientiæ natura quæ. 106. & 107
Sapientiæ nomen quomodo in diuinis literis ſumatur. 359. & 360
Sapientiæ diuinæ effectus. 339
Sapientiæ nomen magni ſit. 346
Sapientiæ variæ definitiones. 350. & 351
Sapientiam non communicare eſt cōtra naturam. 95
Sapientiæ proprietates. 350
Sapientiæ natura quæ ſit, varie exponitur. 352. 353. & 354.
Sapientis nomen quot modis vſurpetur. 347. 348. & 349.
Sapientes huius mundi ignorarunt veram ſapientiam. 171
Sapientes cognoſcere, eſt hominis ſapientis. 179
Secreta non reuelantur niſi amicis. 104
Scientia & ſcibile idem ſunt. 294
Scientia eſt de neceſſarijs. 227
Scientia non eſt genus ſapientiæ. 355
Scientia ob quas cauſas dicitur una. 288
Scientia tanta eſt, quantum eſt ſcibile. 403. & 404
Scientia quid ſit. 233
Scientia quid ſit. 285
Scientia duplex. 211
Scientia unde ſumat ſuam unitatem. 281



INDEX.

Scientia humana neceſſaria ad explicandas ſcripturas. 446
Scientia habet triplicem rationem formalem. 286. & 287.
Scientia eſt quædam habilitas intellectus. 295
Scientia fides diuina & humana, & opinio quomodo inter ſe differant. 216
Scientia humana quatenus damnetur a ſanctis patribus. 459. & ſeq.
Scientia quæ appellari poſſit. 232
Scientia perficit intellectum & iudicium. 285
Scientia poteſt dici una duobus modis. 281. & 282
Scientia una quæ dicatur. 299
Scientia, an ſit ſimplex qualitas. 282. & 283
Scientia quanti facienda ſit in Chriſtiana rep. 426
Scientia ex quattuor conficitur. 213
Scientia, ex quibus dicatur practica. 320. & 321
Scientia nobilior, quæ dicatur. 333
Scientia requirit claritatem & neceſſitatem. 213
Scientia quomodo inflere dicatur. 457
Scientia eſt de uniuerſalibus. 228
Scientiarum diſtinctio non ſumitur ab abſtractione. 292.
Scientiarum diſtinctio & vnitas ſumitur a re, ut res eſt. 293
Scientiarum habitus ex quibus conſtet. 20
Scientiarum generica diſtinctio ſumitur ab obiecto. 291.
Scientiarum naturalium euidentia quanta ſit. 484
Scientiarū habitus non ſunt ſimplices qualitates. 294
Scientiæ & principiorum eſt idem obiectum. 390
Scientiæ formalis ratio. 66
Scientiæ quomodo dicantur diſtingui per abſtractionem. 303. & 305
Scientiæ, & artes omnes vnde acceptæ. 95
Scientiæ labor cur dicatur peſſimus. 458
Scientiæ unius concluſionis unitas & diſtinctio ſumitur ab unitate paſſionis. 294

Scientiæ ſpecificæ non diſtinguuntur a ratione formali ſub qua. 292
Scientiæ ratio in quo ſit ſita. 289
Scientiæ ratio duo includit. 289
Scientiæ principium ſunt res ipſæ. 317
Scientiæ ad productionem tria concurrunt. 285
Scientiæ plures de vna re eſſe poſſunt. 286
Sciens debet eſſe impermutabilis. 214
Scire quis dicatur. 231
Scholaſtica doctrina eſt veluti regula ijs, qui uolunt in rebus diuinis verſari. 40
Scholaſtica theologica quæ. 29.& 30
Scholaſtica theologia, quomodo utatur ſcientijs humanis. 334
Scholaſtica & poſitiua Theologia quomodo differãt. 30. 31. & 162.
Scholaſticæ doctrinæ utilitas. 454
Scholaſtici cur laudandi ſint. 453
Scholaſticæ Theologiæ initium. 32
Scholaſticorum nomen antiquum. 33
Scholaſticorum mores non damnandi. 452.& 453
Scholaſticorum ſtilus non eſt damnandus. 450.& 451
Scholaſticorum methodus non eſt improbanda. 449. & 450.
Scholaſticorum doctrina approbata. 448.449
Scholaſticorũ auctoritas aliqua in eccleſia. 612.& 613
Scholaſticorum variæ claſſes. 34
Scholaſticorum auctoritate quando neceſſario, quando probabiliter argumentemur. 614.& 615
Scholaſticorum theologorum laus. 448
Scriptura in, duo locutionum genera. 677
Scriptura diuina in uno loco habet plures literales ſenſus. 644.& ſeq.
Scriptura quomodo interpretanda. 558
Scriptura nos hortatur ad ſtudium dialecticæ. 462
Scriptura in, uerba & res ſignificant. 578
Scriptura abundat figuratis locutionibus. 679
Scriptura ex, quomodo male ducatur argumentũ. 582







Scriptura diuina ibi eſt, ubi eſt uera intelligentia. 471
Scriptura ex, qũo probabiliter argumentemur. 581
Scriptura diuina ſcatet eloquentia. 344
Scriptura diuina eſt cum ordine tradita. 344
Scriptura ex, quot modis neceſſario argumentemur. 580. & 581.
Scripturam diuinam non habere plures ſenſus in vno loco affirmare, eſt erroneum. 647
Scripturam diuinam vulgari ſermone tradi non expedit. 696
Scripturam cur Deus voluit eſſe obſcuram. 423
Scripturæ diuinæ ratio. 475
Scripturæ diuinæ ſenſus ſunt plures. 632.& 633
Scripturæ diuinæ natura quæ ſit. 421
Scripturæ ſenſus ſpecie ſunt tres, vel etiam quattuor. 635. & 636.
Scripturæ diuinæ utilitates quot, & quæ. 421
Scripturæ diuinæ natura. 576
Scripturæ diuinæ mirabiles effectus. 338
Scripturæ diuinæ nihil eſt addendum. 341
Scripturæ diuinæ variæ appellationes. 336
Scripturæ diuinæ ſenſus quibus nominibus appellentur. 634
Scripturæ ſacræ cauſſæ. 576
Senſibilia cur ualeant ad diuina explicanda. 687
Scrupuli circa fidem cur oriantur, & quomodo remouendi ſint. 479
Senſuum multitudo in vno loco non impedit quin argumentemur neceſſario. 652
Senſuum diuinæ ſcripturæ appellationes uariæ, ad certas ſpecies reuocantur. 637
Senſuum multitudo in ſcriptura non facit æquiuocationem. 650.& 651
Senſus literalis & ſpiritualis varie comparari poſſunt, & uter præſtantior. 665.& ſeq.
Senſus literalis ſcripturæ qui dicatur. 640. & 641
Senſus literalis ſcripturæ eſt ſemper uerus. 642
Senſus literalis qui non dicatur. 638.639. & 640

Senſu ex literari licet argumentari. 671. & 672
Senſus ſpiritualis ſcripturæ qui ſit. 656
Senſus ſpiritualis quid requirat. 657
Senſus ſpirituales cur tres. 658
Senſus ſpiritualis, an neceſſarium præbeat argumentum. 669. & ſeq.
Senſus ſpirituales quot ſint. 657. & 658
Senſus ſpirituales cur non ſint ita manifeſti. 674
Senſus ſpirituales non ſunt vbique quærendi. 653
Senſus ſpiritualis ſcripturæ qui ſit. 654. & 656
Senſus ſpiritualis rarius ſuppeditat argumentum. 673
Senſus ſpiritualis neceſſarium ſuppeditat argumentum. 672. & 673
Senſus ſpiritualis præſtantia quanta. 678. & 679
Sententia diui Thomæ in ſua ſumma quæ. 47
Sextus liber in iure canonico qui dicatur. 602
Similitudines conferunt ad res diuinas intelligendas. 686
Sine auxilio diuino nihil poſſumus facere. 127
Sine fide nemo placet Deo. 127
Sine auxilio ſupernaturali ſola cognitione naturali ſaluatur nemo. 169
Socratis vitia. 138
Speculatio in quo ſita ſit. 315
Spirituales ſenſus quo ordine collocandi. 666
Spirituales ſenſus plures in uno loco ſcripturæ. 659. & 660.
Spirituales ſenſus plures in lege ueteri, quam in noua. 664
Spirituales ſenſus ſunt etiam in nouo teſtamento. 662. & 663.
Spirituali ex ſenſu licet argumentum ducere. 584
Spirituali ex ſenſu, quando ducatur bonum argumentum. 585
Spiritualis ſenſus ſimpliciter eſt literali præſtantior. 667.
Spiritualis ſenſus quomodo nominari ſoleat. 668
Spiritus diuinus in quibus reperiatur. 470
Spiritus diuinus quomodo cómunicetur. 470. & 471
Spiritus diuinus in quo priuate reperiatur. 473
Subalternata ſcientia non eſt perfecta, niſi coniuncta cum ſuperiore. 240
Subalternatio quas conditiones requirat. 261
Subalternatio duplex. 262
Subalternationis tria genera. 262
Subiecti partes, paſſiones, & ſpecies, quales eſſe debeant. 377. & 375
Subiectum in ſcientia quibus nominibus appelletur. 370.
Subiectum ſcientiæ quibus modis diuidatur. 371
Subiectum ſcientiæ, quas conditiones requirat. 375. & 376.
Subiectum, ſiue obiectum formale in ſcientia, quod nam uocetur. 376
Subordinatio cauſſarum qualis ſit. 85
Studendi ratio optima. 704
Stulto quando reſpondendum, aut non reſpondendum ſit. 553
Sybillæ teſtimonium de Chriſto. 94
Symbolum continet principia ſpeculatiua Theologiæ. 18. & 19

## T

THEOLOGIA quid ſignificet. 2
Theologia quid ſit. 3. & 4
Theologia quotuplex. 2
Theologia in qua categoria reponatur. 5
Theologia ex quinque habitibus conflata. 221
Theologia myſtica quæ, & quid ſit. 31
Theologia eſt ſcientia argumentatiua. 418
Theologia habet aliquod certum obiectum. 385
Theologia ut eſt in nobis, eſt ſcientia finita. 404
Theologia quõ vtatur ratione humana. 414. & 415
Theologia quæ eſt in catholico quomodo diſtinguatur

tur ab ea quæ eſt in hæretico. 14
Theologia circa quas cõcluſiones uerſetur. 218. & 221
Theologia noſtra eſt eiuſdem rationis cum Theologia beatorum. 237
Theologia non eſt fides humana. 223
Theologia quomodo dicatur imperfecta ſcientia. 233
Theologia acquiſita eſt partim practica, partim ſpeculatiua. 326
Theologia non eſt ſcientia euidens. 250
Theologia noſtra & beatorũ habẽt idẽ obiectum. 391
Theologia dupliciter conſideratur. 234
Theologia non eſt practica & ſpeculatiua formaliter, 323.
Theologia quomodo vtatur alijs ſcientijs. 334
Theologia quomodo ſit una ſcientia. 298. & 299
Theologia noſtra eſt uere ſcientia. 235
Theologiæ adæquatum obiectum nõ eſt Chriſtus. 386
Theologia eſt maxime ſapientia. 363
Theologia noſtra eſt magis ſpeculatiua, quam practica. 328
Theologia noſtra cur dicatur imperfecta ſciẽtia. 236
Theologia non põt dici proprie ſentẽtia reuelata. 65
Theologia quid conſideret circa concluſiones. 26
Theologia, ex ſe, eſt ſcientia certa. 345
Theologia poſitiua quæ. 28. & 30
Theologia noſtra, & beatorũ qũo diſtinguatur. 15. & 16
Theologia noſtra quomodo poſſit dici ſubalternata ſcientiæ beatorum. 267
Theologia principiorum, ſeu fides eſt unus habitus ſpecie. 298
Theologia noſtra non eſt proprie ſubalternata Theologiæ beatorum. 266
Theologia circa ſua principia quid præſtet. 25. & 26
Theologia & Metaphyſica qũo differant. 360. & 362
Theologia quomodo diſtinguatur a Metaphyſica. 14. 297. & 298.
Theologia eſt quædam qualitas, & accidens, quo modo eſt una ratione ſubiecti. 290

Theo-

INDEX.

Theologia vera non eſt in hæretico. 6
Theologia eſt partim diuina partim humana. 8
Theologia ſcholaſtica laudata. 453
Theologia ſcholaſtica, & poſitiua quomodo differant. 30. 31. & 162.
Theologia habet priuatos locos. 571
Theologia an ſit ſapientia. 358. & 359
Theologia eſt uere ſapientia. 361
Theologia principiorum, ſiue habitus fidei, eſt eminenter practica & ſpeculatiua. 326
Theologia quomodo diſtinguatur a ſeptem donis ſpiritusſancti. 16
Theologia emendat omnes humanas ſcientias. 362
Theologia beatorum triplex. 264
Theologia humana triplex. 13
Theologia Dei & beatorum eſt vere & proprie ſcientia. 234
Theologia non eſt fides diuina. 224
Theologiæ principia quæ, & quot ſint. 17. & 18
Theologiæ dignitas ex cauſſa efficiente. 337
Theologiæ habitus non eſt opinio. 224
Theologiæ dignitas quanta ſit, & unde: 383
Theologiæ finis. 12. 338. 394. & 474
Theologiæ obiectum principale eſt Chriſtus. 391
Theologiæ obiectum eſt Deus, ut Deus. 389
Theologiæ principia ſpeculatiua & practica. 18. & 19
Theologiæ ſubiectum in quo ineſt, quod ſit. 6
Theologiæ quomodo ſint omnes res ſubiectæ. 402
Theologiæ obiectum quod ſit. 7
Theologiæ acquiſitæ habitus pmanebit in patria. 271
Theologiæ conueniunt proprietates ſapientiæ. 362. & 363.
Theologiæ ſcholaſticæ utilitas. 454
Theologię ſcholaſticæ ſubſtantia eſt in ſanctis patribus. 38
Theologiæ obiectum, non eſt opus meritorium. 386
Theologiæ dignitas ex eius ſubiecto. 337
Theologiæ variæ diuiſiones. 28. & 29

Theologiæ

Theologię principia nõ poſſunt euidẽter probari. 488
Theologiæ tres fines. 208
Theologiæ obiectum non eſt Deus, ſub aliqua limitatione alicuius attributi. 387
Theologiæ cauſſa efficiens. 9
Theologiæ forma quæ. 8
Theologiæ definitio. 5
Theologiæ duo prima principia quæ. 19. & 20
Theologiæ uariæ ſecundum Caietanum. 257. & 258
Theologo an omnia quæſtionum genera ſint tractanda. 531. & 532
Theologi qui principia ignorent. 20
Theologi, quãdo canoniſtarũ auctoritate vtantur. 616
Theologi munus eſt errores refellere. 543
Theologi cur reprehenſi. 27
Theologi perfecti pauci. 28
Theologus qua ratione de rebus diuinis agat. 416
Theologus a ſimplici fideli, quomodo differat. 480
Theologus quando poſſit tractare quæſtionem de re humana. 526
Theologus in caſibus conſcientiæ diſcernendis plus valet, quam canoniſta. 616
Theologus quomodo contra aduerſarios pugnet. 491
Theologus abſolutus qui dicatur. 21
Theologus quid ſignificet. 1
Theologus bonus qui dicatur. 4
Theologus non poteſt euidenter demonſtrare, argumenta, quæ fiunt contra fidem eſſe falſa, poteſt tamen ea euidenter ſoluere. 488. & 489
Theologus quas q̃ſtiones tractare debeat. 525. & 526
Theologus quid ſit. 14
Theologus auctoritatib. potiſſimũ pugnare debet. 428
D. Thomas Aquinas familiarẽ habuit Aguſtinum. 39
D. Thomas quem ordinem ſeruet in rebus tractandis. 52. & 53
D. Thomæ laus, & commendatio. 471
D. Thomæ doctrina quanti facienda. 472. & 473
Thracum vitia. 141

Tractatio

INDEX.

Tractatio de Deo quomodo diuidi poſſit. 44
Traditione ex q̃uo argumentemur neceſſario. 591
Traditione ex q̃uo male ducatur argumentum. 592
Traditione ex quãdo argumẽtemur probabiliter. 592
Traditio diuina æquiparatur ſcripturæ. 591
Traditio quid ſit. 586
Traditio quotuplex. 586. 587. & 588
Traditio quid ſignificet. 586
Traditio quæ cenſeatur uerbum Dei. 545
Traditiones quomodo cognoſcendæ. 589. & 590
Traditiones diuinæ quæ. 590
Tria rerum genera, quæ per Pontificem fiunt in eccleſia. 540. & 547
Trinitatis myſterium olim reuelatum fuit. 148
Turcarum religio cur damnanda. 425

## V

VALENTINIANI occultabant ueritatem. 682
Variæ de Deo opiniones. 111
Verba ſcripturæ diuinæ ex uno in alium locum tranſlata, quem ſenſum faciant. 654
Verba noua docendi cauſſa adhibenda. 451
Verbi diuini natura quæ. 475
Verbi diuini uis quanta. 464
Verum vero non eſt contrarium. 180
Verum, eſt uero conſonum. 447
Veritatem qui inuenire poſſint. 444
Veritas non eſt relinquenda etiam ſi argumenta contraria ſolui nequeant. 490. & 491
Veritas naturalis non eſt contraria veritati fidei. 485. & 486.
Veritas intellectus quid ſit. 317
Veritas catholica eſt duplex. 563
Veritatis proprietates quæ. 476
Veritates naturales quomodo naturaliter cognitæ fuerint. 170

Verita-

Veritates omnes naturales non poſſunt ab omnibus cognoſci. 169
Via ad cognoſcendum Deum quæ. 12
Virtus doceri non poteſt. 143
Vnitas quomodo ſumatur in ſubſtantijs & accidentibus. 281
Vnitas triplex. 280
Vnum, quid ſit. 280
Vnus populus in duos fuit diuiſus. 154
Vocabula quæ fugienda ſit. 517
Vocabulis ambiguis quomodo utendum. 517. & 518
Vocibus nouis quibus uti liceat. 516
Vti quid ſit. 43

FINIS.



# INDEX LOCORVM COMMVNIVM

## LIBRI SEXTI.

### A

*Acceptio perſonarum.* 772
*Acedia.* 774
*Adoratio imaginum.* 789
*Adoratio pedum Rom. Pontificis.* 759
*Ambitio.* 775
*Amicitia.* 764
*Amor.* 763
*Angelus.* 741
*Anima.* 743
*Animæ immortalitas.* 745
*Animæ origo.* 744
*Animæ potentiæ.* 745
*Animæ opera.* 744
*Auaritia.* 774
*Aſtrologia.* 746. & 747
*Aſtrologorum iudicia.* 745. & 746.

### B

*Baptiſmus.* 791
*Baptiſmus paruulorum.* 793
*Beatitudo.* 811
*Bellum.* 765
*Beneficium.* 771
*Beneficiorum pluralitas.* 771
*Bigamia.* 808
*Bonum & malum.* 740

### C

*Cambium.* 770
*Canonizatio Sanctorum.* 788
*Cardinalis.* 777
*Caritas.* 763
*Caſtitas.* 781
*Caſuum conſcientiæ ſcriptores.* 813
*Cenſus.* 770
*Cenſura.* 804
*Ceremoniæ.* 803
*Chriſtus.* 783. & ſeq.
*Chriſti caro uera.* 786
*Chriſti genealogia.* 785
*Circunciſio.* 794
*Clericus.* 779
*Cœlorum actio.* 745
*Communium locorum ſcriptores.* 813
*Conciliorum ſumma.* 769
*Correctio.* 765
*Creatio.* 739
*Creaturæ nõ ſunt malæ.* 740
*Concilium.* 759
*Cõcilij Trident. defenſio.* 760
*Conſilia euangelica.* 750
*Conciliatio.* 765
*Confeſſio.* 798
*Confirmatio.* 794
*Conceptione B. Mariæ.* 790

Con-

*Concionandi ratio.* 814
*Concordia.* 764
*Coniugatus.* 782
*Contritio.* 800
*Conſuetudo.* 755
*Contemplatiua uita.* 782
*Contractus.* 767

§ D §

*DEcimæ.* 772
*Deus an viſus in hac vita.* 726
*Deus a nobis cognitus.* 725
*Deus unus.* 725
*Deus, de Deo qui ſcripſerint.* 717.
*Dei ſcientia.* 727
*Dei amor.* 730
*Dei præſcientia.* 728
*Dei miſericordia.* 730
*Dei exiſtentia in rebus.* 724
*Dei vita.* 729
*Dei dilectio.* 764
*Dei potentia.* 728
*Dei infinitas.* 724
*Dei deſcriptiones.* 720
*Dei exiſtentia.* 721
*Dei voluntas.* 729
*Dei nomina.* 719
*Deum eſſe perfectum.* 724
*Deum non creaſſe mala.* 740
*Deũ eſſe immutabilem.* 725
*Deum eſſe ſuam eſſentiam.* 723.
*Deum eſſe incorporeum.* 722
*Deum eſſe ſimplicem.* 723
*Deũ carere accidentibus.* 723
*Dæmon.* 741
*Dilectio proximi & inimici.* 764.
*Diſpenſatio.* 756
*Dominium.* 766
*Dona Spiritus ſancti.* 750

§ E §

*ECcleſia.* 757
*Eccleſiæ miniſtri.* 804
*Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores.* 812
*Eleemoſyna.* 766
*Epiſcopus.* 777
*Euchariſtia.* 795
*Excommunicatio.* 804
*Extremę unctionis Sacramentum.* 805

§ F §

*FAma.* 772
*Fatum.* 74
*Fides.* 756
*Fides & opera.* 757
*Finis hominis, & felicitas.* 81
*Fortitudo.* 773
*Fortuna.* 74
*Furtum.* 76

§ G §

*GLoria.* 77
*Gratia.* 748. & 751

§ H §

*HÆreſis.* 761
*Hęreticus.* 761
*Hebræos contra qui ſcripſerint.* 81
*Homicidium.* 768

Homi-



*Hominis creatio.* 743
*Hominis lapſus.* 743
*Hominis dignitas.* 744
*Honor.* 772
*Horæ canonicæ.* 802
*Humanæ actiones.* 747
*Hypoſtaſis.* 737

§ I §

*IDea.* 728
*Ieiunium.* 776
*Imaginum cultus.* 789
*Incarnatio.* 783
*Indulgentia.* 801
*Infernus.* 811
*Ingenitum.* 738
*Ingratitudo.* 775
*Iniuriarum remiſſio.* 764
*Interdictum.* 804
*Inuidia.* 774
*Inuocatio ſanctorum.* 788
*Iobelæum.* 801
*Ira.* 774
*Irregularitas.* 804
*Iudex.* 780
*Iudæi & infideles.* 763
*Iudicium.* 767
*Iudicium finale.* 810
*Iuramentum.* 775
*Iuſtificatio.* 752
*Ius.* 767
*Iuſtitia.* 773

§ L §

*LEgatus.* 779
*Laus.* 772. & 773
*Leges.* 754
*Lex pœnalis.* 754
*Lex vetus.* 755
*Liberum arbitrium.* 747
*Ludus.* 771

§ M §

*MAleficium.* 742. & 743
*Mariæ virginis laudes.* 791
*Matrimonium.* 804
*Mercatorum vita.* 782
*Meritum.* 752
*Miles.* 781
*Miracula.* 788
*Miſſæ ſacrificium.* 797
*Monachus.* 780
*Mundi creatio.* 739

§ N §

*NAturæ duæ in Chriſto.* 786.
*Natura & hypoſtaſis.* 737
*Nobilitas.* 723
*Nobilium vita.* 782
*Nuptiæ.* 809

§ O §

*OBedientia.* 774
*Obligatio pręcepti.* 756
*Oratio.* 802
*Ordinis Sacramentum.* 804
*Ornatus mulierum.* 775

§ P §

*PAſſio Chriſti.* 788
*Patientia.* 774
*Paupertas.* 766
*Pax.* 764
*Peccatum.* 749

Pecca-

# INDEX.


*Peccatum originale.* 751
*Peccatum mortale.* 775
*Peccatum veniale.* 775
*Penſio.* 771
*Perſona.* 737
*Pœnitentia.* 798
*Pollutio.* 775
*Pontifex.* 757
*Præcepta decalogi.* 755
*Præcedentia.* 773
*Prædeſtinatio.* 731
*Princeps.* 779
*Prophetia.* 782
*Prouidentia.* 730
*Prudentia.* 773
*Pudicitia.* 774
*Pulchrum.* 741
*Purgatorium.* 800

R

*Religioſus.* 780
*Religionis Chriſtianæ defenſores.* 814
*Reliquię ſanctorum.* 790
*Reſidentia.* 772
*Reſtitutio.* 769
*Reſurrectio.* 809

S

*Sacerdos.* 779
*Sacramentum.* 791
*Scandalum.* 774
*Schiſma.* 757
*Scholaris.* 781
*Simonia.* 772
*Societas.* 770
*Solitaria vita.* 780
*Sortes.* 755
*Sortilegium.* 742
*Spes.* 763
*Spiritusſanctus.* 738
*Status hominum.* 777
*Strigiæ.* 742
*Summiſtę.* 813
*Summum bonum.* 811
*Symbolum.* 761

T

*Theologiæ ſtudium.* 814
*Traditio.* 803
*Trinitas.* 733
*Trinitatis exempla.* 738

V

*Verbum.* 737
*Veritas.* 729
*Vidua.* 781
*Vindicta.* 765
*Virginitas.* 781
*Virgo.* 781
*Virtus.* 749. 773
*Virtutes morales.* 756. 773
*Virtutes Theologicæ.* 756
*Vitium.* 749
*Votum.* 776
*Vſura.* 769


FINIS.

# INTRODVCTIONIS
## In Sacram Theologiam,
## *Liber Primus:*

In quo facili, ac breui quadam ratione, cauſſæ, concluſiones, officium, ac partes ſacræ Theologiæ explicantur.

### *De nomine & definitione Theologiæ, atque Theologi. Cap. I.*

QVONIAM omnis de re aliqua ſuſcepta diſputatio, vt viri docti tradunt, a definitione proficiſci debet; vt quid ſit id, de quo agitur perſpicuum fiat: propterea, cum omnis noſter de Theologia ſit futurus ſermo, ab eius definitione nobis initium capiendum fuit. Et cum tota definitionis vis in duas ſit diſtributa partes, quarum altera vocis ſignificationem, altera vero rei per vocem ſigni-

Cicero li. 1. offic. Rufus Epheſius, li. 1. c. 1.

ſignificatæ naturam exponit; vtramque partem hoc capite, breuiter, atque dilucide explicare conabimur: ac primum quidem nominis etymologiam, quam cognitionis principium eſſe putauit Socrates: cum quoduis vocabulum, ſi eius rationem perſpexeris, proprij muneris, auctore Epicteto, functionem deſcribat. Hæc igitur vox, Theologia, a Græcis accepta, ex duabus conficitur vocibus, nimirum, ex, Theos, Latine, Deus; &, Logos, Latine, ſermo: quo fit, vt Theologia idem ſignificet, quod de Deo, vel de rebus diuinis ſermo. Hinc dictus eſt Theologus, is qui res diuinas nouit, vel de rebus agit diuinis; & theologin, ſeu theologari, ideſt de rebus diuinis diſſerere; & theologicum, quod ad theologiam pertinet. Vnde autem vox, Theos, originem ducat, varie a ſcriptoribus Græcis explicatur: qua de re alias a nobis oportuniore loco latius ſcribetur. Logos etiam, ſiue ratio, apud ſacros & profanos ſcriptores vſus habet varios, quos in præſenti recenſere, nihil eſt neceſſe. Hoc itaque nomen, Theologia, in hac ſuſcepta diſputatione, facultatem, ſiue ſcientiam, quæ res diuinas tractat, deſignat: & Theologus, eum, qui in hac facultate verſatur, & diuina nouit. Atque de nominis etymologia, pro noſtro inſtituto, hæc dixiſſe ſufficiat: nunc de re ipſa dicamus. Vt autem quid ſit ea Theologia, quam nos finituri ſumus, intelligatur, animaduertendum eſt, duplicem eſſe Theologiam; alteram naturalem, quæ

Ariſt. li. 1. poſt. c. 1. Apud Arrianum.

Damaſc. lib. 1. de fide. Theophi. lib. 1. Anaſtaſ. Sinaita lib. 6. in hexam.

per



per creaturas, quæ ſunt diuini numinis effecta, in rerum diuinarum cognitionem venit, & ratiocinatione, naturæq; viribus acquiritur. Quæ doctrina olim apud Poetas, veluti apud Orpheũ, Pindarum, Heſiodum, Parmenidem, & alios fuit: ijdem enim quondã erant Poetæ, & Theologi, vt Plutarchus, & Auguſtinus ſcribunt. Cuius poſtea poſſeſſio tranſiuit ad Philoſophos, & priuatim ad Ariſtotelem; qui hanc de diuina natura ſcientiam in libris metaphyſicis tradidit: quam primam & diuinam philoſophiam, quæ optimam immortalemq; ſubſtantiam ſpeculatur, appellant. Alteram vero, quæ ex rebus diuinitus reuelatis, tanquam ex quibuſdam principijs, ratiocinando eas veritates, quæ in illis poteſtate continentur, colligit, ex quibus ipſa conflatur: quæ olim apud Hebræos erat; nunc vero apud Chriſtianos reperitur: & hanc Theologiam nos finituri, & de hac verba facturi ſumus: quam quidam auctor hac ratione deſcripſit. Theologia ſcientia eſt, quæ docet, quidnam natura diuina ſit, & quæ naturæ eius vires, ac proprietates: quæ deſcriptio potius philoſophicæ, quam Chriſtianæ Theologiæ quadrat. Nos vero noſtram Theologiam hunc in modum conuenienter deſcribi poſſe, arbitramur. Theologia, eſt rerum diuinarum ex ijs, quæ a Deo reuelata ſunt, doctrina: quæ deſcriptio hoc pacto accipienda eſt. Dicitur doctrina, quia potiſſimum a Deo doctore habetur: quæ particula,

Opuſcul. cur Pythia non reddat oracula. li. 18. de ciu.

Melchior Cano lib. 12. de loc. Theolog. cap. 2.

 loco

loco generis, in hac definitione ponitur: cum Theologia ſit cognitionis habitus, in quo cum ceteris cognitionis habitibus cōuenit. Dicitur, rerum diuinarum, vt per hanc particulam ſumptam a materia, ſiue ab obiecto ab alijs cognitionis habitibus, qui diuina non tractant, diſtinguatur. Dicitur poſtremo, ex his, quæ a Deo reuelata ſunt, vt hanc noſtram Theologiam, ab humana, nimirum a Metaphyſica, quæ vim diuinam ex principijs naturæ vi cognitis, explicat, ſegregemus: cum noſtra, ex alijs, vt eſt dictum, conficiatur initijs. Vir quidam pius, Theologiam cum actione coniunctam, hunc in modum definiuit. Theologia eſt quæpie admodum experimentalis de Deo cognitio, habitam per coniunctionem affectus ſpiritualis cum eodem, dum eidem adhæret, vt vnus cum eo ſpiritus fiat. Qua cognitione ij potiſſimum ſunt ornati, qui myſtica Theologia delectantur. Huc ſpectaſſe videtur is, qui Theologum, hunc in modum finiuit. Theologus eſt vir bonus rerum diuinarum peritus. Bonitatem ergo, & rerum diuinarum notitiam in bono Thelogo, hic bonus ſane Theologus requirebat. Quod etiam expreſſiſſe videtur regius propheta, cum cecinit: Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me: quia mandatis tuis credidi. Ex quibus plane verbis, quæ ad Theologiam comparandam ſint neceſſaria, facile colligeres: ſunt autem iſta, Fides, vitæ integritas, diuina eruditio, mentiſq; agitatio.

Henric. Harph.

Ioã. Gerſ. lib. 4. de conſ. proſa 4.

Pſal. 118.



agitatio. Vis Theologus aliquando euadere, dixit Gregorius ille, qui cognomento dictus eſt Theologus, leges ſerua, per mandata gradere: actio enim ſpeculationis eſt fundamentum: ſed hac de re accuratius alibi. Et quamuis ex allatis deſcriptionibus quæ ſit Theologiæ natura ſatis eluceat: tamen, cum illæ definitiones rem aliquam plenius exponant, quæ per omnes traduntur cauſſas, iterum hac ratione Theologiam deſcriberes: Theologia eſt habitus ſcientificus de rebus diuinis, ex ijs, quæ a Deo reuelata ſunt, intellectus humani fide & ſcientijs naturalibus illuſtrati, ratiocinatione, ad cognitionem Dei perfecte conſequendam, acquiſitus. In hac finitione omnes huius doctrinæ cauſſæ continentur, quas deinceps eam exponendo, perſpicue demonſtrabo.

Orat. de ſtatu epiſcop.

## *De cauſſa materiali & formali ſacræ Theologiæ. Cap. II.*

Sacræ Theologiæ cauſſas explicaturus, a materiali, quæ duplex eſt, altera in qua Theologia verſatur, vel quam tractat, altera in qua, veluti accidens in ſuo ſubiecto, inhæret, initium capiam: ac primum quidem de materia, ſiue ſubiecto, in quo reperitur, verba faciam. Cum ergo Theologia reponatur in categoria qualitatis, & in prima eiuſdem categoriæ ſpecie, quæ eſt habitus, tanquam accidens, in aliquo erit ſubiecto.

ᵭo. Hoc ſubieᵭum, vt in allata definitione diximus, eſt intellectus humanus lumine fidei & humanis ſcientijs illuſtratus, in quo, tanquam in ſua ſede, Theologia reſidet. Quod autem intellectus, in quo futura eſt hæc doctrina, fidei lumine illuſtratus eſſe debeat, aperte demonſtratur his ſacræ ſcripturæ verbis: ſi non credideritis, non permanebitis; hoc eſt, niſi prius quæ in hac doctrina docentur, fide tenueritis, ea intelligere minime poteritis. Huc etiam pertinet hæc Dauidis ſententia: Credidi propter quod locutus ſum, id eſt, propterea de rebus diuinis ſermonem habui, ſiue, ideo eas intellexi, quia prius credidi. Idem hæc luculenta Clementis Alexandrini confirmat auctoritas: Quo modo admirabilem & ſupernaturalem contemplationem capere poterit animus, ſi in eis diſcendis pugnet infidelitas? Accedat etiam ad idem corroborandum hæc firmiſſima ratio. Scientia, vt Philoſophus docet, ſuppônit principiorum cognitionem, ex quibus principijs ratiocinando concluſiones colligit, vnde ipſa conficitur: at noſtra Theologia ex rebus a Deo reuelatis, quæ ſola fide attinguntur, quaſi ex quibuſdam principijs, proficiſcitur: igitur hæc doctrina intelleᵭum lumine fidei illuſtratum requiret. Ex quibus colligeres, in homine fide orbato, vt eſt hęreticus, non eſſe veram Theologiam, cum in eo fidei lumen ſit extinᵭum; quo fit, vt veram principiorum notitiam non habeat. Quod autem hæc

Lib. Fons vitæ. c.9.
Iſa. 7.
Pſal. 115.
Lib. 2. Strom.
Lib. 1. Poſter.



hæc ſacra doctrina requirat intelleᵭum humanis ſcientijs inſtruᵭum, primum ex eo patet, quod multa, quæ in ea diſputantur, nullo modo ſine aliarum ſcientiarum præſidio, vt experientia ipſa docet, intelligi quæunt. Deinde, quoniam hæc ſcientia eſt veluti omnium aliarum ſcientiarum domina, atque regina, quibus tanquam quibuſdam ancillis, vt alio loco latius exponam, ad ſua munera obeunda vtitur. Philoſophia, ait Alexandrinus Clemens, confert ad veritatem, cum ſit inquiſitio veritatis: non quod ſit cauſſa comprehenſionis eius, ſed cauſſa cũ alijs: hoc eſt, philoſophiæ notitia non eſt per ſe cauſſa cur quis res diuinas cognoſcat; ſed ad eas intelligendas iuuat. Concludamus igitur humanum intelleᵭum hoc duplici lumine illuſtratum eſſe noſtræ Theologiæ ſubieᵭum. Nunc, quæ ſit materia, quam traᵭat, paucis, plura infra dicturi, explicemus. Cum ergo Theologia ſit cognitionis habitus, aliquod debet habere ſubieᵭum, quod traᵭet, & in quo explicando verſetur. Hoc autem, vt in vtraque deſcriptione diximus, ſunt res diuinæ, quarum duo ſunt genera: alterum earum, quæ naturæ viribus cognoſci queunt; vt Deum eſſe, rerum a ſe creatarum procurationem habere, ab omni æternitate exiſtere, & huius generis aliæ: alterum earum, quæ humana vi attingi minime poſſunt: vt, Deum eſſe trinum & vnum: in diuinis eſſe perſonarum proceſſionem: Deum humanam carnem ſibi vnire, & aliæ huiuſmodi,

D. Bonau. in Breuiloq.
Prou. 8.
Lib. Fons Vitæ. c.9.

iuſmodi, quæ ſola fide percipiuntur. Et in hoc poſtremo rerum genere explicãdo noſtra Theologia priuatim eſt occupata. Quod & ſi multa in ea conſiderantur, quæ non ſunt res diuinæ, vt ſunt Angeli, humanæ actiones, & id genus alia; tamen iſtarum rerum tractatio ad Deum refertur, vt explicatius alibi dicetur. Atque hæc de vtraque materia ſufficiant: ſequitur vt de forma dicamus. Forma in accidentibus, vt ex Auerroe diſcimus, eſt aliquod eorum ſuperius attributum, ſeu ſuperiora prædicata eſſentialia. Vt ſi de me quæreres: quæ ſit forma albedinis, dicerem, eſſe colorem, cum color ſit quoddam ſuperius, & eſſentiale albedinis attributum. Pari ratione forma alicuius habitus cognitionis, erunt eius ſuperiora & intrinſeca prædicata, quæ illi habitui proprie attribuuntur. Ad rem igitur, Theologiæ forma, in primis, in hoc eſt ſita, quod ſit doctrina diſcurſiua: quia a rebus reuelatis ad res non reuelatas ratiocinando procedit, & a notis ad ignota. Deinde, vt alibi latius demonſtrabitur, partim eſt practica, partim ſpeculatiua, vel eminenter vtrunque; cum conſtet, & conflata ſit ex cõcluſionibus tum practicis, tum ſpeculatiuis, quas ex principijs eiuſdem rationis per ratiocinationem elicit. Denique partim eſt humana, partim diuina: diuina quidem, quoniam a Deo ſua principia per reuelationem accipit; humana vero, quia ex datis principijs, humano diſcurſu, cõcluſiones, ex quibus conficitur, educit.

Auer.



cit. Ex his ergo quæ ſint internæ huius doctrinæ cauſſæ, haud obſcure conſtare arbitror. Ad alias igitur explicandas tranſitum faciamus.

### *De cauſſa efficiente & finali ſacræ Theologiæ. Cap. III.*

DVÆ nobis reſtant Theologiæ cauſſæ explicandæ, efficiens, & finis: quæ licet ſint externæ; tamen earum notitia ad rem quamlibet plene cognoſcendam plurimum confert: ac proinde de his etiam, definitionem allatam melius declarantes, aliquid dicendum eſt. Effectrix huius doctrinę cauſſa, partim eſt Deus opt. max. partim vero humana ratio. Dicitur Deus conficiens Theologiæ cauſſa, prout eius principia nobis reuelat. Reuelat autem Deus aliquid trifariam: primum per rationis lumen humanis mentibus a natura inditum: quo lumine ea nobis manifeſtari dicuntur, quorum notitiam humanus intellectus ſua vi poteſt attingere. Huc pertinet illud Pauli: quod notum eſt Dei, id eſt, quod naturaliter de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis, id eſt, illis. Deus enim illis manifeſtauit. Dicitur Deus hæc nobis manifeſtare, primo, quia nobis lumen intellectus quo iſta cognoſcuntur tribuit. De hoc lumine intelligitur illud: ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Hortabatur hoc loco regius Propheta ſuos milites ad honeſte pieq; viuendum:

Raim. in ſua natur. Theolog.

Rom. 1.

M. Anto. Natta orat. de Locu. Dei.

Pſal. 4.

uendum: & cum illi ſeſe excuſarent, quod quid ſibi agendũ eſſet, neſcirent; dicentes, quis oſtendit nobis bona? ac ſi dixiſſent, nullum habemus præceptorem, qui quæ agere debeamus nobis commonſtret; doctiſſimus Rex ad hoc rationis lumen, quo nos Deus docet, eos reuocauit. De eodem lumine Cyrillus Alexandrinus intellexit illud: Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Verbum, inquit doctus pater, non docendo, ſed potius creando, vt Deus, cuique ſemen ſapientiæ, ac intelligentiæ radices inſerit. Dicitur deinde Deus, reuelare veritates, quæ de ipſo naturaliter cognoſcuntur; quia creaturas condidit, in quibus veſtigia cernuntur diuinitatis: non ſecus ac in horologio, quod certa quadam lege mouetur, humanæ rationis apparent indicia: ex quibus creaturis, tanquam ex ſcriptis libris, multa de Deo, ſolis naturæ viribus, cognoſcere fas eſt. Huc facit illud Pauli: Inuiſibilia ipſius, id eſt, ſapientia, bonitas, æternitas, & alia huius generis Dei attributa, a creatura mundi, id eſt, ab ipſa natura hominis; qui cum ſit præcipuus inter creaturas, per excellentiam, Creatura, nominatur, vel vt græcum verbum ſonat, a creatione & conſtitutione mundi, ideſt, ex ipſa creationis ratione, vel a mundi primordio, per ea quæ facta ſunt, hoc eſt per creaturas ipſas, intellecta conſpiciuntur. Reuelat poſtea Deus aliquid per lumen ſupernaturale, quod duplex eſt: alterum fidei, alterum gloriæ. De

Cyril. in Ioan.
Ioan. 1.
Sap. 13.
Rom. 1.



De priore lumine loquitur Paulus, cum ait: Prius autem quam veniret fides, ſub fide cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem, quæ reuelanda erat. De quo etiam intelligeres hunc locum: Confiteor, id eſt, laudo, & gratias ago, tibi Pater domine cœli & terræ, quod abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. De poſteriore, quod eſt tertium lumen, quo beatorum mentes illuſtrantur, intelligitur illud Ioannis: Qui autem diligit me, diligetur a patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo me ei: & illud pſalmographi: In lumine, id eſt, per lumen gloriæ, videbimus lumen, maieſtatem nimirum diuinam, & lumen illud, vnde omne emanat lumen. Ad rem igitur noſtram, Deus non eſt auctor noſtræ Theologiæ per lumen gloriæ, nec etiam per ſolum naturæ lumẽ, ſed priuatim per lumen fidei. Humanus vero intellectus eſt effectrix Theologiæ cauſſa, dupliciter modo: primum quidem, quoniam Theologicæ demonſtrationes non ſemper ex duabus propoſitionibus creditis proficiſcuntur, ſed interdum ex vna credita, & ex altera naturaliter cognita. Deinde, ratione conſecutionis, ſeu conſequentiæ: quia, & ſi demonſtratio ex vtraque propoſitione fide cognita, conſtet; tamen cõſecutionis euidentia, ſiue bonitas, naturali lumine percipitur. Atque hæc de cauſſa efficiente ſufficiant: nunc de finali. Sacræ Theologiæ finis, prout eſt ſpeculatiua, eſt perfecta Dei cognitio,

Gal. 3.
Luc. 10.
Cap. 14.
Pſal. 35.

gnitio, vt a nobis haberi poteſt. Nanque cuiuſq; ſcientiæ finis, eſt ſui obiecti notitia: cum ergo Deus ſit Theologiæ obiectum, Dei perfecta cognitio erit huius doctrinæ finis. Simili etiam ratione, vt eſt practica, eius finis eſt idem Deus: quia omnis humana operatio, quæ ab hac facultate proficiſcitur, ad Deum optimum maximum tandem refertur. Eſt præterea Theologiæ finis hominum ſalus: cum in hunc finem Deus hanc doctrinam hominibus dederit, vt ſalutem conſequantur. Etenim, vt ait Sapiens, neque verba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus, Domine, ſermo qui ſanat omnia. Quæ nunc docemus, hæc diui Clementis Alexandrini verba, quibus ſuam pedagogiam deſcripſit, apertiſſime confirmant. Pedagogia, inquit ipſe, eſt diuina religio: quæ eſt doctrina diuini cultus, & eruditio ad aſſequendam veritatis cognitionem, & recta inſtitutio, vitæ agendæ ratio, quæ in cœlum ducit. Huc ſpectaſſe videtur is, qui philoſophiam ſeu Theologiam humanam deſcribẽs, dixit: Philoſophia eſt frequens obtutus in cognoſcenda diuinitate, & ſancta religio. Et alio loco, docens qua via in Dei cognitionem veniatur, ſcripſit: Quæ tandem ad id ferat, vnica eſt via, pietas cognitioni coniuncta. Quædam huc pertinentia, ſi quis voluerit, apud Lactantium Firmianũ legat: nos omnibus Theologiæ cauſſis, prout ratio inſtitutionis poſtulat, patefactis, ad alia ſtylum conuertamus.

Sap. 16.

Lib. 1. pedag. c. 7.

Mercur. Triſm.

Lib. 4. c. 4

Qua



## *Qua ratione Chriſtiana Theologia differat ab alijs habitibus, qui aliquo modo circa Deum verſantur.* Cap. IIII.

OMNIS erroris, falſæq; opinionis cauſſa, vt Clemens Alexandrinus ſexto Stromatum libro ſcriptum reliquit, eſt, non poſſe diſcernere qua nam ratione inter ſe conueniant, quave differant, ea quæ ſunt. Vt igitur in explicanda Theologiæ natura omnẽ errorem vitemus, quo modo cum alijs habitibus, qui circa res diuinas verſantur, conueniat, & quo pacto ab eiſdem diſcrepet, nobis explicandum erit. Quattuor igitur ſunt cognitionis habitus, qui diuina aliquo pacto conſiderant; Theologia humana, Theologia beatorum, fides infuſa, & quędam Spiritus ſancti dona. Theologia humana triplex eſt: alia, quæ oritur ex principijs naturaliter cognitis, cuiuſmodi eſt Metaphyſica, quam ſcientiam diuinam, & myſticam antiqui appellare ſolebant: alia quæ procedit quidem ex principijs reuelatis, ſed tamen nititur fidei, & perſuaſioni humanæ, qualis eſt ea Theologia, quæ in homine hæretico reperitur: quæ improprie Theologia vocari poteſt, cum non habeat vera principia, lumine fidei cognita: alia eſt, quæ reperitur in homine fideli, quæ eſt vera Theologia; cum principijs per fidem cognitis innitatur. Cum his ergo habitibus in eo potiſſimum noſtra theologia conuenit, quod ſicuti iſti aliquo pacto res diuinas

uinas attingunt, ita ipſa quoque aliqua ratione circa diuinum numen verſatur. Quod autem ad diſtinctionem attinet, Theologia quæ eſt in homine hæretico, eo maxime a noſtra ſecernitur, quod non innititur principijs diuinitus reuelatis: cum in hæretico non ſit fides, per quam dicta principia percipiuntur. A Metaphyſica triplici de cauſſa diſtinguitur: primum ratione obiecti: quia Metaphyſica ſolum ea de Deo cognoſcit, quæ lumine naturali attingi poſſunt: at vero Theologia Chriſtiana, etiam ea contemplatur, quæ lumine ſupernaturali nobis non innoteſcunt. Differunt deinde ratione principiorum; cum vna ex principijs naturaliter cognitis procedat; altera vero per reuelationem ſua principia accipiat. Differunt poſtremo, ni fallor, ratione certitudinis: quoniam noſtra Theologia, tum ex parte principiorum, quæ a Deo reuelantur, ac proinde certiſſima ſunt, tum ex parte hominum, hæc principia credentium, quibus magis fideles adhærent, quam vlli humanę demonſtrationi, vt alibi dicetur, eſt multo certior. Has differētias indicaſſe mihi videtur Clemens Alexandrinus, cum hunc in modum ſcripſit: Et a noſtra ſeparatur græca veritas, & ſi idem nomen ſit ſortita, & propter magnitudinem cognitionis, & demonſtrationem principalem, & diuinam virtutem. Differt poſtea a fide infuſa, his potiſſimum de cauſſis: primum ratione obiecti; quia fides eſt ſolum de rebus creditis, hæc vero

Lib. 1. Stro.

etiam



etiam de ijs, quæ ex rebus creditis eliciuntur. Deinde ratione ſubiecti: quoniam fides reperitur in omnibus catholicis; hæc vero doctrina ſolummodo in ijs, qui eam didicerunt. Præterea diſtinguuntur ob rationē formalem cognoſcendi: ſiquidem fides aſſentitur omnibus rebus, quæ ſub ſe cadunt, ob hanc vnicam rationem, quia Deus dixit, ſiue reuelauit; ita vt ſola auctoritas diuina ſit credendi ratio: at vero noſtra Theologia vtitur ratiocinatione humana, per quam rebus perceptis aſſenſionem præbet, & cauſſam inquirit. Vt ecce: fides tenet in Chriſto fuiſſe diuinitatem impatibilem; cuius rei cauſſam noſtra Theologia reddit: nam cū Deus ſit actus purus, eſt etiam omnis perpeſſionis expers. Poſtremo, fides ad hanc doctrinam ſe habet tanquam habitus primorum principiorum ad ſcientiam, quæ eſt habitus ab illo diſtinctus, vt Ariſtoteles docet. Sicut enim ex habitu principiorum per ratiocinationem, & vſum humanæ comparantur ſcientiæ; ita ex ijs, quæ habitu fidei tenentur, hæc noſtra, accedente diſcurſu, acquiritur Theologia. Inter Theologiam hominum viatorum & eam, quæ in beatis reperitur, hæc potiſſimum ſunt diſcrimina. Primum diſtinguuntur ratione obiecti; quia beati per ſuam Theologiam longe plura, quam nos per noſtram de Deo cognoſcunt. Propterea Apoſtolus, cū raptus fuit ad tertium cœlum, Theologiæ beatorum particeps factus, quædam ſe vi-

Ariſt. lib. 6. Eth. li. 1. poſter. c. 1. & 2.

2. Cor. 12

diſſe

diſſe dixit, quæ non licet homini loqui, id eſt, quæ humana facultate percipi, & explicari nequeunt. Deinde in eo differunt, quod illorum Theologia vtitur lumine certo & claro; noſtra vero, certo quidem, ſed non claro, cum nos vi-
1.Cor.13 deamus per ſpeculum in ænigmate. Poſtremo, illa habet pro medio euidentiam principiorum, in quibus fundantur veritates, quas beatus cognoſcit; quia intellectus beatus lumine gloriæ corroboratus, ac eleuatus, clariſſime in eſſentia diuina videt veritates, quas nouit: at vero noſtra non cernit clare in ſuis principijs ea, quæ cognoſcit: cum principijs non aſſentiatur propter euidentiam, ſed ob Dei reuelantis aucto-
Lib. 1. Strom. ritatem. Qui, inquit Clemens, diuinis credit ſcripturis, demonſtrationem eius, qui dedit ſcripturas, vocem accipit. Denique, noſtra Theologia differt a donis Spiritus ſancti, quæ circa diuina verſantur, vt a ſapientia & intelle-
D.Tho.1. 2. q.68. ctu, quod hæc dona diuinitus a Deo infunduntur, & non reperiuntur niſi in eo, qui eſt in gratia conſtitutus: Theologia vero humanis viribus acquiritur, & in homine peccatore eſſe poteſt. Atque de re propoſita hæc ſatis.

## *Quæ ſint ſacræ Theologiæ principia. Cap. V.*

CVM Chriſtiana Theologia ſit habitus quidam cognitionis, quo res diuinæ percipiũtur, & omnis cognitionis habitus ex principiorum,



rum, & conclusionum notitia pendeat; vt huius doctrinæ vim, atque naturam melius patefacere poſſimus, de eius principijs & concluſionibus aliquid hoc loco, prout propædię ratio requirit, dicendum eſſe videtur: ac primum quidem de principijs. In omni arte, atque ſcientia, tam practica, quam ſpeculatiua principia quædam reperiri, atque prius cognoſci debere, apud omnes philoſophos certum atque exploratum ſemper fuit: cum omnis doctrina & diſciplina quæ humano modo acquiritur, auctore Ariſto- Lib. 1. poſt. c. 1.
tele, cui omnes aſſentiuntur, ex aliqua præexiſtenti cognitione fiat. Sunt autem, vt ex iam dictis intelligere licet, noſtræ Theologiæ principia in duplici differentia: altera naturali lumine cognita, cum interdum ex ijs, quæ vi naturæ percipiuntur ſuas concluſiones demonſtret: & de horum principiorum natura nihil nos in præſentia ſcripturi ſumus, cum hac de re ad Meta- Ariſt. lib.
phyſicum & Dialecticum diſſerere pertineat. 1. poſt.
Altera reuelata, & hæc ſunt huius ſcientiæ propria, hiſq; potiſſime vtitur. Horum principiorum natura hæc eſt, vt ſint certiſſima, cum innitantur lumini fidei, ſub quo nulla prorſus ratione, quidquid aliqui ſcripſerint, poteſt ſubeſſe falſum: verum tamen eſt, quod cum hac ſumma certitudine, obſcuritatem habent: cum intellectus humanus, dum in hac vita viuitur, ea clare nõ videat; licet ex ſe ſint maxime euidentia, & credibilia. Propria huius ſcientiæ principia,

cipia, quattuor modis ſumi a nobis poſſunt. Primum, latiſſime loquendo, Theologiæ principia ſunt ea omnia, quæ aliqua ratione ſub fidem cadunt, ac fide tenentur; fide inquam diuina, & non humana; ſiue a Deo immediate ſine vllo humano diſcurſu, reuelentur; ſiue mediate, intercedente humana opera, & induſtria: vt ſunt quæ ex decretis conciliorum, & ſummorum Pontificum, cum aliquid fide tenendum decernunt, creduntur: quæ pro principijs habentur. Deinde preſſius, Theologiæ principia dicuntur, quæ immediate a Deo reuelata fuere: & hæc ſunt in duplici genere: quædam ſunt ſcripta, & in libris canonicis habentur: quædam non ſcripta, quæ ſolum perpetua Eccleſiæ traditione ad nos perueniunt, & conſeruantur. Hoc duplex principiorum genus expreſſe nobis demonſtrauit Paulus, cũ Theſſalonicenſibus hunc
2.Theſ.1. in modum ſcripſit: Itaque fratres ſtate: & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Præterea, adhuc compreſſius, Theologiæ principia, quod ad partem ſpeculatiuam pertinet, ſunt ea, quæ Apoſtoli in ſymbolo collegerunt; duodecim nimirum articuli fidei: quod vero attinet ad partem practicam, decem legis præcepta ſunt veluti quædam decem recte agendi initia, ex quibus omnes concluſiones practicæ duci, & ad eadem reduci poſſunt. Quod fidei articuli, & decem legis præcepta rationem principiorum habeant, primum



primum ex eo patet, quod illi omnibus fidelibus, tanquam omnium credendorum capita proponuntur; hæc vero tanquam communes viuendi rationes & regulæ, quas qui ſeruat, honeſte & religioſe viuit. Deinde, ea in aliqua diſciplina dicuntur principia, quæ poteſtate continent concluſiones & veritates omnes, quæ in tali diſciplina explicantur: atqui articuli fidei complectuntur omnes veritates ſpeculatiuas, & decalogi præcepta omnes veritates practicas; principiorum igitur rationem habent. Minor propoſitio, quod ad articulos attinet, eſt manifeſta: quia omnes veritates ſpeculatiuæ ſunt de Deo, vel in ſe conſiderato, vel vt eſt creator, vel vt eſt inſtaurator, & iuſtificator, vel denique vt eſt finis, & glorificator: quarum veritatum principia in ſymbolo continentur: cum ibi proponantur articuli de Deo, de creatione, de diuinis perſonis, de Filij incarnatione & redemptione, & de Spiritus ſancti iuſtificatione; ac denique de carnis reſurrectione, vitaq; æterna, quæ eſt hominis finis. Quod etiam legis præcepta omnia quæ agenda ſunt complectantur, ex eo fit manifeſtum, quoniam per hæc elementa docemur amare Deum, & proximum: ex quo amore, vt Dominus docuit, omnes leges Matt.22.
& prophetæ pendent. Poſtremo, principia vniuerſaliſſima, & communiſſima, quæ ſe habent tanquam quædam dignitates in hac doctrina, ſunt illa duo, quæ Paulus ſummus Theologus,

 epiſtola

epiſtola ad Hebræos nobis tradidit: alterum, eſt, Deum exiſtere: alterum, Deum remuneratorem eſſe: quæ duo diuus Thomas, non tam articulos fidei, quam præambulum, ſeu viam ad fidem, eſſe exiſtimauit. Primum, ſcilicet Deum eſſe, omnes veritates ſpeculatiuas, alterũ, Deum remunerare, omnes veritates practicas continet: ex quibus omnes huius doctrinæ concluſiones effluunt, pariterq; eodem refluunt. Et hæc pro ratione huius propædiæ de principijs dixiſſe ſit ſatis: cum plura ſuo loco, infra, ſim dicturus. Ex quibus inferre licet, quantum errent ij, qui in albo Theologorum ſcribi volunt, & diuinas ſcripturas, apoſtolicas traditiones, ſacra concilia, atque Pontificum decreta parum cognita ac perſpecta habent. De quibus fas eſſet dicere; Eos ignorare principia: quo nihil abſurdius, de eo, qui aliquam profitetur artem, affirmari poteſt. Sed his omiſſis, ad Theologiæ concluſiones explicandas accedamus.

2. 2. q. 1. art. 5.

Lib. 4.

Legẽdus eſt D. Bonauẽt. de princ. ſcript. ſer. 19 Et in breuiloq.

## *Quæ ſint ſacræ Theologiæ concluſiones.* *Cap. VI.*

QVONIAM vero ſcientiarum habitus, non ſolum ex principijs, ſed etiam ex concluſionibus, quæ in ſcientijs demonſtrantur, vt ſupra ſcripſimus, conficiuntur; vt Theologiæ naturam adhuc melius dilucidemus de concluſionibus theologicis aliquid in hoc adytu docere

operæ-



operæpretium eſſe exiſtimaui. Vt autem quæ ſit theologica concluſio plenius intelligatur, quæ concluſiones ad Theologiam non pertineant, priore loco docebo. Non igitur quæuis concluſio, quæ in Theologia a quouis Theologo, demonſtratur, theologica putanda eſt: cum nonnulli Theologi in ſuis ſcriptis quaſdam cõcluſiones tractauerint, quæ ad Theologiam minime pertinent: vt, an ſyllogiſmus ſit obiectum Logices: an potentia ſit de eſſentia materiæ, & id genus alias; quæ ab inſtituto theologico quã longiſſime abſunt: quas qui tractãt, apud quoſdam, & iure quidem optimo, non ſatis bene audiunt. Deinde, non quæcunque concluſio, ſiue quæſtio quæ agit de rebus diuinis, vel ad Theologiam aliquo modo pertinentibus, theologica cenſeri debet; cum aliquæ inutiliter, & inepte tractentur. Vt, quid Deus ante mundi molitionem faceret: ſi duo coniuges ab inferis excitarentur, an priori matrimonio eſſent ligati, & aliæ harum ſimiles quæſtiones: de quibus omnibus inferius longiorem habebimus diſputationem. Memor itaque prudens Theologus nominis atque officij ſui, ſeria & ad ſe pertinentia tractet, & inanes, frigidas, alienaſq; diſputationes, a Paulo monitus, vitet. Eſt ergo concluſio theologica, quæ ex principijs a Deo reuelatis apte & vtiliter, ex vna ſaltem præmiſſa reuelata, de re Theologiæ ſubiecta, demonſtratur. Earum autem concluſionum, quæ ad Theolo-

Lib. 4. cap. 14.

Tit. 3.



giam

giam pertinent, & theologicæ dici poſſunt, variæ ſunt ſpecies. Nam aliæ ſunt ſpeculatiuæ; vt Deum eſſe ſempiternum, infinitum: aliæ practicæ, vt proximum eſſe amandum, baptiſmum ſuſcipiendum, eleemoſynam dandam eſſe, & aliæ harum ſimiles. Rurſus, aliæ ſunt neceſſariæ ad ſalutem, vt Chriſtum paſſum fuiſſe, ſolam fidem non iuſtificare: aliæ non neceſſariæ ad ſalutem, vt an beata Virgo concepta fuerit ſine peccato originali, ſine quo, vt exiſtimo, concepta fuit: an Paulus in raptu eſſentiam Dei viderit. Præterea, aliæ ſunt quę lumine naturali cognoſci poſſunt, vt Deum habere prouidentiam, hominem eſſe liberi arbitrij: aliæ mere ſupernaturales, vt Deum eſſe trinum & vnum, Filium carnem ſumpſiſſe humanam: aliæ vero ſunt mediæ, ſiue miſtæ, id eſt, partim naturales, partim ſupernaturales: vt, Deum eſſe infinitum duratione, virtute, & eſſentia. Item, aliæ demonſtrantur ex duabus propoſitionibus creditis, vt ſi ita argumentareris; Chriſtus paſſus eſt: ſed Chriſtus erat Deus, ergo Deus paſſus eſt: aliæ ex vna præmiſſa credita, & ex altera ſcita: vt, omnis homo eſt riſiuus: Chriſtus eſt homo, igitur riſiuus. Inſuper, aliæ habent veritatem conſequentiæ euidētem ex lumine fidei, vt hæc:
1.Cor.15 Chriſtus reſurrexit, igitur & nos reſurgemus: aliæ vero ex lumine naturali, vt iſta: Chriſtus eſt homo, igitur rationis particeps. Denique, aliæ ſunt concluſiones certa fide tenendæ, quas negare

gare



gare nullus fidelis poteſt: vt Chriſtum reſurrexiſſe, ſacerdotes vere peccata remittere: aliæ nō ſunt de fide, vt beatitudinem magis in amore, quam in cognitione conſiſtere, Deum potuiſſe facere, vel non facere mundum ab æterno, & huius generis aliæ. Illæ cenſentur de fide, quæ vel expreſſe habentur in ſcriptura, vel euidenter ex ſcriptura colliguntur, vel perpetua Eccleſiæ traditione tenentur, & denique illæ de quibus ab aliquo ſummo Pontifice, & Concilio, fide tenendas eſſe, ſtatutum eſt. Aliæ omnes, quę ſub iam numeratis non continentur, non ſunt de fide. Quarum aliæ ſunt certæ, vel probabiles quæ ſine vllo periculo, & ſine vlla culpa defendi poſſunt; vt illæ quę ſunt conformes diuinæ ſcripturæ, & ſanctorum patrum doctrinę: aliæ vero, quę ſine aliqua culpa & erroris periculo defendi nequeunt, quarum varij ſunt gradus. Nam aliæ ſunt male ſonantes; vt beatam Virginem peccaſſe venialiter: Deum homini præparato non dare gratiam: Aliæ ſcandaloſę, vt cum inimico debita ratione pacem petenti non eſſe neceſſarium pacem facere: peccare eos, qui dum ſacrum audiunt, dominicam orationem dicunt: Aliæ temerariæ, vt ſi quis contra omnes Theologos defenderet Chriſtum ab inſtanti incarnationis non vidiſſe clare diuinam eſſentiam: Aliæ ſapientes hæreſim, vt nos poſſe certos eſſe de gratia: Deum poſſe per ſe, vel per alios aliqua ratione mentiri. Quæ omnes con-

 cluſiones

cluſiones ita fugiendæ ſunt, ac ſi eſſent errores, vt plenius poſtea de quæſtionibus theologicis diſputando, dicemus.

Lib.4.

*Quod ſit ſacræ Theologiæ officium.*
*Cap. VII.*

OMNIS ſcientia circa duo potiſſimum occupata eſſe videtur, nimirum circa principia & concluſiones, ex quibus duabus partibus omnis conſtat, atque conficitur diſciplina. Quare, ad ſacræ Theologiæ officium explicandum, quid circa ſua principia & ſuas concluſiones tractet, exponere neceſſe erit. Et quoniam, vt Philoſophus ſcriptum reliquit, non eadem eſt principiorum & cōcluſionum tractatio, non eadem profecto ratione Theologia circa ſua principia & ſuas concluſiones verſabitur: vnde duplex oritur Theologiæ conſideratio: vna circa principia, altera circa concluſiones. Duo autem ſunt quæ potiſſimum aliqua ſcientia, & maxime quæ eſt architectonica, cuiuſmodi eſt Theologia, circa principia præſtat: primum, ea declarat, & exponit: deinde ſi negentur, & refellantur, ea probat, atque defendit. Quo loco reuocandum eſt in memoriam, quod ſupra diximus, hanc doctrinam habere principia in duplici genere; altera propria, & intrinſeca, ex quibus priuata ratione procedit, & ex quibus conſtat; & huiuſmodi ſunt ea, quæ per reuelationem

Lib.1. poſt.



tionem habentur: altera extrinſeca, quibus, cum ſit omnium ſcientiarum princeps, ad ſuas concluſiones conficiendas, explicandas, ac tuendas, ſuo quaſi iure, vtitur: in quo genere eſt humana auctoritas, & naturalis ratio. Circa principia propria, quæ auctoritatem diuinam continent, quattuor ſunt ſacræ Theologiæ conſiderationes. Prima eſt circa libros canonicos docendo qui ſint canonici, qui non: explicando qua ratione conſcripti ſint, & quo pacto ab alijs ſecernantur; & per quos fuerint ſcripti, & tranſlati: ac defendendo eos ab aduerſariorū calumnijs. Huc referres conſiderationem & tractationem de diuinis traditionibus, quæ ſunt verbum diuinum, non ſcriptum. Secunda conſideratio eſt circa doctrinam quæ libris canonicis, & traditione continetur: in hac conſideratione dantur, ac explicantur regulæ neceſſariæ ad veram intelligentiam diuinæ doctrinæ: agitur etiam de varietate ſenſuum ſacræ ſcripturæ. Huc pertinet eiuſdem doctrinæ defenſio, vel contra gentes, vel contra Iudæos, vel contra hæreticos. Contra gentes defenditur demonſtrando in ea nihil contineri, quod cum ratione pugnet: & oſtendendo eas rationes, quæ contra afferuntur, nihil neceſſario concludere. Contra Iudæos, & hæreticos, vel per nouam legem demonſtrando veterem, vel per veterem demonſtrando nouam: vel per vnum librum, qui admittitur probando ea, quæ negantur.

Lib. Fons Vitæ & Sapien.c.9.

Lege Ioā. Arborei tom.duos Theoſophiæ.

Tertia

**Conciliationes in totā ſcript. Seraphini Cumiani Feltrenſ. Iuniliū. Auguſt. Hermanū Bodiū qui collegit omnes locos diſſidentes: Petrum Conburnū qui locos difficiles exponit.**

Tertia conſideratio eſt circa conuenientiam & conformitatem eorum, quæ ſunt in diuinis literis; oſtendendo ſigna reſpondere rebus ſignatis, & figurata figuris, & ea quę pręceſſerunt, ijs quę ſecuta ſunt: vt cum Euangeliſtarum & prophetarum conſenſus demonſtratur. Poſtrema conſideratio eſt circa apparentes contrarietates, quę in ſacris libris reperiuntur, cōciliando omnia loca, oſtendendo nullam ibi eſſe veram contrarietatem: in qua re multi ex antiquis patribus, & ex recētioribus ſcriptoribus verſati ſunt. Huc referres cōſiderationem circa loca vel corrupta, vel male explicata, & ad errores ab hęreticis deflexa: in quo etiam aliqui ſcriptores vtiliter operam ſuam collocarunt. At vero circa principia externa quæ inter locos Theologicos recenſentur, conſiderat, quęnam ſint, quid valeant, & quo modo ex illis arguere liceat. Loci autem theologici, vt nunc breuiter eos numeremus, ſunt iſti. Diuina ſcriptura, apoſtolica traditio, auctoritas Eccleſię, auctoritas Pontificis Romani, auctoritas concilij vniuerſalis, auctoritas antiquorum patrum, auctoritas ſcholaſticorum, auctoritas philoſophorum, humana ratio, & hiſtorię teſtimonium. Ea autem Theologię conſideratio quę eſt circa concluſiones ex principijs illatas, triplex eſt. Prima, per quam varię ac multiplices cōcluſiones ex varijs principijs eruuntur: quo fit, vt hęc doctrina in dies augeatur, & amplificetur magis: & hinc eſt cur

hodie



hodie plura cognita, certa, ac reſoluta ſint, quam olim erant: cum nunc plura quęrantur, ac terminentur. Eſt ergo hęc conſideratio quaſi huiuſce noſtrę doctrinę inuentrix & auctrix. Secunda conſideratio, qua iudicium de concluſionibus inuentis fertur, dum docetur quid ſit fide tenendum, quid probabile, quid falſum, quid erroneum, & quid verum. Qua conſideratione hęc doctrina quaſi perpolitur, ac purgatur: qua in re ij laborarunt, qui errores aliorum damnarunt, & hæreſes confutarunt. Tertia, quę verſatur in colligendis concluſionibus, & maxime practicis, quę ad mores & vitam corrigendam, recteq; inſtituendam pertinent: qua in re ij operam collocarunt, qui caſus, quos vocant conſcientię, collegerunt: & hic eſt quidam Theologię fructus ſane maximus: quo fructu, ij Theologi carent, qui in ſola ſpeculatione occupati, quę ad praxim pertinent, intacta relinquunt. Quorum theologandi rationem Ioannes Gerſon, his verbis (poſita hac ſcripturę diuinę ſententia, Quæ pręcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, eleganter reprehendit) Quod non obſeruant multi Theologorum noſtri temporis, qui de moralibus, quaſi de rudibus materijs ſtudere, vel inquirere dedignantur: ſciemus, inquiunt, talia, cum volumus: cum tamen nulla ſit ad bene reſoluteq; cognoſcendum ſcientia difficilior, propter circunſtantiarum innumeras varietates. Ex quibus colligere licet quarum

**Iren. Epiphan. Aug. Alphon. a caſtro. Guido Carme. Gab. Pra. Hoſius. Dami. Roſci.**

**Eccli. 3.**

rerum

rerum cognitionem theologica complectatur ſcientia. Complectitur itaque primum cognitionem & intelligentiam ſacrarum literarum: deinde cognitionem dogmatum fidei, quo pertinet notitia decretorum Pontificum, conciliorum, & ſacrorum canonum: præterea cognitionem traditionum, rituum, conſuetudinumque Eccleſiæ, & doctrinæ patrum; quo eccleſiaſticarum hiſtoriarum notitia reducitur: Poſtremo cognitionem caſuum conſcientiæ. Verum, cum pauci ſint, qui hæc omnia cognoſcant, pauci etiam ſunt perfecti Theologi. Ex dictis etiam intelligi facile licet, quæ ſint boni Theologi munera, ea ſcilicet circa ſua principia, & ſuas concluſiones pręſtare, quæ iam a nobis ſunt expoſita.

*De diuiſione Theologiæ, & de ſcholaſticæ diſciplinę origine. Cap. VIII.*

EXPLICATIS cauſſis principijs, concluſionibus, atque muneribus ſacrę Theologię, conſequens eſt, vt de eius diuiſione aliquid, pro ſuſcepto negotio, breuiter dicamus. Vniuerſe igitur Theologiam ſumentes, poſſumus eam partiri in Theologiam increatam, & creatam: Theologia increata eſt illa, quam Deus habet, qua ſeipſum, & omnia in ſeipſo ſimpliciſſima atque perfectiſſima ratione cognoſcit: de qua Theologi agunt, cum de Dei ſcientia diſputant.





Creata vero, eſt ea quę reperitur in creatura rationis participe, vt eſt homo, & angelus. Hęc duplex eſt; altera perfecta, cuiuſmodi eſt illa quę reperitur in beatis: altera imperfecta, vt quę inuenitur in hominibus in hac vita exiſtentibus: illa beatorum, hęc viatorum dicitur: illa eſt clara & euidens, hęc vero obſcura. Hęc rurſus duplex eſt; altera diuinitus infuſa, ſine opera humana, quo modo fuit in primo parente & in Salomone, & fortaſſe in aliquibus alijs, diuino afflatu res diuinas edoctis: alia labore & exercitatione acquiſita; quo pacto in doctoribus, ordinaria Dei lege, eſſe ſolet. Item theologia infuſa duplex eſt: vna dicitur infuſa per accidens, vt eſt illa, quę cum ſit diuinitus data; poterat tamen aliter acquiri: altera per ſe, vt eſt ea, per quam ea cognoſcuntur, quę vim humanę mentis excedunt, vt fuit doctrina infuſa animę Chriſti, per quam humanas cogitationes cognoſcere poterat. Rurſus theologia humana, vt ſupra etiam diximus, diuidi poteſt in Theologiam philoſophicam, & chriſtianam: & hanc in veram, quę eſt in Theologo fideli, & in falſam & apparentem, quę eſt in hęretico: quę quomodo differant, ſupra explicatum fuit. Theologia philoſophica varie fuit olim diuiſa, de qua re nihil in pręſentia nobis dicẽdum eſt. Theologia Chriſtiana vera diuidi ſolet in ſcholaſticam & poſitiuam: quę diuiſio non eſt ſumpta a re ipſa, cum hę duę Theologię vnam & eandem

Cap. 1.

Lege Euſeb. lib. 1. 2. 3. & 4. de præp. Euang.

Aug. lib. 6. 7. & 8. de ciu.

eandem rem tractent, quamuis diuerſo modo; non quidem intrinſeco, ſed accidentali. Nam bifariam res diuinę, quę vtriq; Theologię ſunt ſubiectę tractari & explicari queunt: primo genere quodam dicendi mediocre, æquali, fuſo, & quaſi oratorio, non ſolum ad docendum, ſed etiam ad animos legentium permouendos accommodato: quem modum, cum ad contentionem, & elatum & quaſi tragicum dicendi genus non ſe attollat, poſitiuum, & eos, qui hac ſcribendi explicandiq; ratione vtuntur, Theologos poſitiuos vocant: in quorum numero reponeres antiquos patres, qui explicandis ſacris literis, ab expreſſa, & compreſſa dialectica diſſerendi ratione; abſtinentes, pedeſtri oratione res explanarunt diuinas. Secundo tractari poſſunt genere quodam dicendi ſtricto, feruido, pugnaci, & vt clarius dicam, dialectico; diſſerendo, confirmando, ac refellendo, diligenterq; ſingula, vt in ſcholis fieri ſolet, diſcutiendo: & hanc tractandi rationem, ſcholaſticam appellarunt, & qui ea vtuntur, Scholaſticos: in quorum numero ij ſunt, quos paulo inferius recenſebo. Ex hac igitur diuerſa ſcribendi, ac tractandi forma, enata eſt prædicta Theologiæ diuiſio. Differunt ergo Theologia ſcholaſtica & poſitiua, primum, vt ex iam dictis perſpicuum eſt, ſcribendi ſtylo. Deinde, quia poſitiua magis in explicatione principiorum, in diuinę ſcilicet ſcripturæ expoſitione, quam circa dogmata, &



& concluſiones verſatur: ſcholaſtica vero contra, circa religionis dogmata, quæ diſputando, & in dubium reuocando examinat, & ab omni errore defendit. Poſtremo, vt alias differentias omittam, ſcholaſtica agit de rebus diuinis methodice, reuocando omnia ad communes locos, & ad certas materias, de quibus etiam methodo dialectica diſputat: poſitiua vero, non ita, ſed pro occaſione, hæc, vel illa diuina dogmata explanat. Rurſus Theologiam poſitiuam aliqui in duas diſſecant partes: quarum vna ſenſum ſacræ ſcripturæ hiſtoricum, & literalem exponit: altera vero ſpirituales, & myſticos ſenſus inquirit: quam myſticam Theologiam appellant. Inter hanc poſteriorem & illam priorem explicandi rationem, illud eſt diſcrimen, quod hæc voluntatem afficit, & ad pie viuendum magis diſponit; idq; vel ex eo patet, quod qui in hoc expoſitionis genere verſati ſunt, in ſuis ſcriptis maiorem pietatis ſignificationem præbere ſolent: in quo libenter antiqui patres verſabantur, quorum veſtigia multi poſteriores ſecuti ſunt: illa vero magis intellectũ inſtruit. Quidam, Theologiam myſticã hunc in modum deſcripſit. Eſt quædam occultiſſima ſapientia, quam immediate ſolus Deus hominem in ſpiritu docet. Sed quoniam hac de re non eſt hic locus diſputandi fuſius; hæc breuiter de Theologiæ diuiſione dixiſſe ſufficiat: nunc de origine ſcholaſticæ, de qua a nobis futura

Dion. Areop. Maxim. Monach. Ioã. Gerſ. p. 3. Io. ſapiẽt. Cypariſot. Henric. Harph.

tura eſt diſputatio, aliquid dicamus. Theologia ſcholaſtica, ne longius eius originem, a mundi exordio repetamus, initium habuit a Chriſto Domino, & ab Apoſtolis. Siquidem huius doctrinæ ſubſtantia, in hoc ſita eſt, vt diſputando vera religionis dogmata confirmet, & defendat, erroresq; aduerſariorum fefellat: quod Chriſtus non ſemel fecit: vt cum diſputabat cum doctoribus in templo: cum Iudæis ipſum in ſermone capere volentibus, reſpondebat, & eorum ſophiſmata diſſoluebat: & cum verum Deum, & verum Meſſiam ſe eſſe probabat. Paulus etiam in ſuis epiſtolis ſępiſſime diſputando docet: & cum philoſophis & Iudæis de rebus diuinis, & de religione, vt ex Actis Apoſtolorum diſcitur, ſępe diſſeruit. Subſecuti ſunt poſtea ſancti Patres, qui etiam eandem docendi rationem adhuc magis dialecticæ ſimilem imitati ſunt. Vt Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanaſius, Baſilius, Cyrillus Alexandrinus, Auguſtinus, Hilarius, Damaſcenus, & alij. Verum, antiqui patres oratione fuſiore & ornatiore, quam poſteriores Scholaſtici res ſuas memoriæ prodiderunt. A quibus etiam in eo diſcrepant, quod potius auctoritate ſcripturæ, quam alijs rationibus, pugnant; Scholaſtici vero alijs etiam locis liberius vtuntur. Poſtea vero, cum iam antiquiores Patres varia, ac fere omnia religionis dogmata ſuis diſputationibus explicaſſent, & contra aduerſarios confirmaſſent;

Mar. 12.

Matt. 22.

In Epi. ad Hebræos.



ſent; eſſetq; eorum doctrina in varijs libris, & opuſculis diſperſa, & ſine certa methodo tradita, qui eos ſecuti ſunt doctores, vt facilius noſtræ religionis diſciplina perdiſci poſſet, ſanctorum patrum doctrinam ad quaſdam ſummas, & certa capita, locoſq; communes redegerunt, atque diligentius omnia in dubium reuocantes, ſingula dialectico more examinarunt, ac varijs modis veritatem confirmarunt, erroresq; reiecerunt. Qua diligentia & arte factum eſt, vt nunc fidei dogmata ſint multo magis certa, & ab erroribus expurgata quam olim erant: & vt plura paruo, quã olim pauciora multo tempore, & multo ſecurius cognoſcere liceat. Antequam autem de auctoribus Scholaſticis aliquid dico, obſeruãdum eſt, olim in diuinis rebus explicandis quandam ſcholaſticam tractandi rationem apud ſanctos patres extitiſſe. Nanque olim quidam patres, cum in ſcholis rhetorum dicendi artem didiciſſent, accedentes poſtea ad tractandas diuinas literas, oratione grauiore ac ornatiore, non modo ad docendum, ſed etiam ad animos commouendos accommodata vtebantur: & qui hoc ſcribendi genus adhibebãt, Scholaſtici, vt colligere licet ex Beda, libro de arte metrica, vbi Prudentium, ſcholaſticum vocat, dicebantur. Gennadius etiam in catalago de viris illuſtribus, quoſdam recenſet, quos ſcholaſticos nominat. Et diuus Hieronymus aliquando de rebus diuinis ſcholaſtico more ſe egiſſe,

Beda.

Gennadius.

Hieron.

egiſſe, ſcriptum reliquit. Et nonnulli antiquiores ſcriptores, in ſuorum operum inſcriptionibus hunc titulum, ſcholaſtici, ſibi tribuerunt. Quare, & res ipſa, & nomen apud antiquiores patres fuit: licet tractandi ratio aliquantulum immutata ſit.

### *Explicantur variæ ſcholaſticorum Theologorum claſſes. Cap. IX.*

NVNC propius ad Theologiæ ſcholaſticæ initium explicandum accedentes, dicimus, ab hinc circiter quadringentos & quadraginta annos extitiſſe quoſdam, qui res diuinas cum methodo, & dialectico more tractare cœperunt, qui a modo, quo res in ſcholis tractari ſolent, quem ipſi ſequuntur, Theologi ſcholaſtici nominantur: quorum quinque claſſes iuxta varia tempora, quibus varij Scholaſtici floruerunt, conſtituere poſſumus. In prima, fuit Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus, qui anno Domini 1140. claruit. Is primus ex ſanctis patribus ſententias ad dogmata fidei pertinentes, quadam certa methodo in vnum volumen collegit: ob quam cauſſam, eum omnes Theologorum ſcholæ, Magiſtrum ſententiarum, appellant. Huius ſcriptoris liber occaſionem, ac materiam ampliſſimam diſputandi de rebus diuinis poſteris dedit: quo factum eſt, vt varij doctores hunc librum publice interpretati fuerint

Ant. in chron. p. 3. tit. 18.





& commentarijs illuſtrauerint, varijſq; diſputationibus mirum in modum amplificauerint. Circa hæc tempora floruerunt Richardus & Hugo a Sancto Victore, ac etiam Rupertus Abbas Tuitienſis, & diuus Bernardus. In ſecunda claſſe reponuntur alij, qui circiter centum annos poſt vixerunt: in quibus fuit Alexander Halenſis Britãnus Franciſcanæ religionis alumnus: in gymnaſio Pariſino publicus Theologiæ profeſſor: qui tantum nominis & gloriæ ob ſummam eruditionem eſt conſecutus, vt ab eruditiſſimis ſui temporis, Fons vitæ, appellari meruerit. Is ſacræ Theologiæ ſummam iuſſu Innocentij Quarti in quattuor partes diſtributã, fecit: a quo poſteriores Scholaſtici multa acceperunt: qui præ alijs ſuam doctrinam ſcripturæ diuinæ teſtimonijs confirmauit: ac proinde, meo quidem iudicio, maximi eſt faciendus; & merito Irrefragabilis Doctor, nominatur. Edẽ tempore claruit diuus Bonauẽtura a Balneo regio, doctrina & ſanctitate inſignis, eiuſdem Franciſcanæ religionis profeſſor: octauus eius ordinis Generalis magiſter, poſtea Cardinalis: de quo eius præceptor Alexander Halenſis dicere ſolitus erat, Videri ſibi Adamum in Bonauentura non peccaſſe. Is doctor, Seraphicus nominatur: qui facile, acute, & pie admodum ſcripſit: vt mirer non tanti a quibuſdam fieri, vt fieri deberet. Sub id tempus, quo Bonauentura moritur, florebat Albertus ob multitudi-

nem & magnitudinem doctrinæ cognomento
Magnus, patria Sueuus, ex oppido Langigenſi,
Dominicanæ religionis cultor, in Pariſina, &
Agrippina academia Theologiæ profeſſor. Ha-
buit Albertus diſcipulum diuum Thomã Aqui-
natem, doctrina & ſanctitate ſuo præceptore
minime inferiorem, & eiuſdem religionis pro-
feſſorem. Is varietate doctrinæ, conſtantia, &
methodo illuſtris, vt merito doctor Angelicus,
cognomento, ſit appellatus. Hunc Dominicani
ſibi ſequendum elegerunt; a quo Thomiſtæ,
vel ſi mauis, Thomæi, vocantur. Tandem in
eadem claſſe collocandus eſt etiam Ægidius Ro-
manus ex nobiliſſima familia Columna natus:
generalis Magiſter ordinis Eremitarũ diui Au-
guſtini, & Thomę Aquinatis diſcipulus: qui co-
gnomento, doctor Fundatiſſimus nominatur.
In tertia claſſe poſt annos circiter quinquaginta
collocantur Henricus Gandauenſis, archidiaco-
nus Tornacenſis, qui cognomento, Doctor So-
lemnis vocatus fuit. Is ſcripſit ſummam Theo-
giæ, & quolibeta. Ioannes Duns ordinis mino-
rum, qui cognomento a patria ſumpro, Scotus,
& ob ingenij acumen, Doctor ſubtilis nomina-
tus eſt: a quo, qui eius doctrinam profitentur
Franciſcani, Scotiſtę, ni mauis dicere, Scotæi, no-
minari gaudent. Is floruit anno 1300. & pri-
mum Oxonię, tum Pariſijs ſacram Theologiam
profeſſus eſt. De quo plura Magiſter Saluator
Bartholutius in eius vita. Durandus a ſancto
Porciano



Porciano ex familia prædicatorum, qui poſtea
fuit Anicienſis epiſcopus. Is præter ſuæ reli-
gionis inſtitutum, vbi potuit, libenter diui Tho-
mæ doctrinam impugnauit: ac proinde habet
interdum opiniones non omnino plauſibiles.
Ceterum, theologicæ ſcholæ ſemper ei plurimũ
tribuerunt: tum ob ingenij acumen, tum ob
facilem ac breuem docendi rationem. Ioannes
de Baſſolis Scoti diſcipulus, de quo eius magi-
ſter, cum aderat, quod Plato de Ariſtotele dixiſ-
ſe fertur, dicere ſolebat, Auditorium eſt. Fran-
ciſcus Mayro, ordinis minorum cognomento
doctor Illuminatus; qui claruit anno 1320. Huc
denique referres Guilhelmum Ocanum, & Her-
ueum. In quarta claſſe, poſt annos circiter quin-
quaginta, collocatur Petrus Paludanus, genere
Gallus, inſtituto Dominicanus, iuris canonici
conſultiſſimus, & ſcholacticus celebris: claruit
anno 1330. Ioannes Baconus Anglus, ordinis
Carmelitarum, bonus philoſophus, & Auerroi-
ſta, & ſacrorum canonum non ignarus; cogno-
mento, Doctor Reſolutus: qui floruit anno
1350. Quo etiã tempore claruit Gregorius Ari-
minenſis ex familia Auguſtiniana, in diui Au-
guſtini doctrina valde verſatus. Hos ſecuti ſunt
Ioannes Capreolus ex familia Dominicana, quẽ
principem Thomiſtarum appellant: qui ex pro-
feſſo vniuerſam diui Thomæ doctrinam contra
eius aduerſarios defendit. Gabriel Biel natione
Theutonicus, ordinis fratrum de communi vi-

Tritem. Volater. lib.22.

C 3 ta,

ta, qui multos annos præfuit gymnaſio Thubingenſi. Denique in poſtrema claſſe collocantur ij ſcholaſtici, qui noſtro ſæculo floruerunt: vt Thomas a Vio Caietanus, Dominicus Soto, Bartholomæus Medina, & nonnulli alij, quos nunc recenſere nihil eſt neceſſe. Ex his ergo, quæ ſcripſimus, poterit ſacræ Theologiæ candidatus cognoſcere, qui fuerint præcipui Theologiæ ſcholaſticæ ſcriptores: & qui auctores ſibi parandi, ac legendi ſint.

*Adnotantur quædam circa Theologiam, & Theologos ſcholaſticos.* Cap. X.

ANTEQVAM autem ad alia explicanda progredior, nonnulla circa ſcholaſticam diſciplinam, & theologos ſcholaſticos notanda occurrunt. Primum, tota huius doctrinæ ſubſtantia, quod ad religionis dogmata, & myſteriorum rationes; & fere quod ad omnes quæſtiones, & ſubtiles cõtemplationes, quæ in ſcholis tractantur, attinet, in antiquorum patrum ſcriptis eſt, & continetur; ita vt nulla ſit fere in tota hac Theologia controuerſia, quam primi illi magiſtri non attigerint, non explicuerint; quod ij verum eſſe norunt, qui in ipſorum ſcriptis ſunt verſati. Id, fauente Deo, nos alio loco aperte demonſtrabimus. Quare, recentiores Theologi, omnia fere, priſcis illis magiſtris & primis Eccleſiæ doctoribus accepta referre, debent.



Magiſter enim ſententiarum, vt ſupra ſcripſimus, omnia ab antiquis patribus accepit: nihil in diuo Thoma, qui exactiſſime cuncta eſt proſecutus, inuenies, quod aliquis antiquus pater non dixerit: qui ſanctus Doctor, ſpeciatim, ita familiarem habuit Auguſtinum, vt de eo cõmuni adagio diceretur, Auguſtini animam migraſſe in Thomam. Propterea qui voluerit bonus haberi ſcholaſticus antiquos patres diu nocturq; euoluat: & id quod diſcit, & docet, ad ſuos fontes reducat; ſi in docendo maiorem vult auctoritatem habere: atque ſpeciatim ſibi Auguſtinum familiarem faciat. Qui autem patres pro quauis materia ſint legendi, nos ſuo loco inferius manifeſtabimus. Deinde, animaduertendum eſt, quod, & ſi noſtrę religionis dogmata per Scholaſticorum examen, & diſcuſſionem magis examinata, magis certa, atque expurgata ſint: tamen, ita ab eis traduntur, vt in ipſorum ſcriptis legendis, quod, vniuerſe dixerim, non ita inflammetur affectus, non ita nutriatur ſpiritus, nec ad legendum ita animetur lector, vt in lectione ſanctorum patrum contingit: qui non ſolum docent, ſed etiam mouent; & dum doctrina intellectum illuminant, pietate commouent affectum. Poſtea, diligenter obſeruandum eſt, quod, & ſi ſcholaſtici omnia fere ab antiquioribus ſcriptoribus mutuati fuerint: tamen, volenti bonum Theologum euadere, maxime expedit prius verſari in Scholaſticorũ claſſibus,

& ſcriptis; quæ prius audiendo & legendo percurrenda ſunt, quam ad lectionem patrum deueniatur: quorum doctrinam non ſatis bene is intelliget, nec ex ea multum vtilitatis percipiet; immo, ni maxima cum pietate eorum libros lectitauerit, facile errabit, qui ſcholaſticorum ſcripta, in quibus breuius, planius, certius, quæ ſunt religioni conſentanea, quam in vllo priuato antiquo ſcriptore continentur, quaſi pro regula nõ habuerit: cum Scholaſtici ab omnibus, quod eſt veritati confinius, atque conformius acceperint, & quod minus probabile ac tutum eſt, reiecerint. Et hinc eſt, quod multi his noſtris temporibus errarunt: qui res diuinas cognoſcere, atque tractare volentes, ad patrum lectionem ſtatim conuolarunt: & cum regulis ſcholaſticis carerent, perperam ſanctorum patrum dicta intellexerunt. Adeundi igitur, atque audiendi ſunt prius ſcholaſtici; deinde patres toto vitæ tempore voluendi: quod qui faciet, bonus euadet Theologus, ac vitam quãdam feliciſſimam in hac vita, mea quidem ſententia, viuet. Verum, & ſi ſcholaſtica doctrina ſit magis ſecura, & purgata, quippe quæ ſit diligentius examinata; tamen, eſt minus neruoſa, & lacertoſa, nec tantum habet virium, atque ea, quam a ſanctis patribus accepimus; quorum auctoritas eſt longe maior, quam Scholaſticorum; quæ nõ omnino firma in acie literaria exiſtit, niſi patrum doctrina fuerit communita. Poſſes itaque ſcholaſticam



ſticam doctrinam lino ſemel, iterum, ac tertium purgato, & bene pexo comparare, patrum vero lino non ita perpurgato, in quo eſt tota lini ſubſtantia, & aliquid amplius; quo fit, vt ſit ſucci plenius, atque neruoſius. Animaduertendum eſt præterea Theologos ſcholaſticos apud quoſdam minus prudentes, & pios homines male audire; idq; ob nonnullas leues calumnias, quas alio loco facile diluemus, & quantum ipſis debeatur latius demonſtrabimus: interim illud certum habeamus, hanc theologandi rationem eſſe maxime fructuoſam, & reip. chriſtianæ apprime neceſſariam. Poſtremo, cum variæ ſint ſcholaſticorum quibuſdam in rebus ſententiæ, vnde variæ ipſorum ſcholæ, & vt loquuntur, viæ, enatæ ſunt, veluti Thomiſtica, Scotiſtica, Ægidiana, & aliæ; quæreret de me nunc quiſpiam, quam potiſſimum viam ſequendam putem; cui, in primis reſponderem, cuique licere in ſenſu ſuo abundare, & pro arbitrio hanc vel illam ſequi, modo a regulis fidei, alicuius opinionis tuendæ cauſſa, nunquam recedat. Dicerem deinde, diui Thomæ viam eſſe planam, & valde ſecuram: quod dum affirmo, nihil alijs detraho. Fuit enim ſanctus Doctor præ alijs varietate doctrinæ refertus, cum nihil in dialecticis, nihil in philoſophicis, nihil in chriſtianis literis ſit tam arduum, aut occultum, aut implicitum, quod ipſe non attigerit, non penetrauerit, non explicuerit; quem facile poneres Theologorum

*Lib. 4. c. 6 & 7.*

*Infra lib. 2. c. 12.*

logorum

logorum principem. An vero expediat in vnius iurare verba magiſtri, præſertim in Theologia, in præſentia explicare nolo. Memini tamen me aliquando legiſſe commentarium hac de re manu ſcriptum, a docto viro elaboratum, qui efficaciſſimis rationibus liberam diſcendi & docendi rationem magis approbabat, quam eam, quæ vni præceptori ſemper eſſet deſtinata, atq; addicta. Et hinc eſt fortaſſe, cur Ariſtoteles in philoſophia melius, quam alij ſenſerit, quod numero eorum philoſophorũ fuerit, quos Græci, Selectores, a ſeligendis melioribus opinionibus, vocabant. Quæ diſcendi docendiq; ratio, ſi ab omnibus retineretur, pauciores & minores eſſent in Theologiæ ſcholis altercationes, & maiores in veritatis via fierent progreſſus: quos præiudicata de Magiſtro opinio, ſæpe impedire ſolet: dum iudicium non adhibetur de rebus, quæ tanquam ratæ & firmæ ab alio excipiuntur. Placuit itaque ſemper mihi illud, quod ſapientes viri memoriæ prodiderunt: nemini magis credendum eſſe, quam rationi, & ei quæ viſa fuerit probabilior: in illis intelligen-bus, in quibus diuina non præualet auctoritas, ſed ſola ratio eſt diſcendi regula. Sed hac difficultate miſſa, Theologicam facultatem in ſuas diſtribuamus partes.

Ioã. Bap. Mant.

Cic. li. de Fato. Plato. Clé. Alex.

Theologia



## *Theologia variæ in ſuas partes diuiditur. Cap. XI.*

QVONIAM ſententiarum Magiſter primus extitit, qui res diuinas & Theologiæ materiam, ad quandam meliorem methodum redegit; ideo eius methodum ac partitionem primum aperiemus. Magiſter igitur diui Auguſtini doctrinam ſecutus, quandam rerum diuiſionem attulit, iuxta quam ſuos de Theologia libros, partitus eſt: quæ partitio hunc in modũ accipienda eſt. Quæ in ſacra doctrina conſiderantur, aut ſunt res, aut ſigna. Rerum autem, aliæ ſunt quibus fruimur, vt Deus: aliæ, quibus vtimur, vt mundus: aliæ, quæ vtuntur, & fruuntur; vt homines & Angeli. Frui eſt amore alicui rei inhærere, propter ipſammet rem, cuiuſmodi eſt Deus opt. max. Vti vero, eſt referre id, quod in vſum venit, ad obtinendum id, quo fruimur. Rerum, quibus vtimur, aliæ mediate; aliæ immediate ad finem referuntur. Quo loco animaduertendum eſt, quod cum Magiſter, ſiue Auguſtinus, diuidit omnia quæ ſunt, in res & ſigna, nomine rei, intelligit id, quod eſt, & ita eſt, vt non ſit impoſitum ad aliquid ſignificandum: nomine vero ſigni, rem, quæ eſt impoſita ad ſignificandum aliquid: quo ſit, vt omnia ſigna ſint res, ſed non omnes res, ſigna. Hac poſita & explicata rerum partitione; hunc

Lib. 1. de doc. Chriſtia. c. 1.

in

in modum ſuum opus diſpoſuit Magiſter. In primo libro egit de rebus, quibus fruimur, nimirum de Deo, & de ſanctiſſima Trinitate. In ſecundo de rebus, quæ vtuntur, nempe de Angelo, & de homine: vt, de eorum creatione, & ſtatu. In tertio de rebus, ſiue de medijs, quibus immediate vtimur ad finem conſequendum, vbi diſputat de Christo, qui eſt via ad beatitudinem: & de gratia, & de virtutibus, quæ omnia ſunt media ad finem obtinendum, nobis per Chriſtum data. In quarto agit de ſignis, & de medijs extrinſecis ad ſalutis conſecutionem à Chriſto relictis, videlicet de ſacramentis, ac etiã de ipſo fine, quem per media conſequimur; nimirum de corporum reſurrectione, ac de animarum æterna felicitate. Et hæc eſt ratio diſpoſitionis operis Magiſtri. Nec me latet extitiſſe quoſdam, qui hanc Magiſtri methodum non approbauerint, quæ tamen aliqua ratione defendi poteſt: ſed non eſt noſtrum hac de re pluribus hic diſſerere. Poſſet etiam aliquis non incommode hac ratione, totam theologicam tractationem vniuerſe diſtribuere. Cum Theologia ſit ſcientia de Deo, tanquam de ſubiecta materia, & Deus quattuor modis conſiderari queat, omnem theologicam diſputationem ad quattuor reuocares partes. Primum, Deus poteſt conſiderari quãtum ad ſuam ipſius exiſtentiam, & productionem ad intra, & ad extra: vnde prima oriretur pars, in qua de Dei eſ-





ſentia, de diuinis attributis, de Trinitate, de rerum omnium productione & conſeruatione, & de Angelo, & de homine ageretur. Deinde, poteſt conſiderari vt inſtaurator naturę iam lapſæ; vnde naſcitur ſecunda pars, in qua diſputãdum eſſet de diuini Verbi incarnatione, de eius operibus, & de vita. Tertio poteſt conſiderari vt iuſtificator, vnde conſurgeret tertia pars, in qua diſputaretur de gratia, de virtutibus, & de ſacramentis. Poſtremo, vt eſt glorificator, ex qua conſideratione extaret quarta pars, vbi de hominis reſurrectione, & de æterna eius beatitudine ſcribendum eſſet. Nunc, quoniam maiore ex parte, qui in Theologia verſari volunt, diui Thomæ ſummam, ſibi legendam ſumunt, huius quoque doctoris methodum aperiemus: idque ea etiam de cauſſa nobis faciendum eſt, quod eius doctrinam, quã nobis in prima quæſtione primæ partis tradidit, ſequentibus libris, eius ordinem ſequendo, explicaturi ſumus. Cum ergo ſacræ Theologiæ ſcopus ſit Dei cognitionem nobis tradere, diuus Thomas conſiderauit Deum vt eſt in ſe, & vt eſt principium creaturarum, & earundem finis, & ſpeciatim creaturæ rationis participis: & ita duplicem fecit de Deo conſiderationem. De Deo, vt eſt in ſe, & vt eſt creator, egit in prima parte: in alijs duabus egit de Deo ſub ratione finis. Tractatio de fine duo includit, finem ſcilicet ipſum, & media, quæ ſunt neceſſaria ad obtinendum finem:

quorum mediorum duo ſunt genera: alia ſunt homini intrinſeca, alia vero extrinſeca. In ſecunda parte egit de medijs intrinſecis, videlicet de actibus humanis, & de virtutibus: In tertia de externis, hoc eſt de Chriſto, qui eſt via ad ſalutem, & de ſacramentis, quibus Chriſti virtus nobis applicatur. Et quoniam ſecunda pars erat nimis longa, eam diuiſit in duas: quarum altera appellatur, Prima ſecundæ, ideſt, prima pars ſecundæ partis: altera, Secunda ſecundæ, hoc eſt, ſecunda pars ſecundæ. In illa agit de actibus humanis, de virtutibus & vitijs generatim, ac etiam de gratia, & legibus: in hac de virtutibus & vitijs ſpeciatim, & de hominum ſtatibus. De fine autem ipſo vniuerſe egit in initio primæ ſecundę; quia tractatio de actibus humanis ſupponit cognitionem finis, & ideo omnes, qui cum ratione de moribus ſcribunt, a finis explicatione auſpicantur; cum finis ſit actionum humanarum regula, & principium. In fine poſtea tertiæ partis acturus erat de fine & beatitudine ſpeciatim; ſed morte præpeditus, partem illam perficere non potuit. Addita tamen ſunt, quæ deſiderabantur, ex ijs, quæ ipſe his de rebus in quartum ſententiarum ſcripſerat, per Fratrem Petrum de Aluernia diui Thomæ diſcipulum. Scripſit Angelicus doctor de re theologica multos alios libros, vt commentaria & quæſtiones in quattuor ſententiarum libros; quorum ſcriptorum fecit etiam compendium:

Ariſt. lib. 1. Ethic. c. 12.



dium: quæſtiones, quas vocauit diſputatas, variæ eruditionis plenas: quodlibeta rerum diuerſarum, quaſi pandectas: & egregium, ac lectione dignum librum contra Gentes. Summam theologiæ poſtremo loco confecit, cum iam eſſet veteranus, & in ſacris diuinisq; literis detritus: in qua aliter interdum ſenſit, atque alias ſcripſit: quo fit, vt eius ſententia, ex his, quæ in ſumma Theologiæ docet, capienda ſit. Hoc itaque opus poſtremo loco exaratum, debet eſſe veluti regula aliorum ſcriptorum totius doctrinæ Angelici doctoris. Quæ autem in hoc præſtantiſſimo opere ſit beati Thomæ intentio, ſatis perſpicue ſuo prooemiolo ipſe explanauit, ex quo breuiter hæc colligere licet. Primum, quid catholicæ veritatis doctori debeat eſſe propoſitum, id nimirum, vt, non ſolum prouectos, ſed etiam incipiẽtes inſtituat, vt nos Paulus docuit. 2. Cor. 3. Ac proinde gratia eorum, qui de nouo ad Theologicas ſcholas accedant, nos hanc propædiam ſcripſimus. Intentio itaque diui Thomæ in hac ſumma fuit, ita res diuinas tractare, vt incipientium eruditio requirit. Deinde cauſſam exponit, cur id facere voluerit; quod aliorum ſcriptis nouitiorum ingenia, partim ob multitudinem inutilium quæſtionum & argumentorum, partim quod non congruenti methodo vtebantur, impediebantur. Poſtea pollicetur ſe omnia breuiter, ac dilucide, quæ ad ſacram theologiam pertinent proſecuturum, prout ipſa patietur

patietur materia. Poſtremo proponit de qua re priore loco ſit diſputaturus, de ſacra ſcilicet doctrina, demonſtrando qualis ſit, & ad quæ ſe extendat.

### *Explicantur quædam neceſſaria ad intelligentiam primæ quæſtionis primæ partis diui Thomæ, ac etiam eiuſdem in docendo methodus. Cap. XII.*

QVONIAM vero id certe nobis propoſitum eſt, vt quæ in hac noſtra inſtitutione explicaturi ſumus, ſint veluti locupletiſſima in primam quæſtionem primæ partis ſancti Doctoris commentaria, propterea in hoc primo libro, in quo facili quadam via ſacræ Theologiæ tirones, non modo ad doctrinam de rebus diuinis percipiendam inſtituimus, ſed etiam ad naturam Theologiæ facilius explicandam, & cognoſcendam, de qua ſequentibus libris latiſſime diſputaturi ſumus; non erit inutile, quædam in præſentia adnotare, quæ ad faciliorem intelligentiam dictæ quæſtionis, quæ eſt quaſi totius noſtræ tractationis ſubiecta materia, conferant, ac etiam quæ ad primum articulum explicandum, quod ad litteram attinet, ſunt neceſſaria. Vt his omnibus, quaſi quibuſdam fundamentis, iactis, poſtea in alijs libris, ſecurius grauiores quæſtiones ſuperſtruere poſſimus. Intentio igitur, vt hinc exordium ſumamus, beati Thomæ



Thomæ in hac prima quęſtione, vt ipſemet ſcriptum reliquit, eſt docere qualis ſit Theologia, & ad quæ ſe extendat: quod dum facit, omnia fere, quæ de eius natura & vi dici poſſunt, luculenter exponit. Et quamuis decem dubitationes per decem articulos examinet: tamen omnia ad quattuor quæſita reuocare poſſumus, quę ſunt iſta. An ſit, quid ſit, qualis ſit, & propter quid ſit. Quærit primum, an ſit, in primo articulo: quia dum quærit, an aliqua doctrina reuelata, præter eas, quæ naturaliter acquiruntur, ſit neceſſaria, idem eſt, ac ſi quæreret, an ſit. Quoniam rerum ſupernaturalium reuelatio non fuiſſet a Deo facta, niſi neceſſaria fuiſſet. Nam, cum Deus nihil agat fruſtra, nec deficiat in neceſſarijs, in rebus naturalibus, multo minus fruſtra aget, aut deerit in rebus ſupernaturalibus. Deinde quærit, quid ſit: quod facit, dum de forma, & materia Theologiæ diſputat, quærendo an ſit ſcientia, & ſapientia, & quænam ſit eius ſubiecta materia. Poſtea, qualis ſit; cum docet, an conuenienter vtatur metaphorijs, an plures habeat ſenſus. Quarto & vltimo inquirit, propter quid ſit, cum diſputat, an ſit diſcurſiua. Theologia enim inuenta eſt per diſcurſum, & argumentationem, colligendo ea, quæ ex principijs fœcundiſſimis diuinitus reuelatis deducere, & colligere licet; ad confirmandas veritates, & refellendos errores, qui contra hanc doctrinam ſuboriri poſſunt. Ad has igitur

Ariſt. lib. 1. polit.

tur quattuor quæſtiones, quæ, auctore Ariſtotele, de vnaquaque re fieri ſolent, quæ decem articulis traduntur, non male fortaſſe reuocares. Sed peteret hoc loco quiſpiam, An hæc prima quæſtio ſit pars Theologiæ, quæ eſt de rebus diuinis ſcientia, an vero ſit procemium quoddam. Cui petitioni ſatisfacientes, dicimus, hanc quæſtionem non eſſe huius doctrinæ partem, ſed procemium. Quod non ſit doctrinæ pars, patet: quia omnis doctrina conſiderat principia, paſſiones, & partes ſui ſubiecti: at in hac quæſtione non agitur de principijs, vel paſſionibus & partibus ſubiecti huius ſcientiæ, vt eſt certiſſimum, igitur. Adde etiam, quod nulla ſcientia agit de ſeipſa, ſed de rebus, quas ſibi ſubiectas habet: at in hac quæſtione agitur de ipſa Theologia; non erit igitur hæc quæſtio ſcientiæ theologicæ pars. Vnde colligitur alterum, quod erat nobis probandum, eſſe procemium & quæ hic diſputantur, quæſtiones procemiales vocari ſolent. Quod ſi non eſſet procemium, profecto hæc quæſtio omnino a ſcientia de Deo aliena, & ſuperuacanea cenſeri deberet: quod cum falſum ſit, erit ſine dubio ei affinis & cognata; & cum non ſit pars, erit, quod dicimus, procemium: niſi quis ineptiſſime putaret, eſſe epilogum. Sed hic obijceres, ergo duplex erit procemium, cum diuus Thomas ante hanc quæſtionem aliud procemium pręmittat, quod prologum appellat. Sed facilis eſt reſponſio: quoniam

Lib. 2. poſter. c. 1.



niam nihil repugnat, ſi duo ponamus procemia, alterum ex parte auctoris, in quo auctor ſuum exponit propoſitum, alterum ex parte operis & doctrinæ, in quo continetur informatio, & inſtitutio quædam ad ipſam doctrinam. Vt autem quod nunc docemus melius intelligatur, obſeruandum eſt, ex Ariſtotele, in quacunque ſcientia duplicem reperiri habitum: alterum, qui verſatur circa ſubiectum ſcientiæ, ſpeculando principia, cauſſas, & paſſiones illius: alterum, qui docet naturam, formam, & modum procedendi ipſius doctrinæ: & de hoc habitu idem Ariſtoteles aliquando dixit, Abſurdum eſſe ſimul quærere ſcientiam & modum ſciendi: quia in quacunque ſcientia prius eſt cognoſcendus modus procedendi, ac natura ipſius, quam id, quod in ipſa tractatur. Hanc docendi rationem ſecutus eſt Ariſtoteles in principio ſua philoſophiæ naturalis, vbi priore loco de ratione ſeruanda in rebus phyſicis explicandis, egit: idem in ethicis, & in metaphyſicis fecit. Habitus, qui rem ſubiectam ſpeculatur, eſt habitus ipſius ſcientię, ſeu ſcientia ipſa: habitum vero, qui naturam ſcientiæ contemplatur, Latini, Logicam, ſeu modum ſciendi particularem appellant, Græci vero, pædiam, ideſt inſtitutionem nominant. Poſſes etiam fortaſſe appellare, peritiam: cum periti ſit ſingularum ſcientiarum, & artium naturas explicare, & vnam ab alia diſtinguere, & cuique ſuos limites conſtituere. Ex quibus intelligi

Lib. 1. de par. anim. c. 1.

Lib. 2. Met.

ligi licet,hoc noſtrum opus eſſe veluti quandam pędiam,& quaſi proœmium ad vniuerſam ſcientiam de Deo,cum totum in explicanda Theologiæ natura,& in tradenda methodo procedendi in hac doctrina,verſetur. At obijciat aliquis; ſi hoc verum eſt, ergo eadem ſcientia ageret de ſeipſa,quod implicare videtur. Huic obiectioni reſpondent aliqui, vnā ſcientiam ratione diuerſorum habituum,quos includit, poſſe de ſeipſa agere, ac ſeipſam explicare; & præſertim Theologiam, cum ſit ſcientia maxime vniuerſalis, & architectonica; nullam enim aliam ſupra ſe ſcientiam habet. Sed, ni fallor, melius diceres,diſputationem de natura alicuius ſcientiæ pertinere ad peritum, qui cum ſit omnibus ſcientijs & artibus ornatus, poteſt cuiuſcunque artis vim atque naturam explicare, & artium diſcrimina exponere. Placet etiam in præſentia breuiter admonere tirones de ordine diui Thomæ, quem in rebus tractandis ſeruare ſolet. Diuidit ergo ſanctus Doctor rem,quam tractandam ſuſcipit,in partes principales, & partes in quæſtiones,& quæſtiones in articulos, & articulos in tres particulas. In prima, dialectice in vtramque partem diſputando, argumenta proponit: In ſecunda adhibet quendam diſcurſum, quo quæſtionem propoſitam, diſtinguendo, & ratiocinando, explicat, & probat: cuius diſcurſus non ſunt omnino faciles, ac proinde diligenter legendi, & ad argumentationis formam,



mam, vt eorum vis percipiatur,reuocandi ſunt: quem laborem theologiæ candidatis nos in noſtro huius ſummæ compẽdio,minuimus: quam articuli partem,corpus,vocant. In tertia reſpondet ad argumenta, quæ contra doctrinam a ſe allatam pugnant. Vbi notandum eſt,argumentum, ſed contra, non ſemper neceſſario alteram partem probare, ſed vt plurimum ſolum dialectice: adde etiam quod interdum non probat integram, quam tradit in corpore articuli doctrinam. Animaduertenda eſt etiam ea ſancti Doctoris conſuetudo, quod plus ſæpiſſime in corpore articuli probat, quam quod in eius titulo eſt propoſitum: id fortaſſe ex eo accidit, quod articulorum tituli non videntur eſſe diui Thomæ; ſed ab alio quopiam adiecti ſunt. Et hæc breuiter de ordine procedẽdi Angelici Doctoris in gratiam tironum adnotaſſe volui.

### *Explicatur titulus primi articuli primæ quæſtionis diui Thomæ, ac etiam totius articuli ſententia. Cap. XIII.*

ANTEQVAM huic primo libro finem impono, ea omnia afferam,quæ pertinent ad exponendam diui Thomæ doctrinam, quæ eſt in primo articulo; vt ijs explicatis, facilius ſequenti libro,quæ circa hunc articulum diſputari ſolent,examinare poſſimus. Primum itaque articuli titulum diligenter dilucidabimus: po-

ſtea nonnulla circa ea, quæ in articulo docentur adnotabimus: poſtremo aliquot dubitationes diſſoluemus. Titulus articuli ita habet: Vtrum ſit neceſſarium præter phyſicas diſciplinas, aliá doctrinam haberi. Quod igitur ad primum attinet, hæc occurrunt ex Domino Caietano notanda. Primus terminus, qui in titulo conſideratur, eſt, Phyſicas: nomine autem phyſicæ diſciplinæ, non ſolũ intelligitur, ea quæ de rebus naturalibus agit, vt eſt diſciplina de corpore mobili, ſed etiam omnes diſciplinæ humanæ, quæcunque illæ ſint: ita vt terminus, phyſicas, ſignificet omnes ſcientias quæ viribus naturæ acquiri poſſunt. Poteſt enim aliqua doctrina dici phyſica, vel ex parte obiecti; quia eſt de ente
Ariſt. 2. Phyſ. tex. 4. phyſico, cuius principium eſt natura, quæ eſt principium motus, & quietis; qua ratione ſcientia phyſica diſtinguitur a Mathematica, & a Metaphyſica; vel ex parte cauſſæ effectiuæ, nimirum ex parte intellectus, quo naturaliter ſcientiæ acquiruntur; qua ratione omnes ſcientiæ humano modo acquiſitæ, naturales dicuntur: & hoc pacto, phyſicum, ſeu naturale, diſtinguitur contra, ſupernaturale: quo modo ſumitur hoc loco iſta vox, phyſicas: vt phyſicæ diſciplinæ dicantur, quæ naturaliter acquiruntur. Hanc eſſe huius vocis vim, patet ex primis, & vltimis verbis, quæ in corpore articuli habentur. Quod autem aliqui loco, phyſicãs, legunt, philoſophicas, minus placet. Secundus terminus eſt, Aliá,

quæ



quæ vox poteſt intelligi, vel de doctrina principiorum, videlicet de doctrina a Deo reuelata, quam fide tenemus, vel de doctrina concluſionum, quæ per diſcurſum de nouo acquiritur. Dominus Caietanus ait beatum Thomam, per Aliam, intelligere quandam doctrinam abſtrahentem a doctrina principiorum & concluſionum, quod, an verum ſit, poſtea examinabitur: nos vero dicimus intelligere doctrinam principiorum, quæ fide habetur. Ait deinde dominus Caietanus vtranque cognitionem poſſe vocari doctrinam: & quidem de cognitione concluſionum patet: de cognitione vero principiorum probari poteſt ex his diuinæ ſcripturæ verbis: Ille vos docebit omnia. Cum itaque Deus Ioan. 15.
hanc diſciplinam nos doceat, poterit proculdubio doctrina vocari. Pſal. 93.
Addit deinde idem doctor, ideo beatum Thomam dixiſſe, doctrinam, quia per hanc particulam intelligit cognitionẽ quandam abſtrahentem a ſcientia, opinione, & fide. Ex quibus patet quo modo ſit intelligendus alius huius tituli terminus. Reſtat particula, Neceſſarium. Eſt autem aliquid neceſſa- Ariſt.
rium dupliciter: vno modo abſolute; quo pacto id dicitur neceſſarium, quod ex ſua natura nullo ordine ad aliud habito, non poteſt aliter ſe habere: vt Deum eſſe; hominem eſſe animal: altero modo ex ſuppoſitione, quod ex ſe poteſt aliter ſe habere; tamen alio extrinſeco poſito, aliter eſſe non poteſt: vt ecce, calorem eſſe non

D 4 eſt

eſt neceſſarium; tamen poſito igne, neceſſe eſt, vt calor ſit: & animal reſpirare eſt neceſſe, ſi viuere debet: & hoc appellatur neceſſarium ex cauſa, ſiue cauſa ſit efficiens, ſiue finalis. Neceſſarium a fine ſumptum, eſt duplex; alterum ſine quo finis obtineri nequit, quod vocatur neceſſarium ſimpliciter: vt cibus homini, ſi viuere velit: alterum, ſine quo finis commode haberi non poteſt, licet alias obtineri queat: & hoc dicitur neceſſarium ad bene eſſe, ſiue vtile: vt equus ad iter faciendum. vtile, vt. Hæc quæſtio intelligitur de neceſſario ſimpliciter. Vt autem duæ, quæ in corpore articuli continentur concluſiones melius intelligantur, animaduertendum eſt, duo eſſe genera rerum, quæ de Deo cognoſci poſſunt, vel quæ homini cognoſcendæ ſunt: quædam ſunt, quæ vi humana percipi nequeunt: vt Deum eſſe Trinum, & beatitudinem hominis poſitam eſſe in clara viſione Dei: alia, quæ naturaliter percipiuntur, vt Deū eſſe, & habere prouidentiam. Ex his quæ adnotata ſunt, ſenſus tituli huius articuli facile intelligitur. Quæritur ergo, an præter ſciētias, quę vi naturali intellectus acquiruntur, ſit homini aliqua reuelata, ideſt diuinitas data, doctrina, ſimpliciter neceſſaria: ad quam quæſtionem, iuxta diſtinctiones paullo ante allatas, in corpore articuli duabus concluſionibus ſanctus Doctor reſpondet. Prima concluſio: Præter ſcientias naturaliter acquiſitas, fuit homini neceſſa-

ria.



ria ad ſalutem doctrina reuelata de his, quæ humanam rationem excedunt: quæ concluſio duplici ratione probatur. Prima, quia Paulus ait, ſcripturam diuinitus reuelatam eſſe vtilem ad docendum, arguendum, vt homo ſit perfectus. 2. Tim. 1.
Secunda, agenti propter finem, neceſſaria eſt cognitio finis: ſed homo naturaliter non cognoſcit finem ad quem eſt factus; quia nemo vidit quæ Deus præparauit diligentibus ſe, ergo neceſſe eſt vt detur doctrina reuelata, qua finis cognoſcatur. Iſa. 64. 1. Cor. 2.
Secunda concluſio: ad ea, quæ naturaliter de Deo cognoſcuntur, fuit neceſſaria doctrina reuelata. Quia multa ex his ſunt omnibus neceſſaria ad ſalutem, vt Deum eſſe, eſſe retributorem, &c. Heb. 11.
Sed hæc non poſſunt ab omnibus cognoſci, quia eſt opus longo tempore, & vix ſine errore cognoſcuntur, ergo. Atq; hæc ſunt, quæ in corpore articuli continentur: in ſolutione argumentorum, quæ ſequuntur. Tertia concluſio: cum ſapiens ait, Altiora nobis non eſſe quærenda, intellige, non eſſe qnærenda ſola ratione humana; quia fide ſuſcipienda ſunt, qua Deus multa ſupra ſenſum nobis oſtendit. Eccli. 3.
Quarta concluſio: De eadem re diuerſis tamen rationibus, diuerſæ agunt ſcientiæ, quatenus eam diuerſis modis probant. Quincta concluſio: Hæc doctrina genere differt a Theologia humana: quia hæc agit de Deo ſub lumine reuelato; illa vero ſub lumine naturali. Et hæc ſunt, quæ habet diuus Thomas in hoc articulo: ad cuius ex-

plicatio-

plicationem hæc notanda ſunt. Primum, cum in hoc articulo agatur de fundamento totius Chriſtianæ religionis, & ſacræ Theologiæ, latiſſima ad diſputandum materia ſeſe nobis præbet: propterea, vt hoc humanæ ſalutis primum de doctrina reuelata principium, explicetur, ac confirmetur; ſuper huius articuli doctrina, non ſine neceſſitate, & vtilitate ſequenti libro nobis fuſe diſputandum erit. Secundo, hac de re diuus Thomas in prologũ libri primi ſent. q. 1. ſuper Boetio de Trinitate q. vlt. art. vlt. q. 24. de verit. ar. 10. Scotus, Ægidius, & alij Scholaſtici in eundem Magiſtri prologum legendi ſunt. Vbi autem ſancti patres de eadem re diſſeruerint, in ipſis diſputationibus indicabo. Tertio, ratio diui Thomæ in argumento, ſed contra, allata, non probat euidenter alteram partem, ſed tantum probabiliter, cum locus, quem affert, dicat doctrinam reuelatam ſolum eſſe vtilem: verum hæc vtilitas tanta eſt, vt neceſſitati æquiualeat. Poſſet ergo alijs locis ex ſcriptura ſumptis euidentius talis concluſio demonſtrari: vt ex libro ſapientiæ vbi dicitur, omnes quotquot ſunt ſa-
Cap. 9. nati, ſanatos fuiſſe per hanc doctrinam. Cum ergo omnes homines eſſent ægri, opus fuit medicina, qua ſanarentur, doctrina nimirum diui-
Cap. 16. nitus reuelata. Ideo eodem libro, alio loco, dicitur: Etenim neque verba, neque malagma, ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia. Quare, maiorem propoſitionem argu-

menti



menti quod eſt in corpore, qua dicitur, agens propter finem debere cognoſcere finem, ſumitur a ſancto doctore tanquam nota: poſſet tamen probari, ex Ariſtotelis doctrina in Ethicis, L. 1. Eth.
cum ait, Finem in actionibus vitæ, habere ratio- c. 9.
nem principij; quia nemo operatur niſi prius finem cognouerit, a cuius cognitione agens ad agendum mouetur, & terminatur. Quincto, prima concluſio eſt fide tenenda: ſicuti etiam id, quod ait, dari quædam in Deo, quæ naturaliter Rom. 11.
a nobis cognoſci nequeunt, vt inferius latius de- 1. Cor. 2.
monſtrabitur. Isa. 64. Sexto, credibile eſſe dari aliquã doctrinam reuelatam, & hanc eſſe, quam Chriſtiani profitentur, multis vijs probari poteſt: Vt ex prophetia, qua prænuntiata fuit: ex miraculis, quæ ad eius confirmationem facta fuerunt: ex vita Chriſti, & eorum, qui hanc doctrinam Infra lib.
docuere: 4. c. 12. ex conſtantia huius doctrinæ, quæ ſemper perſeuerauit: ex concordia veteris, & nouæ legis: ex modo, quo promulgata & propagata fuit: denique, vt alias nunc rationes omittam, ex rerum quas continet, veritate. Poſtremo, circa hunc articulum adnotanda eſt quædam diui Auguſtini doctrina, quæ in hunc lo- Lib. 2. So
cum quadrat. lilo. In rerum natura quinque inueniuntur, quæ certo ordine collocata, ita ſe habent, vt poſterius poſſit aliquid amplius, & maius, quod non poteſt id, quod eſt prius, quæ ſunt iſta: Natura, ſenſus exterior, ſenſus interior, humana ratio, & fides. Natura

non

non facit res ſine ſubſtantia: ſenſus exterior apprehendit eas ſine ſubſtantia, ſed tamen non percipit niſi ea quæ exiſtunt, & ſunt præſentia: ſenſus interior, vt eſt phantaſia, poteſt etiam apprehendere quæ abſunt, & quæ non ſunt, non tamen ſine materia: humana ratio, etiam immaterialia percipit: ergo aſcendendo, Deus poterit aliquid facere, & fides quæ eſt quoddam diuinum lumen, aliquid præſcribere, quod intellectus humanus non capiat: & ideo, vt diuus Thomas in articulo docet; poterit reperiri aliquid, quod ſit ſupra rationem, & capacitatem humanam. Et hæc de adnotationibus circa hunc articulum.

### *Afferuntur, ac ſoluuntur dubitationes quædam circa eundem articulum. Cap. XIIII.*

AD maiorem explicationem eorum, quæ proximo capite diximus, & eorum, quæ Angelicus doctor in hoc articulo docet, aliquot dubitationes nobis enucleandæ ſunt. Prima dubitatio: cum diuus Thomas quęrit, an ſit neceſſaria alia doctrina reuelata, per hanc doctrinam, quam nam intelligit, an doctrinam principiorum, an vero concluſionum? Reſpondet dominus Caietanus, per aliam doctrinam, intelligere quandam doctrinam abſtrahentem ab vtraque, ſcilicet quandam doctrinam generice, quæ

D.Caiet.



quæ abſtrahit a ſcito, & a credito, ſiue reuelato: ſicuti animal abſtrahit a rationali, & irrationali. Quod hæc quæſtio non intelligatur de doctrina principiorum, quæ fide tenetur, hunc in modo dominus Caietanus probat. Primum, quia alias ſemel & iterum ſanctus Doctor de eadem re quæſiſſet: etenim de habitu principiorum quæſiuit in ſecunda ſecundæ: vbi diſputauit, An credere aliquid ſupra rationem ſit neceſſarium ad ſalutem. Deinde quoniam in hac prima quæſtione ſæpe æquiuocatione vteretur; cum modo quærat de doctrina concluſionum, vt in articulo ſecundo, vbi diſputat, an ſit ſcientia, modo vero de doctrina principiorum, vt in art. nono, vbi quęrit, an conuenienter vtatur metaphoris. Ne igitur tantus doctor videatur æquiuocatione vti, dicendum eſt eum quærere de quadam doctrina in communi. Quod non intelligatur de doctrina concluſionum, ſic probat. In hoc articulo fit mentio de quadam doctrina, quæ eſt omnibus ad finem conſequendũ neceſſaria: at doctrina concluſionum non eſt neceſſaria omnibus; de aliqua igitur doctrina loquitur, quæ ab vtraque abſtrahit. Contra hanc explicationem has rationes afferre poſſes. Primo, diuus Thomas quærit de quadam doctrina, quę eſt habitus, quo diuina cognoſcimus: hic autem habitus duplex eſt, alter principiorum, alter concluſionum, a quibus non poteſt alius habitus abſtrahi: ergo determinate de vno, vel altero quærit,

Quæſt. 2. art. 3.

rit. Quod autem ab illis duobus habitibus alius habitus abſtrahi nequeat, patet; quia non datur tertius habitus illis duobus communis: ſicuti tribus ſcientijs humanis, phyſicæ, metaphyſicæ, & mathematicæ non datur aliquis alius communis habitus, qui non ſit vnus ex illis tribus. Licet ergo poſſit aliqua ratio communis, & cõmune nomen his duobus habitibus animo concipi: tamen re ipſa non datur alius habitus, de quo poſſit quæri, an nobis ſit neceſſarius ad ſalutem. Confirmatur hæc ratio: diuus Thomas loquitur de quadam doctrina omnibus ad ſalutem neceſſaria: at iſta tertia doctrina nemini eſt neceſſaria; quia ſolus habitus principiorũ eſt neceſſarius: quare non eſt intelligendus de iſta communi doctrina. Secundo, quando aliquod prædicatum proprie conuenit alicui inferiori, non poteſt attribui ſuperiori, niſi improprie: verbi gratia, quia eſſe riſibile proprie conuenit homini, non poteſt proprie attribui animali, niſi per non repugnantiam, quia animali non repugnat eſſe riſibile: ſed quæ diuus Thomas dicit de hac doctrina, de qua determinate quęrit, conueniunt doctrinę principiorum, vt eſſe neceſſariam ad ſalutem, & ad ſalutem hominis; ergo de hac doctrina priuate loquitur. Tertio, aut diuus Thomas ſumit, ly doctrina, eodem modo in omnibus articulis, aut diuerſa ratione: ſi hoc dixeris, falſum erit, eum abſtrahere ab habitu principiorum, & concluſionum: quia



quia in vno articulo determinate ſumet pro vno habitu, in alio vero pro alio: ſi primum conceſſeris, ne cogaris dicere eum vti ęquiuocatione, profecto affirmare mihi licebit in hoc articulo loqui de doctrina principiorum; cum certiſſimum ſit in art. 9. de hac doctrina verba facere, cum quęrit, an conuenienter vtatur metaphoris, & in x. an habeat plures ſenſus. Quare, ſi ſumit ſemper eodem modo, in hoc etiam articulo de eadem loquetur doctrina; non autem de quadam doctrina abſtracta. Quarto, a beato Thoma concluditur, opus eſſe ad ſalutem conſequendam doctrina reuelata: at iſta eſt doctrina principiorum: ergo de iſta loquitur, & non de quadam alia ab hac ſeiuncta. Neque argumenta in contrarium a viro docto allata, quicquam probant; non primum, quia non eſt eadem hęc quęſtio cum illa: quia hoc loco quęrit an ſit neceſſaria iſta doctrina reuelata; ibi vero an ſit neceſſarium credere aliquid ſupernaturale ad conſequendam ſalutem. In vno ergo loco quęritur de neceſſitate reuelationis, in alio vero de neceſſitate fidei, quę reuelata credit. Vocatur autem doctrina reuelata habitus fidei; quia in ijs ſolis vere reperitur, qui fide eam tenent. Neque ſecundum vrget; quia, vt ſupra ſcripſimus, in omni ſcientia ſunt duo habitus, principiorum nimirum, & concluſionum: cum ergo in hac quęſtione, quę eſt veluti procœmium ad ſcientiam de Deo, agatur de natura Theologiæ,

giẹ, non eſt mirum ſi in vno articulo diſputat de doctrina principiorum, & in alio de doctrina conclusionum. Neque vlla intercedit vera æquiuocatio, quia in ſingulis articulis determinate loquitur de vno, vel altero habitu: in primo de doctrina principiorum, in ſecundo de doctrina conclusionum, & ſic in alijs. Quare, cum hæc prima expoſitio non videtur bona. Alij dicunt, beatum Thomam loqui determinate de doctrina concluſionum, quę omnibus eſt neceſſaria, ſi non immediate, ſaltem mediate: quæ explicatio, licet commoda videatur: tamen puto non eſſe ad mentem diui Thomæ, qui loquitur de ea doctrina, quæ per ſe cuilibet eſt neceſſaria ad cognoſcendum finem: at doctrina concluſionum non eſt neceſſaria omnibus, ad finem cognoſcendum, ergo. Dicunt poſtremo alij, eundem eſſe habitum principiorum, & concluſionum, & proinde nullam eſſe in hac quæſtione æquiuocationem, licet in vno articulo de principiorum, in alio de concluſionum doctrina ſermonem habeat. Verum, hæc explicatio non placet. Primum certiſſimum eſt, ex Ariſtotele, hos duos habitus eſſe omnino inter ſe diſtinctos. Deinde, habitus principiorum huius doctrinæ eſt infuſus, concluſionum vero acquiſitus: differunt igitur. Præterea, quod eſt cauſa alterius, & prius illo, non eſt idem cum illo: at habitus principiorum eſt cauſa habitus concluſionum, & eſt prior; igitur. Poſtremo, habitus

6.Eth.
2.Poſt.

princi-



principiorum eſt de propoſitionibus per ſe notis, quæ ſine medio cognoſcuntur: at habitus concluſionum eſt de ignotis, & per demonſtrationem acquiritur: quare non ſunt ijdem habitus. Concludendum ergo eſt diuum Thomam loqui de doctrina principiorum, & de doctrina reuelata: quod ita claret dixit, vt clarius loqui non potuerit. Hæc explicatio ex aliarum explicationum confutatione remanet comprobata. Secunda dubitatio: An doctrina concluſionum poſſit, formaliter loquendo, appellari doctrina reuelata. Dominus Caietanus, vt diximus in explicatione tituli, exiſtimat poſſe appellari reuelatam: contra quam ſententiam hunc in modum inſurgeres. Primum, res, vt Ariſtoteles ſecundo phyſico docet, denominantur ab actu; neque enim quod eſt in potentia lectus, vocatur lectus, niſi ab arte formam lecti acceperit: at Theologia concluſionum non eſt actu reuelata, ſed acquiſita: ergo non eſt, formaliter & ſimpliciter loquendo, appellanda reuelata, ſed acquiſita: ſicuti ſemen non poteſt formaliter appellari homo, cum ſolum poteſtate ſit homo. Deinde, quoniam eadem ratione dicere poſſemus ſcientiam eſſe intellectum: quia ſcientia continetur in principijs, quorum habemus intellectum. Similiter concluſiones poſſent dici per ſe notæ, quia principia in quibus continentur, ſunt per ſe nota: & denique omnia, quæ tribuuntur principijs de ſcientia ex principijs

Tex. 11.

E ducta

ducta prædicarentur: quod eſt a ratione alienum. Poſtremo, id, per quod vnum differt ab alio, non debet tribui illi, vt eſſe rationale, quo homo differt a bruto, non debet tribui bruto: ſed habitus concluſionū differt a doctrina principiorum, quod hæc ſit reuelata, ille vero non reuelatus, ſed acquiſitus, non igitur ſimpliciter erit appellandus reuelatus, ſed acquiſitus. Tertia dubitatio: An ſolutio argumenti ſecundi ſit bona? Argumentum eſt hoc: Datur Metaphyſica, quæ eſt Theologia humana, quæ nobis Dei cognitionem tradit; ergo non eſt opus alia doctrina reuelata, qua Deus cognoſcatur. Reſpondet ſanctus Doctor negando conſequentiam: & ratio negationis eſt, quia hæc doctrina agit de Deo ſub alio lumine, ſcilicet ſub lumine reuelato. Scotus ſolutionem hanc impugnare conatur; & ideo ait ſolum ex ea ſequi, theologiam noſtram diſtinctam eſſe a metaphyſica: non autem debere dari aliam doctrinam reuelatam: quare potius negandum fuit antecedens, dicendo, Metaphyſicam non agere de Deo ſecundum omnia. Dominus Caietanus vt diui Thomæ reſponſionem defendat, multa metaphyſice diſputat, quæ ſic accipienda ſunt. In qualibet ſcientia duo reperiuntur, & res quæ conſideratur, & modus quo conſideratur: illa dicitur ratio formalis obiectiua, vel ex parte obiecti, hæc ratio formalis ex parte ſcientis. Verbi gratia, in Geometria, prima ratio, eſt quantitas continua,





nua, ſiue figura circularis, triangularis, &c. altera eſt, quod iſta conſiderentur, vt abſtracta a materia ſenſibili. Rurſus, ratio formalis obiecti duplex eſt: altera adæquata, altera inadæquata: adæquata eſt, quæ comprehendit omnia, quæ ſub tali modo conſiderantur; vt in philoſophia naturali corpus mobile: inadæquata vero quæ non complectitur omnia, vt elementa, in naturali ſcientia. Vbi autem eſt diuerſus modus tractandi eſt etiam diuerſa ratio obiecti adæquata, & contra: non tamen vbi eſt diuerſa ratio inadæquata: quia nihil prohibet quod vna ſcientia conueniat cum alia in aliqua concluſione, non tamen in omnibus. Nam eandem concluſionem, puta, terram eſſe rotundam, probant Aſtrologus, & Phyſicus, diuerſo tamen medio. Ex quibus colligitur, quod ſi in vna ſcientia cōſideretur aliquid, quod etiam in alia, diuerſo tamen modo, conſiderabuntur etiam alia multa, quę in illa ſcientia non conſiderantur. Exempli gratia, in Phyſica multa conſiderantur, quæ non conſiderantur in Aſtrologia: quia cum modus ſit diuerſus, ratio quoque adæquata diuerſa erit. Ex his ſolutionem diui Thomæ bonam eſſe oſtenditur. Quia, licet noſtra Theologia in aliquibus conueniat cum Metaphyſica: tamen, quia procedit alio lumine, oportet vt habeat aliam rationem obiectiuam adęquatam, & ideo multa alia conſiderabit, quæ non cōſiderat Metaphyſica. Quare ex modo procedendi infertur

neceſſitas alterius ſcientiæ, quæ ſit ratio adæquata huius modi. Et hæc ex domino Caietano. Poſſet ad hanc Scoti obiectionem hoc etiam modo facilius reſponderi. Diuus Thomas, tanquam bonus logicus, voluit potius negare conſequentiam, quam antecedens diſtinguere, & ad id reſpondere, de quo erat difficultas. Licet ergo iſtæ duæ ſcientiæ idem tractent: tamen, quia non eodem lumine, eademq; ratione res diuinas conſiderant, non ſequitur hanc doctrinam non eſſe neceſſariam. Sed dices, adhuc obiectio viget: quia ſolum probat huius ſcientiæ diſtinctionem, non autem neceſſitatem. Reſpondeo, non ſolum diſtinctionem, ſed etiam neceſſitatem probare: quia, ex eo quod procedit lumine diuino, ſequitur quod ſit neceſſaria: quia cognitio rerum diuinarum per lumen ſupernaturale, eſt omnibus neceſſaria: non ita cognitio per lumen naturæ. Quarta dubitatio: ratio qua vtitur beatus Thomas ad probādam neceſſitatem doctrinę reuelatæ, non videtur bona: quia ſumenda fuit ex parte ipſius ſcientiæ & probari debuit ipſam eſſe neceſſariam, & non tantum ex parte hominis, qui finem ſuum cognoſcere debet; ex qua parte diuus Thomas probauit. Reſpondetur, tota neceſſitas huius doctrinæ ſumitur ex parte hominis; & propterea ex neceſſitate, quæ cernitur in homine, optime probatur hanc doctrinam dari debere. Quia ſi tollatur neceſſitas ratione hominis, non erit

Ægid.

amplius



amplius neceſſaria. Quincta dubitatio: cum diuus Thomas non vno in loco doceat hominem habere naturalem potentiam ad dona ſupernaturalia recipiēda, & ad videndum Deum; cur in hoc articulo hominis finem, qui eſt clara diuinæ eſſentiæ viſio, ſuper naturalem appellat? Hac de re inferius late diſputabitur: nunc breuiter dico, quoſdam male argumentari contra ſancti Thomę doctrinam, putantes eum hoc loco verba facere de potentia naturali, cum tamen loquatur de actu ſecundo, & de apprehenſione actuali finis: quam apprehenſionem homo non poteſt habere ſine auxilio doctrinæ reuelatę per lumen fidei, ratione cuius actus, vt poſtea clare demonſtrabitur, Deus clare viſus eſt finis ſupernaturalis hominis. Similiter eos errare arbitror, qui videntes ſanctum Doctorem affirmare hominis finem eſſe ſupernaturalem, dixerunt, ipſum in ea fuiſſe ſententia, vt exiſtimauerit hominem non habere naturalem propenſionem ad clare videndum Deum. Quod autem loquatur de actu elicito, & non de naturali appetitu, patet, ex his ipſius verbis: Qui, nimirum finis, comprehenſionem rationis excedit: ac ſi dixiſſet, naturaliter apprehendi non poteſt. Quare ex diuo Thoma, poteſt ſtare cum appetitu naturali, finem eſſe ſupernaturalem, ratione apprehenſionis. Atque hæc ſunt, quæ ad explanationem doctrinæ beati Thomæ afferre volui: & ſi quæ ſuperſunt, in ipſis diſputationibus ſequenti

Scot.

D. Caiet.

 libro

libro afferentur. Habes ergo, ſacræ Theologiæ candidate, breui quadam ac facili propædia ſiue prima inſtitutione, quæ ad Theologię naturam cognoſcendam pertinẽt. Quibus rebus a te perceptis, idoneus profectò eris ad intelligendas eas diſputationes, quæ copioſe & ſubtiliter, de tota theologiæ natura, in ipſo huius doctrinæ limine, tractari ſolent. A quibus diſputationibus ego auſpicari nolui, cum experientia ipſa didicerim, quam parum nouis huius ſupremæ doctrinæ auditoribus ſeſe accommodent, & tironum vtilitati conſulant, ij doctores, qui ſtatim in ipſo ingreſſu eis diſputationes, & difficultates ob oculos proponunt. Placuit itaque nobis aliam exordiendi rationem tironum intelligentiæ magis, ni fallimur, accomodatam, inire: cum hanc docendi viam viri docti retinere ſoleant: ex qua, ſi quid vtilitatis ſacræ theologiæ ſtudioſi percipient, Deo opt. max. acceptum referant.

Plato lib. de leg. Inſtitu. in proœm.

*Libri primi Finis.*

# INTRODVCTIONIS In Sacram Theologiam,

## *Liber Secundus:*

In quo de doctrinæ reuelatæ conuenientia, vtilitate, & neceſſitate diſputatur.

### *Proponuntur ea de quibus agendum eſt: & argumentis quibuſdam doctrinam reuelatam dari non poſſe probatur. Cap. I.*

OMNIA fere, quę ad ſacrę doctrinæ naturam cognoſcendam pertinẽt, facili quadam ratione, Chriſtianæ Theologiæ candidatis accõmodata, primo libro explicauimus; dũ de eius definitione, cauſſis principijs, concluſionibus, officio, diuiſione, & partibus egimus. Quibus, ni fallor, rebus perceptis, noua in re theologica ingenia, ad gra-

uiores diſputationes percipiendas, ſatis inſtru-
cta, & idonea erunt. Nunc quaſi a principio
iterum aggredientes, iiſdem de rebus, ſingula
diligentius examinando, nobis ſermo habendus
eſt. Vt non ſolum rudi quadam ratione bonus
theologus inſtructus, ſed etiam diſputatione ar-
1.Pet.3. matus, de ea, quę in ipſo eſt ſpe & fide, rationem
reddere ſit paratus. Et quoniam non ſolum
ſcholaſticæ doctrinæ, verum etiam totius reli-
gionis chriſtianæ, ac humanæ ſalutis fundamen-
tum, eſt doctrina diuinitus reuelata; propterea
hac de re priore loco a nobis diligenter diſpu-
tandum erit: vt iacto atque confirmato funda-
mento, reliquum ædificium firmum, ac ſtabile,
vt re vera eſt, appareat. De hac itaque diuinæ
doctrinæ reuelatione, hęc a nobis, vt ſummatim
omnia proponamus, diſputanda ſunt. Primum,
demonſtrabimus aliquid a Deo reuelari nobis
potuiſſe, & re ipſa iam reuelatum fuiſſe. Deinde
explicabimus quam fuerit non modo conue-
niens, ſed etiam neceſſarium aliquid a Deo no-
bis reuelari, & quarum rerum facta ſit reuela-
tio. Poſtremo de certitudine huius veritatis, ac
etiam de aptitudine quam homo habet ad do-
ctrinam reuelatam, & ad eum finem, ad quem
per hanc doctrinam ducitur, agemus. Quod ſi
in hac materia explicanda paullo fuſius diſpu-
tabimus, id nobis vitio dandum non erit, cum
nulla diſputatio debeat cenſeri longa, in qua de
totius religionis chriſtianę, & doctrinę Theo-
logicæ,



logicæ, vt nunc dicebam, fundamento, agitur.
Et, vt iam, quod primo loco propoſitum fuit,
aggrediamur, quaſdam proponā rationes, quas
chriſtiani nominis hoſtes afferrent, ad demon-
ſtrandum nihil a Deo nobis reuelari poſſe.
Nanque, vt præclare ſcriptum reliquit Philoſo- 3.Met.
phus, operæpretium eſt, aliquid facultatis, hoc t.1.
eſt aliquam ſcientiam habere volentibus, bene
dubitare: quoniam poſterior facultas, ſolutio
eorum eſt, quæ ante dubitata fuere. Rationes
ergo, quæ rem propoſitam in dubium reuocāt,
ſunt fere iſtæ. I. Poſſet itaque in primis Philo- Lege Ioā.
ſophus hunc in modum Theologum vrgere: In de Baſſo-
cauſſis naturalibus eſt ordo eſſentialis, & intrin- lis. qō. 1.
ſecus, qui in hoc ſitus eſt, vt cauſſa ſecunda non prologi.
agat, niſi moueatur a prima, & prima non agat,
niſi per ſecundam, & alias ſequentes vſque ad
cauſſas proximas, quę ſunt cauſſę naturales: ergo
nullus effectus, ac proinde nulla etiam ſcientia,
poterit dari, quin ſit per cauſſas naturales: cum 1.Met.
ſcientia ſit effectus quidam maxime naturalis: c. 1.
& ob id per cauſſas naturales effici debet. Quod
ſumptum fuit, non ſolum eſt Philoſophi multis 2.Met.
in locis, ſed etiam ſacrę ſcripturę, quę aſſerit, 2.Phyſ.
Omnia facta fuiſſe in numero, pondere, & men- Sap. 11.
ſura: & ſapientiam attingere a fine vſque ad fi- Sap.7.
nem, & diſponere omnia ſuauiter: at non di-
ſponerentur omnia ſuauiter, ſi cauſſarum per-
mutaretur ordo, igitur. Adde, quod omnia quę Rom. 13.
a Deo ſunt, ordinata ſunt: ſi ergo ordinata ſunt,
in

in illis eſt ordo, qui ſi mutaretur, non eſſent omnia ordinata. II. Naturæ rerum ſpecificæ ſunt perfectiſſimæ, & perfectiſſimas habent operationes: cum natura nihil imperfectum faciat, & Dei opera ſint perfecta, & valde bona, id eſt optima. Cum ergo homo ſit ſpecies perfectiſſima, & inter omnes creaturas præcipuus, immo, vt Ariſtoteles & M. Tullius ſpeciatim ſcriptum reliquerunt, ſit creaturarum finis, ita vt aliqui eum naturæ miraculum appellauerint; habebit profecto omnia, quæ ſuæ naturæ neceſſaria ſunt, & præſertim quæ pertinent ad cognitionem, & ſcientiam, quæ eſt ei maxime cognata. Non igitur fieri poteſt, vt ei aliqua de nouo reueletur ſcientia: cum Deus, & natura nihil faciant fruſtra. III. Iſta ſcientia ſupernaturaliter reuelata, vel erit æque perfecta, vel minus perfecta, vel magis perfecta, quam ſcientia naturalis; neque enim aliud membrum aſſignare licet: ſi duo priora membra conceſſeris, inutilis ac vana eſſet, & fruſtra daretur iſta doctrina, cum nihil perfectionis addat. Si tertium dixeris, ſequitur hominem non eſſe capacem huius perfectioris doctrinæ, cum ſit doctrina quædam ſupra naturam: ac proinde eam recipere non poſſet. Sicuti ſenſus non poteſt cognoſcere vniuerſalia, quia non eſt capax ad recipiendas ſpecies vniuerſales, & cognitionē rerū a materia ſenſibili abſtractarum, quæ eſt cognitione ſenſitiua perfectior. IV. Nulla res præter naturalem perfectionem poteſt,

Gen. 1.

Lib. 2. Phyſic. Lib. 2. Acad. q.

Ariſt. lib. 1. polit.



poteſt, vel debet recipere aliā ſuperiorem; quia ſingulæ res habent certum ſuæ naturæ modum ad quem naturaliter tendunt, & quem tranſire non debent, nec poſſunt, niſi natura ipſa mutetur; cum rerum ſpecies, vt docuit Ariſtoteles, ſint veluti numeri: ergo præter humanam ſcientiam, quæ eſt perfectio naturalis, & naturæ conſentanea, non dabitur alia ſupernaturalis, cuius humana natura non ſit capax. Alias enim vniuerſi ordo, qui in hoc ſitus eſt, vt vnaquæque res ſecundum naturam ſuam ſit perfecta, & vt a ſuo non dimoueatur gradu, mutaretur. Vt ecce, ſi formica, animal imperfectum, reciperet perfectionem alterius ſpeciei nobilioris, puta hominis, a ſuo dimoueretur ordine, & gradu. Pari quoque ratione, ſi homo perfici ſupernaturali doctrina poſſet, a rerum naturalium ordine, vel ſaltem a ſua diuelleretur ſede. V. Quidquid homo intelligit, & cognoſcit, cognoſcit per phātaſmata, quæ pendent a ſenſibus, & hic eſt modus intrinſecus, & naturalis humanæ intelligentiæ: ergo non poterit per alium modum intelligere: & ita non dabitur alius modus ſciendi ſupernaturalis. VI. Nihil eſt concedendum, quod ſit contra naturam, quam Deus non deſtruit, ſed conſeruat: at aſſerere hominem eſſe capacem diuinæ doctrinæ, eſt affirmare quiddā, quod hominis naturæ repugnat; cum ea, quæ ſunt Dei, homini quadrare non poſſint, & quod eſt a cauſſa non naturali, non ſit ſecundum naturam,

In Met.

Ariſt. lib. 3. de ani.

ram, igitur. VII. Deus caret membris corporeis, ac proinde voce, qua homines docentur: quare nulla ratione per ſeipſum poterit hominem docere. Et hæ ſunt rationes, quæ maiorem difficultatem in re propoſita facere videntur. In hac diſputatione nulla inter Scholaſticos eſt dubitatio: immo eam tanquam certiſſimam omnes fere ſupponunt. Verum, qui, vel Deum non eſſe, vel non habere prouidentiam, exiſtimarent, negarent etiam ab ipſo hominem doceri. Idem ſentirent, qui putarent Deum ſine ſecundis cauſis agere nihil poſſe. Nec defuerunt, qui ſpeciatim dixerunt, nullam poſſe diuinitus doctrinam reuelari, quorum ſententiam ſequẽtibus capitibus refellere conabimur.

### *Ponuntur fundamenta quædam ad demonſtrandum aliquid a Deo reuelari poſſe.* Cap. II.

VT difficultas proximo capite poſita, facilius explicetur, aliquot notanda, ſiue fundamenta nobis ponenda ſunt. Primum, Deus optimus maximus, qui princeps eſt huius doctrinæ auctor, eſt omni ratione infinitus: neq; enim, cum non ſit ab alio, vel a ſe factus, aliquẽ terminum habere potuit: quo fit, vt ob hanc infinitam vim, omnia, quę nullam implicationem includunt, ſub eius potentiam cadant.

Dionyſ. Areop.

Cum hac immenſa Dei omnipotentia, ſumma coniuncta eſt bonitas; de cuius ratione, vt viri ſapientes



ſapientes docent, eſt, vt ſe cum alijs communicet: vt bonum dici nequeat, quod in ſe manẽs, ſuam bonitatem non impertitur alijs. Quare, cum Deus ſit ipſum bonum, ſine dubio ſe communicare debebit. Communicat autem Deus ſe dupliciter: vno modo ab omni æternitate, neceſſario, ac proinde ſe totum: Qua ratione, diuina natura exiſtens in Patre communicat ſe totam Filio, & exiſtens in Patre & Filio, communicat ſe totam Spiritui ſancto: quę communicatio, dicitur ad intra; de qua in materia de Trinitate agitur. Altero modo in tempore, & libere; qua ratione ſe communicauit creaturis, dando his eſſe clarius, illis vero obſcurius: & hęc communicatio dicitur, ad extra. Quod autem Deus hoc poſteriore modo ſe libere communicauerit, exploratum eſt: quia alias eſſet imperfectus, penderet a creatura, & libertate careret: quę libertas, cum ſit maxima in creaturis perfectio, proculdubio in Deo eſſe debebit. Ex quo colligere licet, quod ſicuti a principio ſe libere communicauit, & varias perfectiones varijs rebus, pro ſua voluntate, impertiuit; ita & poſtea, eandem poteſtatem & libertatem retinens, potuit, atque poteſt, aliquam perfectionem ſine cauſſis ſecundis, ſine quarum adminiculo hunc lucentem mundum fabricauit, alicui creaturę tribuere. Inter alias autem communicationes, & quæ magis Deum, qui eſt totus mẽs, & ratio, & hominem, qui ratione vtitur, decet, eſt

S. Maxim.

Ariſt. lib. de cœl.

eſt communicatio ſcientię, cuius Deus eſt fons & origo, & homo maxime capax, & appetens. Propterea non ſolum ſacra ſcriptura, ſed etiam homines ſolo naturę lumine illuſtrati, ſapientiam a Deo petendam eſſe docuerunt, ac etiam petiuerunt. Deus ergo, cum ſit omnipotens, infinite bonus, liber, ac ſapientię fons, non ſolum per creaturas veluti per effectus a ſe productos, ſed etiam per ſeipſum hominem ſapientię capacem, poterit erudire. Secundum fundamentum: cum homo duplici ex parte ſit conflatus, corpore nimirum & animo; quarum partium altera, cum rebus inferioribus, altera cum cœleſtibus ſpiritibus conuenit; vt merito a quibuſdam creaturarum orizon nominetur, cum ſit inter vtramque naturam, corpoream & incorpoream medius; propterea quod ad ipſius gubernationem ac perfectionem attinet, nõ ſolum a cauſſis corporeis, & phyſicis, ſed etiam a cauſſis ſuperioribus & materiæ expertibus pendere debet. Quare, ſicuti, quod ad exiſtentiam ſpectat, ratione corporis, non ſolum a Deo, ſed etiam a ſecundis & materialibus cauſſis producitur, quod vero attinet ad animam a ſolo Deo, cum animæ extrinſecus aduenĩat: ita quantum ad conſeruationem & perfectionem, non ſolum a cauſſis materialibus, quibus corpus conſeruatur, ac perficitur, ſed etiam a cauſſis a materia remotis, a quibus anima perfici poteſt, eum pendere fatendum eſt. Itaque, vt cauſſæ materiales

Iac. 1.
Socrates apud Pla. in Phœdro.
1. Meteo. c. 1.



les influunt in corpus, ita cauſſæ immateriales poterunt influere in animam. Quod ſi vlla in re humanæ mentis perfectio a Deo & cœleſtibus ſpiritibus pendet, certe in participatione ſapientiæ, quam homines naturæ impulſu appetunt, nec facile, nec perfecte, ex ſe eam acquirũt. Vt, ſi vllum inter homines, & cœleſtes ſpiritus debeat eſſe commercium, quod certe ob naturæ ſimilitudinem, & vniuerſi ordinem eſſe debet, in communicatione ſcientiæ ſit. Quare, ſicuti cauſſæ materiales vim continent, qua in hæc inferiora influunt, & hæc inferiora potentiam habent, qua vim, tactumq; cœlorum excipiant; ita quoque cauſſæ ſupremæ materiæ expertes, facultatem habebunt influendi in humanas mentes a materia ſeiunctas, & hæ earum vim poterunt excipere. Tertium fundamentum: Quãuis humanus intellectus dum eſt in corpore incluſus, & dum aliquid naturaliter cognoſcere vult, a ſenſibus, per quos, veluti per portas externæ res in humanam mentem in qua, tanquã in ſua ſede reſidere vellent, ingrediuntur, a phantaſmatibus pendeat: tamen, ex ſua natura vim poteſtatemq; habet intelligendi, ac percipiendi aliquid ſine phantaſmatibus, vt patet de intellectu extra corpus exiſtente, & de actu iudicij: quem actum ſine phantaſiæ adminiculo exercet. Quoniam, & ſi non poſſit ſubſtantias a materia ſeiunctas ſine phantaſmate ſpeculari: tamen eas ab omni concretione materię remotas

Cic. li. 2. Acad. q.
Sineſius lib. de inſomn.
Ariſt. lib. 3. de ani.

tas eſſe iudicat. Non eſt itaque humana intelligentia ita ſenſibus & organis corporeis alligata, vt ſine illis aliquid percipere, & aliunde, veluti ab intelligentijs, & a Deo illuminari non queat. Poteſt ergo Deus, vel intelligentia hominem aliquid docere, vel infundendo nouas ſpecies, vel formando in phantaſia phantaſmata noua, vnde per intellectum agentem nouæ producantur formæ, vel per viſa, ſeu rerum formas, ac voces, quas aſſumpto corpore formare poteſt. Quare, ſicuti non videtur impoſſibile aliquibus philoſophis, intelligentiam abſtractam a corpore pendere in intelligendo a phantaſmate, tanquam a motore; multo minus videri debet impoſſibile, humanam mentem poſſe aliqua ratione doceri, ac excitari, ad aliquid percipiendum ab intelligentia, vel a Deo. Ex his igitur quæ notata ſunt, ſatis rem propoſitam explicatam eſſe arbitror. Sequitur ergo, vt quid tenendum ſit, deinceps doceamus.

Auer.

*Varijs concluſionibus quid in quæſtione propoſita ſit ſentiendum docetur, & rationes in contrarium allatæ ſoluuntur.*

*Cap. III.*

His igitur iactis fundamentis, facile erit aliquot concluſiones ad propoſitam difficultatem reſpondentes ſuperextruere, atque rationes in contrarium allatas cõfutare. Prima concluſio:



concluſio: potuit, ac poteſt Deus per ſe hominibus aliquid proxime reuelare. Hoc eſt, præter naturalem cognoſcendi viam, Deus hominem alia ratione docere poteſt. Hęc concluſio in religione Chriſtiana fide tenenda eſt: at contra aduerſarios, his rationibus confirmatur. I. Deus, vt eſt dictum, eſt omnipotens, bonus, ac libere agit: omnipotentiæ eſt omnia poſſe, bonitatis eſt ſeſe communicare, libertatis, id pro voluntate efficere: quare, ſi Deus per omnipotentiam, bonitatem, & libertatem ſuas perfectiones creaturis ab initio impertiuit; cur non poterit nunc, cum eadem potentia, bonitate, ac libertate vtatur, homini, quem doctrinæ capacem fecit, aliquid ſapientiæ ſuæ de nouo tribuere? II. Omnis perfectio, quæ eſt ſimpliciter talis, ideſt quæ nullam ex ſe includit imperfectionem, Deo, qui eſt perfectiſſimus, & a quo omnis in creaturas dimanat perfectio, tribuenda eſt: at poſſe ex ſe ſapiẽtiam communicare, eſt maxima perfectio; quod etiam philoſophus fateretur: & ideo Seneca ſcriptum reliquit, ſi cum hac exceptione ſapientia detur, vt non communicem, non eſt tanti vt ſudem, & æſtuem: igitur huiuſmodi perfectio ſine dubio Deo tribuenda erit: poterit ergo Deus per ſeipſum hominem docere. Secunda concluſio: Intelligentiæ poſſunt hominem inſtruere, atque aliquid ei reuelare: quæ concluſio ſic probatur. I. Intelligentię, vt non modo Chriſtiani, ſed etiam Ethnici philoſophi

Cicero. Seneca.

 docent,

docent, poſſunt mouere, ac etiam ex communi ſententia, mouent cœleſtes orbes, & id immediate: ergo poterunt etiam animam rationalem mouere: quæ conſequentia eſt omnino manifeſta, cum maior ſit proportio inter intelligentiam & animam, quia ambæ ſunt materiæ expertes, quam inter intelligentiam & cœlum, quod eſt materiale & quantum; & naturæ intelligenti magis congruum ſit docere, quam mouere. II. Inter homines & intelligentias, propter ordinem vniuerſi, debet intercedere aliquod commercium, vt inferiora perficiantur a ſuperioribus: at nulla aliam poteſt eſſe magis conſentanea communicatio, quam vt intelligentiæ poſſint hominem ſapientiæ appetentem, eaq; egentem erudire; id igitur eis concedendũ eſt. III. Si intellectus agens efficientia ſua ex phantaſmatibus, vt paſſim philoſophi docent, nouas ſpecies producere poteſt, cur id etiam non poterit aliqua intelligentia? Quod ſi dicas, intelligentiam eſſe extrinſecam, idem ego dicam Auerroi hanc veritatem neganti, ſuum communem, quem finxit intellectum, eſſe externum. Et quamuis intelligentia non poſſet ex phantaſmate nouas ſpecies producere; tamen aliqua alia ratione humanam mentem ad cognitionem, vt ſupra ſcripſimus, poterit excitare. Tertia concluſio: Homo poteſt proxime a Deo, vel ab intelligentia aliquid de nouo doceri. Ponitur hæc concluſio ad demonſtrandum ex parte hominis

Ariſt. lib. de cęlo.

Ariſt. lib. 3. de ani.



minis eſſe aptitudinem ad excipiendam ſupernaturalem doctrinam: quam concluſionem his rationibus breuiter confirmo. I. Anima rationalis, vt omnes fere philoſophi docent, & per demonſtrationem ſciri poteſt, eſt immortalis: ergo quoad ſuum eſſe immediate, vel a Deo, vel, vt quidam putarunt, quod tamen verum non eſt, ab intelligentia pendet: quia ſi eſſet forma ab agente phyſico procreata, eſſet perfecto corruptioni obnoxia. Quare, ſicuti habet eſſe immediate a cauſſa immateriali, ita ab eadem etiam perfici poterit: cum non maius ſit aliquid perficere, quam illud idem producere. II. Homini inſitus eſt appetitus ſciendi, & perfecte ſciendi; ac proinde humana mens non conquieſcit niſi perfectam cognitionem conſecuta fuerit: atqui hunc appetitum naturales ſcientiæ, vt experientia docet, non perficiunt, cum ipſæ ſint imperfectæ & incertæ; reſtat igitur in homine appetitus ad maiorem, ac perfectiorem ſcientiam; qui, ne ſit vanus, aliqua ratione perficiendus eſt. Hoc argumentum apud quoſdam philoſophos, tantum virium habuit, vt dixerint, dari ſcientiam per quendam illapſum intelligentiarum in mentem humanam, vel ſpecies intelligibiles ab extrinſeca cauſſa mentibus humanis infundi. Confirmatur hoc argumentum ex priuato appetitu, quo homo res diuinas cognoſcere affectat: vnde colligitur eum eſſe diuinæ ſcientiæ capacem, quam cum ex ſe acquirere

F 2 nequeat,

nequeat, aliunde profecto eum habere poſſe fatendum eſt. III. Qua ratione confirmantur omnes allatæ concluſiones: ſtatim atque aliqua natura eſt intellectualis, apta eſt doceri, & docere, cum ſit ad commercium & mutuam conſuetudinem nata: cum ergo homo ſit naturæ intellectiuæ & imperfectior alijs naturis intelligentia præditis, ipſe doceri, & illæ eum docere poterunt. IV. Denique, ſi homo hominem docet; Cur Deus & intelligentiæ idem non efficient? Quarta concluſio: Deus, ſiue intelligentia poteſt hominem docere modo naturali, & ſupernaturali. Declaratur hæc concluſio, ac etiam ſimul probatur. Cum intellectus humanus ſit forma, non infixa materiæ, & quantum ad exiſtentiam ſit independens a corpore; poterit a ſuperiore cauſſa, ſine adminiculo organi corporei, illuminari, ac erudiri: qui ſciendi modus non erit naturalis homini in hac vita exiſtenti. Et ſicuti intelligentiæ ſe inuicem docent ſine vllo corporis organo, cum ſint corporis expertes, ita hominem abſque organorum auxilio docere poterunt. Rurſus, cum intelligentia poſſit mouere organa corporea, phantaſmata formare, ac etiam per ſigna, & viſa ſenſus humanos mouere, poterit etiam hominem modo naturali docere. Quincta concluſio: Iſta hominis potentia ad recipiendam doctrinam reuelatam, eſt vis quædam naturalis. Probabitur infra hæc concluſio, cum demonſtrabitur hominem

D.Tho. 1. p. q. 106. art. 1.



nem habere naturalem facultatem ad videndũ Deum. His ita poſitis ac confirmatis concluſionibus, rationes in contrarium allatas diſſoluamus. Ad primam: ſubordinatio quæ eſt in cauſſis, dupliciter intelligitur: altero modo, vt cauſſa inferior ſit ſubordinata ſuperiori, ita vt ſine ea nihil operari queat; & hic ordo eſt neceſſarius, & ſemper ſeruari debet: altero modo, vt cauſſa ſuperior, & maxime cauſſa libere agens, nihil poſſit ſine inferioribus, & id eſt falſum; neq; enim is eſt rerum ordo. Quare, cũ Deus & intelligentiæ ſint cauſſæ ſuperiores & liberæ, poterunt ſine ſecundis, hominis mentem mouere. Deinde, eſto, quod tamen verum non eſt, Deum per ſe non poſſe ſine cauſſis adiuuantibus hominem mouere; negatur tamen non poſſe dari ſcientiam reuelatam; quia per ſecundas cauſſas & modo naturali, eum docebit, vt diximus. Quare, Deus hominem docendo, nullum ordinem mutat, nullam vim cauſſis ſecundis affert, ſed omnia ſuauiter diſponit, & gubernat. Ad ſecundam, concedimus opera Dei perfecta, & hominem in ſuo genere perfectum eſſe; negamus tamen ipſum nõ poſſe diuinitus ſcientiam recipere, eaq; non egere. Quia, cum homo ſit naturæ liberæ, non agit modo quodam immutabili ac certo, vt animalia bruta faciunt; ita vt ei errare non contingat, vt non vno in loco docuit philoſophus, & ipſa quotidiana confirmat experientia, cum videamus eius cogitationes, &

L. de cau. prop. 1.

Lib. 1. Eth. c. 3. Sect. 30. Prou. 11.

Sap. 9. conſilia eſſe incerta: propterea ab aliqua ſuperiore cauſſa dirigi, & aliqua maiore perfectione, præſertim ſcientiæ, perfici debuit; & maxime quod attinet ad finē vltimum, a quo facile aberrat: de quo quid certi doceat humana ſapientia, non habet. Propterea meliores philoſophi videntes humanæ naturæ imbecillitatem, homini, Dæmonem, quem Latini, Larem, appellarunt, cuſtodem dederunt. Deinde, eſto naturam humanam eſſe perfectam: tamen tantæ eſt capacitatis, vt etiam diuinitus adhuc perfici poſſit: quæ eſt ſumma hominis dignitas, ac perfectio. Poſtremo, tanta eſt Dei poteſtas, vt hanc naturam magis, ac magis perficere queat. Ad tertiam, fatemur hanc doctrinam eſſe perfectiorem naturali ſcientia; negamus tamen hominem non poſſe eam recipere; non ſolum per potentiam, quam vocant obedientialem, ſed etiam per veram potentiam phyſicam ſibi inhærentem; vt ſicuti doctrinam ab homine traditā naturaliter recipit, ita etiam doctrinam a Deo reuelatam. Quia, ſi habet potentiam ad ſcientiam, habebit quoque ad omnem ſcientiam: cum eadem ſit potentia ad naturalia, & ſupernaturalia dona, quæ in hunc finem a Deo dantur, vt naturalia perficiantur. Habebit itaque, ſaltem, potentiam ad eam ſcientiam, qua indiget, & quam appetit: licet huiuſmodi potentia ſine ſupernaturali agente, ad actum non reducatur. Neque illud ſimile de ſenſu quicquam

concludit;



concludit; quoniam homo habet potentiam ad omnem ſcientiam, cum omnis ſcientia, ſiue acquiſita, ſiue diuinitus data, eiuſdem ſit rationis: at vero ſenſus, cum ſit materialis, non poteſt, niſi eius natura deſtruatur, ad cognitionem vniuerſalium traduci. Quartæ rationis facilis eſt ſolutio: nam, cum duplex ſit perfectio, altera eſſentialis, altera accidentalis, argumentatio illa procedit de perfectione eſſentiali; nos autem loquimur de accidentali, quæ habetur per ſcientiam, quæ hominem ab ordine ſuo non remouet. Adde etiam, quod homo, prout eſt intelligentia prędicus, communicat cum intelligentijs, & cum Deo; & ita pertinet ad ordinem ſupernaturalium, ſeu intelligentiarum. Quare, non eſt par ratio de formica, ſi rationem reciperet, & de homine recipiente a Deo ſcientiam; quia, vt diximus, ſolum perficitur accidentaliter. Ad quinctam, quid ſit dicendum ſatis patet ex vltimo fundamento, & ex quarta concluſione. Ad ſextam, hominem eſſe capacem diuinę doctrinę, non eſt contra naturam, ſed ſecundum naturam, vt diximus. Neque, vt argumentum aſſumit, eandem doctrinam, quam Deus habet, homo recipit, ſed particulam aliquam, pro vt Deus illi communicat: quę communicatio ex parte cauſſæ efficientis, eſt quidem ſupra, vel pręter naturam; quod tamen nihil implicat, cum etiam Ariſtoteles motum pręter naturam conceſſerit: quandoquidem

F 4 cœleſtes

Lib. de cęlo. cœleſtes orbes inferiores contra ſuum naturalem motum, trahuntur motu ſuperioris orbis. Ad ſeptimam, Deus ipſe reſpondet, cum per Dauidem ait: Intelligite inſipientes in populo, & Pſal. 93. ſtulti aliquando ſapite: Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat? Cum ergo rationes in contrarium allatæ nihil concludant, nobis aliquam doctrinam diuinitus communicari poſſe, profecto concludere licebit.

*An re ipſa aliqua doctrina nobis a Deo reuelata fuerit.* Cap. IIII.

CONCEDERET fortaſſe chriſtianæ philoſophię aduerſarius, argumentis ſuperius allatis coactus, Deum aliquid homini reuelare poſſe; ſed re ipſa quicquam reuelaſſe, non libenter daret; cum multa ſint quæ Deus facere poteſt, quæ tamen non dum fecit, vel facturus eſt nunquam: propterea huius doctrinæ principia in rerum natura inueniri, demonſtrandum nobis eſt. Talem igitur ſtatuimus concluſionem: Re ipſa præter eam cognitionem, ſeu doctrinam, quam homines ſuo ſtudio acquirunt, data eis fuit alia doctrina cœlitus reuelata, ab aliqua ſuperiore cauſſa. Hac concluſione ſolũ vniuerſe docere volumus aliquam doctrinam fuiſſe hominibus reuelatam, ſeu quod idem eſt, homines aliquid a Deo vel ab intelligẽtijs fuiſſe edoctos, vel



vel præter ſcientias naturaliter acquiſitas aliquam doctrinam reuelatam reperiri, quæcunq; qualisve, & vbi vbi tandem illa ſit: de quibus poſtea rebus ſuo agetur loco. Hanc concluſionem latiſſime probare poſſem, ſed ne nimius in re clara ſim, ſolum quoſdam locos breuiter attingam, quos qui amplificare voluerit, quos citabo, eos auctores legat. Et cum in Chriſtiana ſchola hæc concluſio certiſſima fide tenenda ſit, ſolùmmodo eas rationes afferam, quæ cõtra aduerſarios noſtræ religionis pugnant. I. Quod omnes populi, omnes nationes, omni tempore crediderunt, verum eſſe exiſtimandum eſt; quia, cum homines ad veritatem, vt Philoſophus ait, Ariſt. 1. Rhet. c. 2. nati ſint, tunc eam maxime aſſequuntur, cum in aliqua re omnes conueniunt: atqui omnes nationes, omni tempore exiſtimarunt aliquam doctrinam diuinitus datam fuiſſe; reperietur igitur. Minor propoſito eſt certiſſima: quia Hebræi gens antiquiſſima, id ſemper crediderunt, & credunt: idem cenſent omnes Chriſtiani, qui diuerſis tẽporibus floruerunt in omnibus mundi partibus: in eadem ſententia ſunt omnes Mahometani. Apud Ethnicos, in India, in Arabia, in Ægypto, in Gallia, in Græcia, in Italia, fuerũt Gymnoſophiſtæ, Magi, Druidæ, & Sacerdotes, quibus myſteriorum cura erat demandata; quibus myſterijs diuinam quandam doctrinã contineri arbitrabantur. Quæ omnia ſi exemplis, & auctoritatibus illuſtrare vellem, longum omnino

nino facerem: ſed ex ijs, quæ ſubijciemus teſtimonijs, quod in minore propoſitione ſumptum fuit, ſatis aperte demonſtrabitur. II. Probatur eadem concluſio philoſophorum ſententia, Hoſpes Atheniẽſis apud Platonem dialogo ſexto de legibus, ait, Hominem eſſe ludum Dei, in quo erudiendo, & docendo delectatur. Dialogo decimo de rep. docet dæmones, quos nos Angelos vocamus, nobis præeſſe, nos cuſtodire, & ad operum executionem nos iuuare. In Phœdro aſſerit Plato maxima bona nobis fieri per furorem diuino quodam munere conceſſum; quem in hac re tota eius ſchola ſecuta eſt. Alcinous dixit Deum ſe habere ad intellectum noſtrum, ſicuti ſol ſe habet ad oculos corporis, Ideo quidam maximus Platonicorum ſectator, eleganter ſcriptum reliquit; Quod ſicuti ſol ſine ſole non cernitur, ita nec diuina, ſine diuino lumine, percipiuntur. Miſſos hic facio Porphyrium libro de abſtinentia, Iamblicum libro de myſterijs Ægyptiorum, Calcidium in Timęum Platonis, Plotinum, Pſellium, Speuſippum, Xenocratem, Syneſium, Maximũ Tyrium, & alios eiuſdem ſcholæ philoſophos. Ariſtoteles libro decimo Ethico capite vltimo, aperte docuit, Deos multa bonis, ac ſapientibus communicare. Et in ſua Theologia Poetas quoſdam tanquam mendaces redarguit, quod Deum inuidũ fecerint, quod ſapientiam, quæ eſt ei maxime propria, cum alijs communicare noluerit.

Alcin.

Marſ. Fic.

Lud. Viu. in li. 8. de ciu. c. 7.

Lib. 1. Met. c. 2.

Denique,



Denique, ille ter maximus Mercurius ſæpiſſime hanc veritatem in ſuis ſermonibus inculcat, & maxime in Pimandro, vbi nihil aliud docere videtur: & inter alia, hæc ſcribit. Adſum enim ego mens ijs, qui boni, pij, puri, religioſi, ſanctiq; ſunt: pręſentia mea fert illis opem, adeoq; vt ſtatim cuncta cognoſcant, &c. Et ſermone quincto ad Tatium: Tu igitur, o fili mi Tati, in primis pijs precibus obſecra Dominum patrem vnicum, vt ſis illius miſericordia dignus: ſic tandem Deum tãtum percipere poteris, ſi vel vnus duntaxat illius radius intelligentiæ tuæ benigne refulxerit. III. Huic veritati ſubſcribunt omnes fere Poetæ, qui ſtatim atque ſua poemata aggrediuntur, Muſas & Deos inuocant, ea ſcilicet de cauſſa, quod ab illis ſe iuuari poſſe exiſtimant. Ideo quidam Poeta cecinit, Eſt Deus in nobis, &c. Et Plato, Res quædam leuis, & ſacra eſt Poeta; nec poteſt verſus facere priuſquam fuerit a Deo afflatus, & mente exceſſerit. Et Democritus, Poeta autem quæcunque ſcripſerit cum Dei afflatu, & ſacro ſpiritu, ſunt valde pulchra. Denique, eiuſmodi, ait Sophocles, ego cognoui eſſe Deum; diuina qui ſemper exhibet ſapientibus. IV. Idem confirmat multorum legiſlatorum ſententia, qui dixerunt ſe ſuas leges a Dijs accepiſſe, quod non dixiſſent, niſi ipſi, & populi, quibus leges dabãt, homines doctrinam aliquam diuinitus accipere, exiſtimaſſent. Et licet falſum ſit, eis leges ab

Ouid.

Democritus.

Sophoc.

aliquo

aliquo diuino numine datas fuiſſe: tamen eorum existimatio noſtram ſententiam, ſaltem, quod res fieri poſſit, confirmat. Quod autem legiſlatores multi ſuas leges in Deos retulerint, Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Plato, & alij nonnulli memoriæ prodiderunt. Omnes itaque illuſtres legum inſtitutores ſuas leges in aliquem Deum retulerunt. Zoroaſtres, qui Bactrianis Perſiſq; leges dedit, in Horomaſim, Triſmegiſtus Ægyptiorum legiſlator, in Mercurium: Minos Cretenſium, in Iouem: Charondas Carthaginenſium, in Saturnum: Lycurgus Lacedæmoniorum, in Apollinem: Draco & Solon Athenienſium in Mineruam: Pompilius Romanorum, in Ægeriam: Zamolxis Scytharum, in Veſtam: Mahometus Arabum in Angelum Gabrielem. V. Ex diuinatione, & ex auctoribus, qui hac arte delectati ſunt, eadem confirmatur veritas. Nanque diuinatio cognitionem quandam ſupponit, quam ſuis viribus homines aſſequi non poſſunt. Et licet aliqui eam in humanam ſapientiam, vel in corporis habitum reuocare voluerint: tamen, id omni ex parte fieri nullo modo poteſt. Inter alios qui diuinatione delectati ſunt, hi a Clemente Alexandrino numerantur. Battus, Pythagoras, Abaris, Ariſteas, Epimenides Cretenſis, Zoroaſtres Medus, Empedocles Agrigentinus, & Phormio. Ait tamen Clemens, omnem diuinationem a Dæmone fuiſſe. Et, vtcunque ſit, adhuc hic locus

Lib. 1. Strom. Plato 1. de leg.

Marſil. Fin. arg. in Minoë. Plat.

Cic. de diuin.



locus noſtrā concluſionem probat. Quoniam, ſi mali Dæmones per ſua oracula homines docuerunt, aut potius deceperunt, cur etiam boni Dæmones & Deus ipſe eoſdem homines non bene inſtituerunt? Verum, Dæmones appropinquante aduentu ipſius veritatis, Filij nimirum Dei, conticeſcere cœperunt; quam ob rem Ethnici admirabantur, & cauſſam diligenter inquirebant; ſed inuenire non potuerunt: quam ipſe Dæmon, his verbis, cuidam reſponſum petenti, aliquando manifeſte aperuit:

*Me puer Hebræus diuos Deus ipſe gubernans,*
*Cedere ſede iubet, triſtemq; redire ſub orcum.*
*Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.*

Et vt breuitati ſtudeam, hunc vnum locum ad id confirmandum, quod dicebamus, attigiſſe ſufficiat. Huc pertinent etiam reuelationes per inſomnia, per quæ homines ſe diuinitus doceri exiſtimant: qua de re multi multa ſcribunt: & ſi locus, & inſtituti ratio id paterentur, multa dicerem: ſed cum longius ab incepto aberrare nolim, qui plura cognoſcere voluerit, citatos in margine legat auctores, ac ſpeciatim Syneſium. VI. Aliquam doctrinam reuelatam diuinitus fuiſſe, luculentum ex Sybillarum oraculis ſumitur teſtimonium. Hæ nanque, quod etiam Ethnici confitentur, multa futura, quæ poſtea euenerunt, prædixerunt, & earum oracula tanquam diuinitus dictata, magna in veneratione, præſertim apud Romanos fuere, vt ex multis ſcripto-

Plut. Cicer. Lege Niceph. lib. 1. c. 17. Suidas.

Syneſius. Aug. li. 5. de ciu. Val. Max. Iuſti. hiſt. Pomp. de immor. animæ.

ſcriptoribus ſacris, & profanis colligere licet; & ſpeciatim ex Cicerone libro primo Familiarii, epiſtola prima. Et libro de diuinatione meminit carminum cuiuſdam Sybillæ, quorum primæ literæ hanc ſententiam faciunt: Ieſus Chriſtus, Seruator, Crux. Vt merito Theophilus Alexandrinus libro ſecũdo contra Autolycum, eas, prophetiſſas appellauerit. Sed quoniam de Sybillis lõgiorem hiſtoriam texere nolo, ſi quis earum oracula videre cupit, legat libellum, in quo earum fragmenta fuere collecta, & eos auctores, qui de illis aliquid memoriæ prodiderunt. VII. Eandem concluſionem confirmat auctoritas eorum, qui exiſtimarunt bonos Dæmones homines cuſtodire, & erudire: quod, vt noſtros doctores ſilentio prætereamus, & philoſophi, & poetæ ſæpe docuerunt. Et, vt omittamus totam Platonicorum ſcholam, quæ hoc perſuaſum ſemper habuit, inter quos ſpeciatim Calcidius in Timæum Platonis, vbi hoc luculentiſſimis verbis docet, Phocillides hac de re, hæc ſcripta reliquit:

Luc. Flo. Lact. Fir. Iuſt. Mar. in apol. Cõſt. Imper. Aug. Barthol. Sybillę in ſpeculo pereg. q.

Phocillides.

*Dæmonibus non vna viris natura nocendi eſt:*
*Sunt longe venientia, qui mala pellunt.*

Et Menander:

Menander.

*Adeſt viro cuilibet Dæmon bonus,*
*Cum natus eſt ſtatim, vt ad vitam inſtruat.* &c.

Idem, vt eſt apud Arrianum, his verbis docuit Epictetus: Quin etiam ſuum cuique curatorem dæmonem (Larem Latini appellant) appoſuit Deus,



Deus, qui cuſtos eſſet vigilantiſſimus, quem latere nihil poſſet, aut fallere. Huc pertinent, quæ de Genijs & Laribus Ethnici homines ſenſerũt, & ſcripſerunt. IIV. Idem longa oratione confirmarem, ſi per hiſtorias oſtendere vellem omnes ſcientias, & artes, præſertim obſcuriores, diuinitus datas fuiſſe primis illis hominibus; id quod expreſſe ex ſacris diſcitur literis. Et de Adamo, ex noſtris nemo eſt qui dubitet, eum omnes ſcientias a Deo habuiſſe, & per eum ad poſteros permanaſſe, & ab Hebræis, Chaldæos & Ægyptios accepiſſe, a quibus cæteri habuerunt. Quod hoc loco docemus, manifeſtum eſt ex Clemente Alexandrino, ex Theodoreto libro primo de curandis græcanicis affectionibus, ex Euſebio Cæſarienſe de præparatione Euangelica, & ex Cyrillo Alexandrino libro primo contra Iulianum apoſtatam. Itaque grauiter errauit Diogenes Laertius, qui hanc gloriam de inuentione ſcientiarum, ſuis Græcis tribuere conatus eſt: cum prius apud omnes alias fere nationes, quam apud Græcos fuerint, vt ij docent ſcriptores, quos citauimus. Poſtremo, poſitam concluſionem his paucis rationibus confirmare poſſumus. I. Deus poteſt ſapientiam ſuam hominibus communicare, & homo poteſt eam recipere, eaq; indiget; quæ omnia iam probata ſunt, ergo cenſendum eſt eam ei communicaſſe: quia, vt præclare ſcripſit Cicero, eſt contra naturam non communicare ſapientiam. II. Scientia humana

Lege Cyril. cõtra Iul.

Lib. Stro.

Diogen. Laer.

humana non eſt talis perfectio, quam omnes acquirere priuatim poſſint, neque etiam homini ad beate viuendum, vt poſtea demonſtrabitur, ſufficit: debuit ergo aliqua doctrina diuinitus dari. III. Nulla lex humana potuit, aut poteſt hominem perfectum reddere, & in officio continere: ac proinde legiſlatores ſupra citati ſuas leges a Dijs ſe accepiſſe dixere: debuit igitur dari aliqua lex diuina. IV. Olim apud omnes nationes, & populos erant multæ leges conſuetudines, opiniones & errores contra legem naturalem, quos errores ſublatos fuiſſe cernimus; ergo per aliquam legem diuinitus datam. Alias enim ſi humanum genus non fuiſſet diuinitus edoctum, iam rationis lumen nuſquam appareret. Et hæc ad confirmandam concluſionem ſupra poſitam attuliſſe placuit: quæ ſi voluiſſem varietate doctrinæ amplificare, non vnum caput, ſed integrum librum confeciſſem. Satis ergo mihi fuit, locos indicaſſe. Nunc ad alia pergamus, quibus quæ dicta ſunt adhuc confirmabuntur magis.

Frãc. Zephi. orat. de relig.

*Hominis naturam eſſe deprauatam, nec in eo ſtatu eſſe, in quo a Deo creata fuit, varijs rationibus demonſtratur.* Cap. V.

ET, vt ea quæ hactenus dicta ſunt, & quæ poſthac de doctrina reuelata dicturi ſumus euidentius demonſtrentur, antequam vlterius progredior,



progredior, illud demonſtrare contendam, ex quo reuelatæ doctrinæ vtilitas, & neceſſitas, nota ſunt. Id autem eſt, oſtendere naturam hominis eſſe deprauatam, nec eſſe in eo ſtatu, in quo a Deo artifice optimo primum fabricata fuit: quod his rationibus facile perſuaderi poteſt. I. Experitur homo in ſeipſo motus quoſdam inordinatos, turpes, contra rationem & honeſtum; quos ipſe non eliceret, cum ipſo nolente conſurgant: quos, etiam ſi velit, quin exoriantur impedire non poteſt: quorum maxime pudet: a quibus aliquo pacto trahitur: vt cum quodam Poeta ei dicere liceat, Video meliora proboque, deteriora ſequor: & cum Paulo, ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. At non eſt credibile Deum ſapientiſſimum, & optimum, creaturam præſtantiſſimam, & ſibi ſimilem in hoc ſtatu miſero, turpibus cõmotionibus ſubiecto, & obſcœnis appetitionibus expoſito, creaſſe: Cum huiuſmodi perturbationes ſint contrariæ rationi, quæ eſt præcipua in homine pars: quas perturbationes ipſi etiam philoſophi vehementer damnarunt, beſtias, ſerpentes, & furias eas appellando: erit igitur humana natura a ſuo ſtatu dimota. II. Deus eſt ſumma pax, & omnis concordiæ, ac conſenſionis auctor: ergo non eſt credendum eum fuiſſe auctorem maximæ diſcordiæ, & rebellionis, quæ reperitur in homine:

Ouid.

Rom. 7.

Rom. 7. ne: in quo, corpus pugnat contra animam, quã
Sap. 9. ſua mole aggrauat, & deprimit: caro contra
ſpiritum, cui vehementer reluctatur: ſenſus contra rationem, quam ad ea, quæ ſibi ſunt vtilia,
Rom. 7. facile trahit; vt ſi rationem viuendi ſpectes, po-
Pſal. 48. tius hominem iumentum inſipiens, quam diuinum animal eſſe putes: cum, vt quotidie cernimus, & experimur, ſæpius caro, quam ſpiritus; & ſenſus, quam ratio in hac pugna vincat: quo fit, vt potius dominus ſeruo, & regina ancillæ, & rex ei, qui ſubiectus eſſe debet, quam cõtra imperet. Quare, ea quæ in hac parua hominis republica, & hoc paruo mundo cernitur diſcordia, non potuit a Deo concordiæ auctore, oriri. Aliunde igitur ortum habuit: ac proinde hominis natura non eſt integra; quo fit, vt inſtauratione egeat. III. Vt Deus eſt auctor naturæ, ita eſt auctor inclinationum, quæ ſunt a natura, & naturam ſequuntur: ſed in homine videmus inclinationes quaſdam ad malum, quod tamen omnis natura non deprauata refugit, omnia
Cic. lib. 1. offic. enim naturæ propenſione ſalutaria amant, fugiuntq; nocentia: non igitur cenſendũ eſt naturam humanam in tali ſtatu fuiſſe a Deo creatam. Quod autem ſit in malum propenſa, quid attinet probare, cum diuina ſcriptura, præter ipſam experientiam, id aperte doceat, cum ait:
Gen. 8. Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. IV. Deus condens naturam, non facit in ea id, quod eſt contra





contra naturam: at homo cuius forma eſt immortalis ita eſt morti obnoxius, vt eam nullo modo vitare queat: ergo non fuit in hoc ſtatu a Deo conſtitutus. Propterea ſcriptura diuina
dicit, Deus mortem non fecit, Deus fecit homi- Sap. 13.
nem inexterminabilem, per peccatum mors, Rom. 5.
per inuidiam Diaboli mors intrauit in mũdum. Huc facit quod Deus homini, quem ſuis manibus fabricauerat, cum ei ligni comeſtionem interdixit; comminatus eſt: In quacunque die Gen. 2.
comederis ex eo, morte morieris: quæ ratio hunc in modum corroborari poteſt. Quo nam pacto conueniunt hæc duo, hominem naturæ propenſione, & quidem maxima, appetere ſempiternam durationem, & vehementer mortem refugere, eamq; exhoreſcere, ob quam cauſſam
dicebat Apoſtolus, Nolumus mori, ſed ſuperue- 2. Cor. 5.
ſtiri, & ita intrare in cœlum, quod factum fuiſſet, ſi natura integra manſiſſet; & homini neceſſario moriendum eſſe, & ſolum breuem quandam vitam, ſeu potius mortem miſeriarum plenam viuere? Ergo ſignum eſt euidentiſſimum naturam humanam non eſſe integram, & mortem eſſe alicuius peccati pœnam, ac aliunde in
naturam irrupiſſe humanam. Id, quod nunc Plin. li. 7. natu. hiſt. in proœ.
docemus quidam Ethnici animaduertentes, dixerunt, naturam erga homines fuiſſe nouercam, quod multis animalibus ratione carentibus longiorem vitam, & morbis minus expoſitam dederit, quam homini omnium animãtium prin-

cipi: ſed hi male damnarunt naturam, cum in caussam tanti mali ſolo naturæ luminæ penetrare non potuerint. V. Deus optimus maximus & ſapientiſſimus debuit fabricare hominem maxime aptum ad beatitudinem, tum corporis, tum animæ conſequendam: nec enim aliter creatura præſtantiſſima formari debuit; at propenſio maxima ad peccandum, & neceſſitas ad moriendũ ſunt beatitudini humanæ maxime contraria; cum peccatum opponatur beatitudini animæ, mors vero beatitudini corporis: ergo nemo ſapiens exiſtimaret Deum ſapientiſſimum, & optimum hominem omnium creaturarum alias præſtantiſſimum, in hoc miſero ſtatu conſtituiſſe. Quod opus non modo Momus, ſed quiuis alius facile reprehenderet. VI. Si quis hominis naturam vitiatam eſſe cognoſcere facile velit, conferat hominem cum alijs animalibus, etiam cum formica, & quam miſera ſit humani generis conditio facile cognoſcet. Cetera animalia ſtatim atque procreata ſunt, quæ ad ſuum finem conſequendum ſunt neceſſaria habent: operationes ſuæ naturæ congruentes exercent, & ſibijpſis ſufficiunt, ſeque tueri poſſunt. At vero homo naſcitur ignorans, ſine rationis vſu, ad quem cum venit, quo ſibi eundum ſit neſcit: in hunc mundum imbecillus, inermis, flebilis, innumeris miſerijs expoſitus, auxilijs deſtitutus, aliena ope indigens, & denique ex parte animi, & corporis valde imperfectus venit. Rurſus, reliquæ creaturæ a ſuis operationibus non deficiunt, poſitum ſibi a Deo ordinem ſeruant, congruenter naturæ ſuæ operantur. At vero homo, non hominem, ſed belluam viuit, rationi non obtemperat, nullis præceptis ligari, nullis pœnis coerceri, nulla humana, aut diuina, aut naturali lege cohiberi, nullis deniq; vinculis frænari poteſt. Quid? quod bona hominum pars ita viuit, vt in illis nullum fere lumen rationis appareat: dum aliena bona rapiunt, famam lacerant, inter ſe trucidant, & mutuis bellis ſeſe conficiunt: ita vt homo non ſit, vt eſſe deberet homini deus, ſed lupus, & ſex millia plura mala faciat homo malus, quam beſtia, vt Ariſtoteles ſcripſit. Quare, ſi Deus hominem, vt nunc eſt, feciſſet, vere inuidus, & parum ſapiens, videri poſſet. VII. Si in operibus naturæ nihil eſt inordinatum, nihil ſine ſumma arte, ac proportione fit; quanto magis opus a ſolo Deo factum debuit eſſe ſumma cum ratione, & congruentia formatũ? At coniunctio animæ cum corpore patibili, & corruptibili, cuiuſmodi eſt hoc noſtrum, eſt inordinata, & ſine proportione; cum inter infinitum, & finitum duratione non ſit proportio vlla: anima enim cum ſit immortalis poteſt infinito tempore informare, & quod non informet, eſt violentia quædam, ac defectus maximus: corpus vero cum ſit corruptioni obnoxium perpetuo informari nequit: ergo ſignum eſt hominem non

Anſ. lib. cur Deus homo.

Athanaſ.

Ariſto. in Eth.

fuiſſe in tali ſtatu a Deo conditum. Rurſus, perfectio animæ pendet a corpore, quia eſt pars hominis: at inconueniens eſt vt perfectio rei incorruptibilis pendeat a re corruptibili; igitur, cum anima nequeat habere ſuam perfectionem niſi in corpore, debuit vniri corpori quod perpetuo conſeruaretur. Eſt itaque humana natura a ſuo ſtatu dimota. IIX. Poſtremo, idem probare licet ex eo, quod videmus hominem creaturarum principem ac dominum non habere illud dominium in creaturas, quod habere deberet: videmus enim eum a ſingulis fere creaturis varijs modis affici, ei neceſſarium eſſe ſummo cum labore victum quærere, creaturarum multarum vim & poteſtatem ignorare; & denique, vt paucis multa complectar, eum omni ex parte miſerum, ac ærumnoſum cernimus: cuius miſeria talis ac tanta eſt, vt multi de humanæ naturæ miſera conditione integros libros ſcripſerint. Hic locus, quem hoc capite attigimus, eſt omnino aptus ad perſuadendum dari aliquam doctrinam reuelatam: cum hominis lapſus fuerit occaſio, vt Deus nobis vtrunque verbum dederit, reuelatum nimirum, & incarnatum. Hac igitur veritate de naturæ humanæ deprauatione confirmata, ad demonſtrandam doctrinæ reuelatæ conuenientiam, & neceſſitatem accedamus.





*Quod conueniens & vtile fuerit aliquam doctrinam homini diuinitus reuelari.* *Cap. VI.*

EX his, quæ de naturæ humanæ vitio explicata & confirmata ſunt, haud difficile erit, quod hoc capite probandum ſuſcepimus, demonſtrare. Et vt breuiter hunc locum tractemus, hanc primã concluſionem ſtatuimus. Congruum ſane fuit, vt Deus aliquam doctrinam humano generi reuelaret. Quam concluſionem probabimus afferendo aliquot congruentias ex parte Dei, & hominis, & ipſius doctrinæ reuelatæ. Conueniens itaq; primum fuit ex parte Dei, quoniam omnia, quæ Deus facit, ideo efficit, vt ſua attributa, ſuasq; perfectiones oſtendat, quas, vno excepto Incarnationis opere, melius in communicanda ſua ſapientia, quam in alijs operibus demonſtrauit. Primum, Deus docendo homines declarauit multum ſuam bonitatem, quia maximum bonum, cuiuſmodi eſt ſapientia, ex infinita ſua benignitate donauit: nec enim Deus inuidus eſt, vt ob inuidiam ſuas perfectiones communicare nolit. Deinde, Deus doctrinam hominibus impertiendo, declarauit ſapientiam ſuam: cum ſapientis ſignum ſit, poſſe docere, & docere. Quare congruum fuit, vt ille qui eſt ſumme ſapiens, hominem, quem ſapientiæ capacem fecerat, ſuam ſapientiam doceret. Ideo aiebat Propheta, Incerta, & occulta ſapientiæ

Ariſt. 1. Met. t. 2.

1. Met. c. 1.

Iac. 1.

Pſal. 50.

Pſal.127. tuæ manifeſtaſti mihi: & alibi, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Patefecit præterea Deus homines docendo, amorem erga eos ſuum: ſiquidem myſteria, & ſecreta non reuelamus niſi amicis, & ijs, quos ſummam caritatem complectimur: Ioan.15. propterea Dominus dicebat Apoſtolis, Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: nam quæcunque audiui a Patre meo, nota feci vobis. Vnde, merito Diuus Athanaſius animaduertẽs hũc Lib.7.de trin. ſummum Dei erga humanum genus amorem, vehementer admirabatur, quod pauciſſimis verbis ſacroſanctum Trinitatis myſterium ei manifeſtare voluerit, cum dixit: Baptizantes eos Marc.vlt. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Poſtremo, declarauit potentiam ſuam, cum ſeſe ad hominis naturam accommodauerit, ac ita cum homine egerit, ac ſi eſſet vnus ex hominibus; cum hominem ad colloquendum ſecum eleuauerit, atque capacem ſuæ doctrinæ fecerit. Attingit itaque ſapientia diuina a fine vſque ad finem, & diſponit omnia ſuauiter. Sap.7. Sumuntur deinde congruentiæ quædam ex parte hominis: Primum, congruum fuit, vt is qui a Deo creatus fuerat, ab eodem etiam perficeretur: & cum inter alias hominis perfectiones potiſſima ſit ſapientia, & rerum altiſſimarum notitia, rationi cõſentaneum erat, vt hanc perfectionem, quam homo ex ſe aſſequi non poterat, a Deo totius ſapientiæ fonte acciperet. Ex quo apparet quanta



ta ſit hominis dignitas, & magnitudo, cum tantam vim facultatemq; habeat, vt, & quæ ſunt ſupra naturam intelligere, & a Deo doceri poſſit. Deinde, cum homo intelligit ſe a Deo doceri, ad eum amandum, colendum, prædicandumq; magis excitatur: & ideo eum non ſolum tanquam parentem, ſed etiam tanquam præceptorem obſeruat, ac reueretur. Poſtea vtilis eſt humano generi rerum diuinarum reuelatio ad meritum: quia dum homo Deo docenti, propter ſolam ipſius auctoritatem, sine rationum momentis credit, ſubijciendo intellectum ſuum in obſequium fidei, magnopere meretur. 2.Cor.10 Ideo aiebat Dominus: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Ioan. 20. Magnus, inquit Maximus Taurinenſis Epiſcopus, eſt fidei, profectus, Maximus cum tantum de Deo concipit, quantum ſermo non poteſt parturire. Hoc meritum ſpeciatim ex eo naſcitur, quod homo ſubijciendo intellectum ſuum fidei, maxime coram Deo ſeſe humiliat: quæ res ſummo Principi mirum in modum placet: cum homo coram ipſo, tanquam iumentum coram domino ſuo fiat. Ad hæc, vtilis eſt homini hæc diuina reuelatio ad ſpem excitandam: Quia, dum homo tantam Dei erga ſe curam, atque beneuolentiam cognoſcit, vt ſecum loqui, tractare, & arcana ſua ſibi manifeſtare velit, nihil eſt, quod ab eo ſperare non poſſit, & debeat. Huc facit, quod Philoſophorum quidam dixit, hominem eſſe veluti ludum Plato. quendam

quendam Dei; quia Deus cum eo familiariſſime ſe gerit. Quod etiam diuina ſapientia apertius docuit, cum dixit: Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum. Fuit etiam congruum ex parte hominis, vt omnes conuenirent in vna eademq; doctrina; & vt eſſet concordia in ijs, quæ ad religionem, & ſalutem pertinent: quam conſenſionem videmus non eſſe inter Hęreticos, cum hac doctrina careant. Denique, augebit congruentiam ipſa etiam neceſſitas, de qua ſtatim dicemus: quia ſine hac doctrina, multa quæ ab omnibus ſciri debent, partim ſciri nulla ratione poſſunt; partim non ſine ſumma difficultate: & quod obſeruatione dignum eſt, hac via, plura ſcit vna ſimplex fœmina, quam doctus aliquis Philoſophus. III. Sumuntur congruentiæ ex parte rei reuelatæ, quæ eſt rerum diuinarum cognitio, quam ſapientiam nominamus. Primum, natura ſapientiæ hæc eſt, vt communicari debeat, quam qui non communicant, contra naturam agunt: non ſecus ac ſi quis lumen petenti, lumen præbere nollet. Ideo ſapienter aiebat quidam, cupio omnia, quæ ſcio in alium transfundere; & in hoc gaudeo aliquid diſcere, vt doceam. Et alius, non eſt diuinius aliquid, quo de quis conſulere queat, quam de ſua aliorumq; inſtitutione. Hoc idem videtur probare Ariſtoteles in Metaphyſica, vbi de natura ſapientię diſputans, ait eſſe maxime eligibilẽ, pręcipuam, & maxime liberam, diuiniſſimam, & hono-

Prou. 8.

M. Tull.

Senec.

Plat. in Theage.

Lib. 1. c. 2.



honorabiliſſimam, & eam homines expetere, & eſſe poſſeſſionem non humanam, eſſeq; indignum, hominem illam non quærere, & Deum, cum non ſit inuidus, eam communicare. Hoc idem nos docuit Salomon, cum de ſapientia dixit. Quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens, & in vijs oſtendit ſe illis hilariter, & in omni prouidentia occurret illis. Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. Deinde, cum ſapientia ſit vnum ex præcipuis bonis, quibus hominum genus in hac vita potiri poteſt; congruum ſane fuit, vt a Deo principe beneficentiſſimo hominibus daretur. Hinc eſt, quod ſapientes, philoſophiam donum Dei eſſe, & hominibus nihil melius ab eo dari potuiſſe, ſæpe dixerunt. Poſtremo, vt veritatem magis ab erroribus, quibus, doctrinæ humana ratione inuentæ, ſcatent, expurgatam haberemus. Secunda concluſio: Doctrina reuelata fuit, & eſt hominibus valde vtilis. Hæc concluſio ex allatis congruentijs clarior eſt, quam vt probatione egeat: & ex ijs, quæ ſtatim ſcribentur, adhuc magis manifeſta fiet. Et in libro ſapientiæ, per hanc doctrinam a Deo reuelatam, quotquot Deo placuerunt ab initio, ſaluos factos fuiſſe, legimus.

Sap. 6.

Lib. Fons Vitę. c. 27

M. Tull. li. 3. offic.

Cap. 9.

Humana

### *Humano generi aliquam doctrinam diuinitus reuelatam, neceſſariam fuiſſe oſtenditur. Cap. VII.*

DEMONSTRAVIMVS hactenus doctrinã reuelatam dari poſſe, idque congruum eſſe: at neceſſariũ fuiſſe pernegaret philoſophus: propterea quibuſdam rationibus huius doctrinæ neceſſitatẽ, nunc vniuerſe probare nitemur. Talem igitur ſtatuimus concluſionẽ: Neceſſaria fuit humano generi aliqua doctrina reuelata: quam concluſionem his rationibus confirmo. I. Ex parte hominis de quo ſapientes quædam quærere conſueuere, quæ omnino quęrenda, & a quocunque cognoſcenda ſunt; quæ ſine reuelatione, ſaltem eo quo debent modo, cognoſci nequeunt: quæſita ſunt iſta. Vnde homo originem ducat, quid ſit, vbi ſit, quo vadat, & per quam denique viam. Si primum ſpectes, quomodo ſinguli homines, niſi a Deo doceantur, vnde homo veniat ſcire poterunt? an ex cęlo? an ex terra? eſt ne ab homine homo omni ex parte formatus? an vero totus a Deo? vel partim a Deo, partim ab homine? an ex tempore? an ex æternitate? Et denique vnde, & quando initium & originem habuit? Quid humana ſapientia incerta, & dubia hac de re certi, & explorati proferet, niſi errores, & fabulas multas? Si ſecundum, qua ratione quiſpiam quid ipſe ſit cognoſcet, cum in bona hominum parte ob vitiatam naturam, vix lumen rationis appareat? cum, vt omnes ſapientes clamant, ſeipſum cognoſcere longe difficillimum ſit? Si præceptum de cognoſcendo ſeipſo maius fuit, vt quidam ſcribunt, quam quod ab homine videretur, ita vt opus fuerit a quodam Deo dari, ſeipſum coſcere quanto difficilius erit? ac proinde homo id non aſſequetur, niſi diuino lumine fuerit illuſtratus. Quis ergo docebit hominem, quid ſit homo, niſi is doceat, qui fabricauit hominem? Quantum a ſapientibus diſputatur, quid nam ſit homo? mortalis, an immortalis? cœleſtis, an terreſtris? ſpiritus, an corpus? an vtrunque ſimul? Nunquid omnes & ſingulos homines id ſcire non permagni refert? non eſt neceſſe? vt genus vitæ honeſtum, naturæq; ſuæ conſentaneum eligant. Dicat mihi humana ſapientia vnde ſit, quod homo animal præſtantiſſimum ac omnium creaturarũ dominus, & finis, quod etiam ipſi philoſophi fatentur, ſit tam miſer, vt fere creaturis omnibus ſit ſubiectus, & ab eis lædatur, ac in tam miſero, atque calamitoſo ſtatu reperiatur? Vnde eſt illa diſcordia, quam homo in ſe experitur? dum aliud vult, aliud efficit; aliud cognoſcit, & aliud appetit? Nũquid in hoc ſtatu a Deo, pacis, vnionis, concordiæq; auctore, conditus fuit? Deus cuius opera debent eſſe perfecte perfecta, vt ipſe perfectus eſt, hominem ita imperfectum, vt videmus, condiderit?



Cic. tuſc. 3.
Cic. lib. 1. de legib.
Ariſt. 2. Phyſ.
M. Tul.

derit? Naturam ergo hominis eſſe a ſuo gradu dimotam, quis cognoſcet? Quis eius vitium corriget? Quis inſtaurabit? An is, qui vitiauit? an is, qui deprauauit? Vt ergo homo ſeipſum cognoſcat clariore lumine, quam ſit humanum, profecto indigebit. Si tertium poſtea ſpectes, vbi reperiatur homo; Eſt ne in mundo tanquã in patria, vel extorris a patria? eſt ne in hoc mũdo tanquam inquilinus, an hoſpes? eſt ne hic ei manendum, an alio eundum? Nunquid iſta cuique cognitu neceſſaria non ſunt? & quomodo cognoſcent omnes? & qua certitudine, niſi omnes ab eo doceantur, qui fecit omnes? Si poſtea quartum conſideres, quid humana ſapientia, ne dicam in hac re ſtultitia, de ſuo proferret? cum humana doctrina nullum certum homini præfiniat finem: ita vt homini, cum, quo ei eundum ſit, ignoret, conſiſtendum ſit. Quo ergo humanum genus in hac re, vt in alijs multis miſerum, ſi a Deo deſtituatur, ibit? An ad voluptates? an ad diuitias? an ad indolentiã? an ad honorẽ? an ad alios innumeros fines, quos ſine vlla certitudine humanæ ei proponũt ſcholę? Erit ergo neceſſarium, vt homini in via conſtituto, & ambulare volenti, & quo eat neſcienti, verus finis ſine vllo errore, & abſq; dubitatione vlla, per reuelationem diuinam oſtendatur. Si deniq; poſtremũ inſpicias, qua via homini eundum eſt? Epicureane, an Cynica? Stoica, an Platonica? an vero Ariſtotelea? Aut omnes hæ viæ ſunt



ſunt malæ, aut bonæ, aut aliqua bona, aliæ vero malæ: ſi omnes malæ, ab omnibus recedendum eſt, & bona inueſtiganda: ſi omnes bonas eſſe dixeris, id fieri non poteſt; quia cum vnus ſit hominis finis, & terminus, vna erit etiam via, quæ eo ducat. Et quæ nam ex his erit? Quod cum humana ſapientia definire nequeat, cum ſecum iſtæ viæ pugnent, diuina doceat oportet. Huc facit luculenta Prophetæ Baruch auctoritas; qui de hac vita, & de ſapientibus huius ſæculi loquens, ait, Eos eſſe fabulatores, negociatores terræ, viam ſapientiæ ignoraſſe, neq; mentionem feciſſe de ſemitis eius: & quia ignorarunt ſapientiam, interijſſe ob inſipientiam ſuam: neque eſſe, qui poſſit ſcire vias eius, & qui ſemitas eius exquirat: ſed ſolum eum, qui fecit vniuerſa eam ſcire, ac inuenire. Cap. 3.

II. Probatur præterea eadem concluſio ex cognitione, quam de Deo debemus habere, quam ſine Dei auxilio habere, vt neceſſe eſt, non poſſumus. Et primum, nemo affirmabit Dei cognitionem homini ad eum colendũ non eſſe neceſſariam: at qualem, & quantam Dei notitiam humana doctrina nobis affert? Alij Deum non eſſe ſtultiſſime dixerunt: alij innumeros Deos, aut ſaltem multos eſſe affirmarunt: alij vnum cognoſcentes, talem eſſe aiunt, vt non Deum, ſed potius monſtrum quoddam nobis proponant: Deum nimirum finitum, neceſſario agentem, & agentem: ſine prouidentia, ſine fœcunditate, & ſine

ſine pluralitate perſonarum. Præterea, ita Deum eſſe probant, vt cum difficultate poſt longas diſputationes, & labores, id efficiant. Quare, cum non omnes rationum momẽtis hanc veritatem inuenire potuerint, nec omnibus licuerit, quam tamen omnes tenere oportet, neceſſarium ſane fuit, vt Deus per doctrinã a ſe reuelatam ſui cognitionem, ſaltẽ maiorem, hominibus pręberet. Ne ergo homo in cognitione eius rei, quam certiſſime & ſine errore cognoſcere debet, erraret, ab ipſo Deo docendus fuit. III. Adde, quod homines naturali propenſione cognitionem Dei appetunt, quã per vires humanas, omnes, & ſinguli, eo modo, quo habere debent, conſequi minime poſſunt; cum parũ quid, & id imperfecte, de Deo naturaliter cognoſcatur: ad quam appetendam ab ipſis creaturis, & effectis excitantur; quia, vbi quis cognouit effectus, naturæ propenſione, cauſam cognoſcere affectat. Ne ergo hic innatus appetitus eſſet vanus, ſapientia diuina

Sap.6.

præoccupauit, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat: dignos ſeipſa circuit quærens, & in vijs oſtendit ſe illis hilariter, & in omni prouidentia occurret illis. Licet ergo Deus aliqua ratione viribus humanis cognoſcatur: tamen, iſta cognitio non eſt talis, ac tanta, vt homines per eam, eo modo Deum cognoſcant, & ea certitudine, qua cognoſcendus eſt. Si ergo

Li.1.Eth. c.2.

ex appetitu ſummi boni, ne talis appetitio eſſet vana, Ariſtoteles dari ſummum bonum bene probauit,



probauit, quare etiam nos ex eadem appetitione non efficaciter probabimus dari aliquã ſcientiam reuelatam, cum homines non poſſint conquieſcere in ea de Deo cognitione, quam habent imperfectã per ſcientias humanas? & cum eam per humanum ſtudium acquirere non omnes queant, cum tamen omnes appetant, cur Deus, vt omnibus hominibus conſuleret, non reuelauerit? IV. In natura, vt Philoſophus docet, non inchoatur aliquis motus, aut aliqua operatio, quæ non poſſit perduci ad finem: at multi, vt ex iam dictis patet, quærunt doctrinam per reuelationem, & cum conſilio indigẽt, ad aliquod numen naturali quodam ductu, ſeſe conuertunt; ergo vt iſte motus habeat ſuum terminum, & finem conſequatur, ne ſit aliquid fruſtra in natura, debet dari doctrina reuelata: alias enim in vanum homines inuocarent Deũ. V. Nullus effectus perfecte cognoſcitur, niſi eius cauſſa perfecte cognoſcatur, & maxime quando non ſolum cauſſa eſt efficiens, ſed etiam exemplaris: at Deus eſt cauſſa efficiens, & exemplaris omnium rerum; ergo res non poterunt perfecte cognoſci, niſi Deus rerum omnium effector, & exemplar perfecte cognoſcatur. Quare cum iſta perfecta cognitio per humanas ſcientias non habeatur, neceſſarium eſt vt aliqua ſcientia de Deo reuelata detur: Vt ſit menſura, & quaſi omnium veritatum, ac ſcientiarum regula. Vt ſicuti cuiuſque rei exiſtentia neceſſario

Aug. lib de ver. rel. Lib.9. de ciu.

rio ab eſſe Dei pendet, ita omnis cognitio a cognitione pendeat diuina. VI. Hominis finis ac perfectio, vt philoſophi docent, eſt ſcientia, non cuiuſcunque rei, ſed diuinarum rerum: atqui hanc ſcientiam non poſſunt omnes naturaliter acquirere; ergo, ne ſuo fine fruſtrarentur, Dei notitia diuinitus danda fuit. VII. Vbi Deus cognitus eſt, debito ac conuenienti cultu colendus eſt, vt ipſa natura omnes populos, & omnes nationes docet: a qua ratione humana imbecillitas poſſet cognoſcere, quibus rebus, quibus officijs, quibuſque cæremonijs diuinum ac æternum numen recte ſit colendum, niſi ipſum per ſe docuerit? Quo modo poteſt humana mens intelligere, quibus rebus Deus delectetur, quibus offendatur, & placetur, niſi ipſemet oſtendat? Quare, ſi humanum genus ſine religione conſeruari nequit, quam ob cauſſam, cum leges humanæ ad retinendam inter homines concordiam, & iuſtitiam non ſufficerent, religio in ciuitates, vt quidam dixere, introducta fuit, & ſi vera religio ſine Dei notitia haberi non poteſt, profecto doctrina diuinitus reuelata neceſſaria erit. Confirmatur hæc ratio: Lex humana non perficit hominem, neque ei dat vires, vt faciat quæ mandat, & idcirco ea non ſeruat: danda igitur neceſſario erit aliqua lex diuina, vt homo per eam perfici queat. Et has ad propoſitam concluſionem confirmandam rationes attuliſſe ſufficiat; quam etiam ex ijs, quæ poſthac ſcribentur, adhuc magis confirmabimus.

Ariſt. lib. 10. Eth.

Lact. Fir.

Marſ. Ficin.



*Proponuntur, & ſoluuntur nonnullæ rationes pugnantes contra ea, quæ demonſtrata ſunt. Cap. VIII.*

ANTEQVAM ad alias quæſtiones explicandas tranſitum faciamus, quæ contra iam dicta rationes afferri poſſunt, eas diſſoluere operæpretium erit. Prima ratio, ſi doctrina reuelata eſſet humano generi neceſſaria, data fuiſſet a principio mundi: at non fuit data; quia vt Chriſtiani confitentur, primum per Moyſen, & poſtea per alios tradita fuit: non eſt igitur neceſſaria: alias enim illos primos homines Deus re neceſſaria defraudaſſet. Reſpondetur: in primis, certiſſimum eſt per omnes hiſtoricos doctrinam, quam Chriſtiani Deum reuelaſſe Moyſi fatentur, eſſe doctrinam antiquiſſimã, qua nulla alia eſt antiquior: a qua legiſlatores, philoſophi, & alij viri docti, & maxime poetæ multa de mundi creatione, de primo hominum ſtatu, & de multis alijs rebus, quas ſuis profanarunt fabulis, acceperunt: in quibus huic auctori fidem, vt poſſem longa oratione probare, habuerunt: at certiſſimum eſt hos libros ſcriptos fuiſſe diuina reuelatione, cum de mundi creatione, & de tota humani generis ſucceſſione in eis, poſt multos annos a mundi exordio, agatur,

nec enim iſta, ab illo homine potuerunt alia ratione cognoſci, ergo etiam ethnici aliquam doctrinam reuelatam concedere videntur. Deinde, reſpondeo ad hanc argumentationem directe, negando non fuiſſe datam aliquam doctrinam reuelatam a principio mundi: quia, vt in ſacra Geneſi legimus, aliquid illis primis patribus a Deo reuelatum fuit. Neque tanta tunc opus fuit reuelatione, vt poſtea; tum quia rationis lumen non erat multum diminutum: tum etiam, quod cõueniens erat, vt Deus hominem, qui ob nimiam ſcientiæ appetitionem peccauerat, hac maiore cognitione priuaret: vt, vel hoc modo, quantum diuino egeret auxilio melius intelligeret. Deinde, negamus Deum deſtituiſſe illos homines: quoniam eorum mentes ea maiore notitia, qua ad ſeipſos & Deum cognoſcendum, & ſalutem conſequendam egebant, interne illuminabat: de qua re poſtea copioſius ſcribam. Secunda ratio, ſi homo eget doctrina reuelata, maxime ob cognitionem ſui finis, vt omnes affirmare videntur Theologi: at hæc ratio a fine ſumpta non videtur neceſſario concludere, igitur. Nam, vel loqueris de fine ſupernaturali in alia vita, & hoc nihil eſt; quia iſta cognitio non eſt neceſſaria in hac vita, ſed in alia: deinde, ſufficit vt cognoſcatur in vniuerſum dari aliquem alium finem in alia vita: quod naturaliter cognoſci poteſt, & philoſophi cognouerunt. Vel loqueris de fine naturali: at hic finis naturæ



naturæ viribus cognoſci, & acquiri poterit, cum poſitus ſit in ea Dei cognitione, quam naturaliter aſſequi poſſumus; quæ licet non ſit perfecta; tamen tanta eſt, quantam hic vitæ ſtatus requirit: alias enim non diceretur naturalis, igitur. Quod ſi diceres, oportere cognoſcere viam ad conſequendum finem ſupernaturalem; reſponderet philoſophus, hanc viam eſſe legem naturalem, quam, vt Paulus docet, gentes naturaliter ſeruant. Non ergo opus eſt medijs diuinitus reuelatis. Et ſi diceres, requiri ad cognoſcenda multa, quæ naturaliter de Deo cognoſci nequeunt; reſponderet aduerſarius, iſtam cognitionem non eſſe neceſſariam in hac vita. Nulla igitur ratione talis doctrina neceſſaria videtur. Rom. 2.

Ad hanc obiectionem dicimus, diuinam reuelationem neceſſariam eſſe ad vtrunque finem: ad ſupernaturalem quidem, quoniam in hac etiam vita cognoſci debet, vt in eum actiones noſtras dirigamus, & vt ſit earum principium, ac regula; cum per eas attingendus ſit: quare non ſolum in alia, ſed etiam in hac vita cognoſcendus erit. Ad naturalem etiam, quoniam cognitio Dei quæ per naturã habetur, non eſt omnino certa, & indubitata, nec facilis omnibus. Nec enim humana ſapientia propoſuit nobis verum finem practicum huius vitæ, qui eſt amor Dei; quem finem humanæ vires ex ſe non attingunt. Fuit etiam neceſſaria ratione mediorum, cum lex humana, vt diximus, & dicemus, non ſufficiat

ciat ad recte viuendum. Adde, quod multi ea non norunt, idque ex eo patet, quod multæ nationes, multos mores naturali legi cōtrarios, habuerunt. Tertia ratio, potentia ſenſitiua non eget aliquo auxilio ſupernaturali ad ſuam operationem exercendam; ergo neque intellectiua egere debet: quia potentia ſuperior non debet eſſe imperfectior; quod contingeret ſi vi intellectiuæ extrinſeca perfectione opus eſſet: Reſpondetur, eſto ſenſum non egere aliqua ſupernaturali perfectione: tamen negamus intellectum non indigere, cum ſit potentia perfectionis etiam ſupernaturalis capax. Nec propterea ſequitur ſenſum eſſe perfectiorem; quia comparatio fit inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis, & ordinis; & tunc, ſi vnum aliquo eget, quo alterum non caret, hoc erit vtique nobilius illo: at ſenſus & intellectus ſunt diuerſi ordinis, vt conſtat, igitur. Adde, quod longe melius eſt ad nobiliorem finem conſequendum pluribus, quā ad ignobiliorem, nulla re indigere. Cum ergo intellectus ad finem altiorem, & digniorem, quam ſenſus, ſit eleuatus, non eſt mirum ſi pluribus egeat. Deinde, ſi intellectus ad finem naturalem indigeret auxilio extrinſeco, tunc fortaſſe eſſet ignobilior ſenſu: at vero, non ita eſt. Etenim ſi ponas finem naturalem eſſe Dei cognitionem per creaturas, dicam, vt tu dicis, hunc naturaliter acquirere: at vero poſſe etiam finem ſupra naturam attingere, eſt maxima perfectio,

D.Tho.1. ſent. q.1. prolog.

D.Tho.1. 2. q. 109. ar.5.ad 3.

fectio,



fectio, quamuis alieno auxilio ſit opus. Denium, licet reuelata notitia ſit a Deo: tamē poteſt quodamodo dici noſtra: quia Deus præſto eſt ad illam concedendam, cum homo (quod etiam ethnici cognouerunt) ſit gratus Deo, eique cognatus, & amicus. Quæ autem διὰ τῶν φίλων. id eſt, per amicos poſſumus, aut facimus, δι' ἡμῶν αὐτῶν ἐστιν, id eſt, per nos, auctore Ariſtotele, quodam modo ſunt. Quarta ratio, ſi doctrina reuelata eſt neceſſaria, maxime, quia finis ad quē homo tendit, eſt res quædam ſupernaturalis, ad quam viribus naturæ aſpirare nequit: cum non ſit proportionata facultas ei a natura ad ſupernaturalia tributa: ſed hoc non obſtat; quia eandem difficultatem facerem, de iſta doctrina reuelata, igitur. Nam, aut iſta doctrina reuelata eſt homini naturalis, aut ſupernaturalis: ſi naturalis, adhuc iſta cognitione accepta, intellectus humanus erit ineptus ad cognoſcendum finem ſupernaturalem: ſi ſupernaturalis, intellectus erit ineptus ad eam recipiendam, & vt recipiat egebit alio dono ſupernaturali, quo fiat aptus ad iſtam doctrinam capeſcendam: & cum tale donum ſit ſupernaturale, de iſto erit eadem difficultas, & ita dabitur progreſſus in infinitum: ergo dicēdum eſt intellectum, ex ſe, aptum eſſe ad percipiendum finem ſupernaturalem ſine vlla alia reuelata doctrina. Vt hoc argumentum diſſoluatur, notandum eſt, duobus modis poſſe fieri aliquid alicui rei improportionatum: alte-

D.Tho.1. 2. q. 109. ar.4.ad 2.

Ariſto.3. Eth.

 ro

ro modo ad agendum, cum ſcilicet non poteſt actum elicere circa aliquid; vt calidum remiſſum, quod non poteſt calefacere ferrum: altero modo ad patiendum: vt eſt ferrum, quod a tali calido affici non poteſt. Et licet hoc calidum ſit improportionatum ad calefaciendũ hoc ferrum, tamen aptum eſt, ab aliquo alio magis calido magis calefieri. Ad rem, intellectus humanus eſt quidẽ impotens ad eliciẽdum actum ſupernaturalem, quo cognoſcat Deum vt eſt finis ſupernaturalis; non tamen eſt ineptus ad excipiendum auxilium a Deo, quo adiutus poſſit talem actum producere: quo fit vt non detur progreſſus in infinitum: quia, licet doctrina reuelata, vel illud auxilium ſit ſupernaturale; tamen mens humana habet naturalem potentiam ad illud recipiendum, vt poſtea probabitur. Eſt ergo in argumento fallacia, dum ab impotentia ad agendum tranſitur ad impotentiam ad recipiendum. Quia, licet potentia humana non poſſit attingere finem ſupernaturalem: poteſt tamen recipere auxilium, quo roborata, hunc finem cognoſcat. Quincta ratio, potentia quæ naturaliter fertur in ſuum adæquatum obiectũ, fertur quoque naturaliter in omnes partes, quæ ſub tali obiecto continentur: naturale autem, & adæquatum obiectum intellectus, eſt ens, vt omnes qui ſapiunt, fatentur, ſub quo continetur etiam Deus ſub quacunque conſideratione, ſub quam cadere poteſt: poterit igitur intellectus

Ariſt. 4. Met.



ctus naturaliter Deum cognoſcere ſub quauis ratione: vnde fit, vt doctrinæ reuelatæ nulla ſit neceſſitas. Poſſet hæc argumentatio explicari exemplo oculi & coloris: oculus fertur in colorem, tanquam in obiectum adæquatum: ergo & in omnes coloris ſpecies: idem dicimus nos de intellectu, & de ente. Alias enim, ſi intellectus non poſſet ferri in omnes partes entis, ens non eſſet ipſius obiectum adequatum, quod eſt falſum. Huic argumento ſatis ſubtili reſpondetur hac diſtinctione a ſubtili Doctore excogitata. Duobus modis aliquid ab intellectu cognoſcitur: vno modo motiue, altero terminatiue. Ea intellectus motiue cognoſcit, quorum proprias ſpecies recipit, a quibus ad intelligendum excitatur: quo pacto oculus dicitur videre colorem motiue, quia eius ſpecies recipit: ea vero terminatiue, quorum ſpecies non recipit, nec ab illis mouetur: tamen, per ſpecies alterius rei in cognitionem illorum peruenit, ſuamq; cognitionem in ea terminat. Vt ecce, ſenſus videt aliquam imaginem motiue per eius ſpeciem: intellectus excitatus a ſpecie imaginis, venit in cognitionẽ rei, cuius eſt imago, & in hanc rem eius cognitio terminatur: & ita res imagine repræſentata, terminatiue cognoſci dicitur. Hac poſita diſtinctione, rurſus animaduertendum eſt, intellectum noſtrum in hac vita ſolum moueri a rebus ſenſibilibus: quam ob cauſſam dixit aliquando philoſophus, nihil eſſe

eſſe in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu: res vero, quæ per ſe non cadunt ſub ſenſum, percipit ſolum terminatiue, per ſpecies rerum ſenſibilium: & maxime res ab omni materia ſeiunctas: quo fit, vt illas indiſtincte, & confuſe cognoſcat, per ſuos effectus. His ita notatis, hunc in modum allata ſoluitur argumentatio. Ens vniuerſe ſumptum, non eſt naturale obiectum motiuum intellectus: quia, vt patet, non intelligimus res a materia abſtractas per ſe motiue. Quare, ens, vt abſtrahit a motiuo & terminatiuo, eſt adæquatum obiectum intellectus: & ita quod in argumento ſumitur, nihil contra nos concludit. Solum enim euincit intellectum poſſe terminatiue Deum cognoſcere per ſpecies aliunde acceptas; ſicuti per ſpecies ab ipſis creaturis ſumptas naturaliter cognoſcitur. Quare, ſi diuinitus ſpecies recipiat, poterit Deum terminatiue, ſupernaturaliter cognoſcere. Et hæc ſunt efficaciora argumenta, quæ poſſent ab aduerſarijs noſtræ fidei afferri. Nunc contra eandem doctrinam argumenta quædam Theologica afferam, & diſſoluam.

*Afferuntur, ac ſoluuntur argumenta quædam Theologica probantia doctrinam reuelatam non eſſe neceſſariam. Cap. IX.*

VT veritas de neceſſitate doctrinæ reuelatæ, quæ eſt noſtræ religionis fundamentũ, adhuc



adhuc confirmetur magis, alias rationes ex ipſa reuelatione depromptas ſoluere eſt neceſſe. Poſſet itaque aliquis Chriſtianus in fauorẽ philoſophi, hunc in modum contra veritatem catholicam argumentari. I. Gentes, vt ex Paulo conſtat cognoſcunt Deum per creaturas; & habent legem ſcriptam in corde, & naturaliter ea, Rom. 1.
quæ legis ſunt faciunt: at factores legis, eodem Rom. 2.
auctore, iuſtificantur: ergo ad iuſtitiam, & beatitudinem acquirendam non eſt opus aliqua doctrina reuelata: cum per naturam, & finis, id eſt Deus, & media, id eſt lex naturalis, habeantur. Huius argumenti, quod non paruam habet difficultatem, & maxime propter illud verbum, naturaliter, variæ ſunt ſolutiones. Prima, dicuntur gentes naturaliter facere, quæ ſunt legis, non tamen ſine gratia, quæ cum perficiat naturam, & homo cum ea a Deo creatus fuerit, naturalis dicitur. Itaque, non ſola natura, ſed natura cum gratia, quæ haberi ſine fide non poteſt, gentes naturalem legem implebant. Hanc reſponſionem aliquando attulit Auguſtinus, quã etiam diuus Thomas approbauit. Secunda explicatio: ſi, naturaliter, ſumatur ſine gratia, dicendum eſt, gentes ea, quæ ſunt legis naturaliter facere, ſed non omnia, neque meritorie. Neq; enim natura humana per peccatum eſt ita deprauata, quin poſſit aliquod præceptum legis naturæ, ſolo cõmuni Dei auxilio, ſeruare: quod aliqui ſine ratione negant. Seruabat igitur ethnicus

L. de ſpir. & lit. c. 26 & 27.
2.2.q.109 ar.4. ad 1.
Greg. Arimin. 2. S. d. 27.
Capr. d. 25.
Gaſpar Caſal. Roſenſis. ar. 36.

ethnicus legem naturalem, ſed non omni ex parte, neque meritorie. Propterea, vt iuſtificari poſſet, egebat lumine fidei, & auxilio gratiæ; vt in eadem epiſtola non ſemel docet Paulus. Si ergo illi homines feciſſent, quod facere poterant, nec euanuiſſent in cogitationibus ſuis, non fuiſſent reprehẽſibiles, & illos iuſtificaſſet Deus. Tertia expoſitio, quæ eſt longe melior: in ea epiſtola Paulus partim Iudæum, partim Alienigenam reprimit, vt eos inter ſe conciliet. Iudæus enim gloriabatur ob legem a Deo acceptam: Gentes vero ſuam oſtentabant philoſophiam: Paulus vtroſque reprimendo, docet, nec legẽ, nec philoſophiam iuſtificaſſe, ac proinde opus eſſe fide & gratia ad ſalutem conſequendam. In vtriſque ergo tria poſſunt conſiderari, fides, gratia, & eorum quæ facienda erant, notitia, quę in Iudæo per legem, in Ethnico per philoſophiã & legem naturalem erat. In vtriſque ergo Paulus requirit, ſeu ſupponit fidem & gratiam, quæ duo illis erant communia: & ait Iudæum facere opera legis, per legem a Deo datam, Alienigenam vero loco legis habuiſſe notitiã ſeu legem naturalem, & ita ſolum in lege fit comparatio. Cum ergo ait, Gentes naturaliter facere quæ legis ſunt, per, naturaliter, intelligit, legem naturalem, ſine lege diuinitus data, non tamen ſine fide, ſeu reuelatione, & ſine gratia. Et hæc eſt germana huius loci explicatio. Secunda ratio, vt homo finem ſuum conſequatur, duo requiruntur:

Anſel. in hunc locum.



runtur: vnum ex parte intellectus, alterum ex parte voluntatis: ex parte intellectus, vt ex Paulo epiſtola ad Hebræos colligitur, requiritur cognitio de exiſtẽtia, & prouidentia Dei, quæ duo naturaliter cognoſci poſſe, etiam ſancti patres affirmant, inter quos non vno tantum in loco id docet Chryſoſtomus: & in libro ſapientiæ, & in alijs ſcripturæ locis, id non obſcure docetur. Rurſus, requiritur cognitio eorum, quæ agenda ſunt, & id, vt ex Paulo loco citato liquet, per legem naturalem, quæ gentibus fuit loco legis ſcriptæ, ſcitur. Quare, ex parte intellectus, vt ipſa ſcriptura affirmat, non erat opus aliquo auxilio ſupernaturali: quæ res hac ratione efficaciter confirmatur. Nam, ſi a creatura mundi inuiſibilia Dei cognoſcuntur, vt Paulus fatetur; multo magis, hæ duæ veritates, nimirum Deum eſſe, & habere prouidentiam, ac proinde bene agentes remunerare, & improbos punire, quæ non ſunt inuiſibilia, ſufficienter cognoſci potuerunt. Reſtat ergo vt probemus non fuiſſe opus ſupernaturali auxilio ratione executionis, quod ex hoc diuinæ ſcripturæ loco facile demonſtratur. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere, quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, & opere compleamus? &c. Hic mentio fit de lege, quam Deus populo Hebræo dederat, quæ continetur decem præceptis, quæ præcepta,

Cap. 11.

Sap. 13.

Rom. 1.

Deut. 30.

præcepta, vt omnes ſcribunt, ad legem natura-
lem pertinent. Si ergo hæc præcepta non ſunt
ſupra nos, ſi non procul poſita, proculdubio
viribus naturæ ſeruari poterunt: alias opus eſ-
ſet aſcendere in cœlum ad accipiendam notitiã
qua cognoſcerẽtur,& gratiam, qua ſeruarentur,
quod ſcriptura negat. Quod ad priorem huius
argumentationis partem attinet, non negamus,
quod etiam ſcriptura ipſa docet, poſſe Deum
per creaturas naturaliter cognoſci; ſed dicimus
hanc cognitionem non eſſe talem, ac tantam, vt
homini ad ſalutem conſequendam ſufficiat.
Quia, per cognitionem naturalem non habetur
ea firma, & certa notitia, quæ neceſſaria eſt, vt
tandem Deo cognito, homo ei ſoli ſeruiat: &
ideo opus eſt, vt Deus ſuo lumine magis homi-
Heb.11. nem illuſtret. Propterea Paulus dicebat, ſine
fide impoſſibile eſſe placere Deo, id eſt, ſine illo
Caiet. in hunc locum. maiore, ac ſupernaturali lumine. Et quod ſpe-
ctat ad cognitionem remunerationis, quo modo
aliquis cognoſcet Deum eſſe remuneratorem ſu-
pernaturaliter? licet poſſit cognoſci eſſe remu-
neratorem aliqua alia ratione per bona tempo-
ralia. Poteſt etiam dici, Paulum hæc duo, re-
quirere in eo, qui velit ad Deũ accedere, ſed nõ
dicit tantum iſta duo ſufficere. Ceterum, hac
de re inferius fuſius diſputabo. Quod vero ad
1. Cor.3. auxilium ad executionem neceſſarium, attinet,
1.Cor.12 eadem ſcriptura docet, ſine Deo nihil nos poſſe
boni, non modo facere, ſed nec cogitare quidẽ:
quod



quod etiam ſacra decernunt concilia. Locus Mileu. Arauſ.
autem allatus ſic accipiendus eſt, ideo naturalia
præcepta dicuntur non eſſe ſupra nos, quia ſunt
proportionata homini in ſua integritate exiſten
ti, quæ ſeruare potuiſſet ſine ſpeciali auxilio, ſe-
cus dicendum eſſet de præceptis ſupernaturali-
bus, quæ ſine ſupernaturali gratia ſeruari non
poſſunt: homini autem lapſo proportionata eſ-
ſe dicuntur; quia Deus ſemper adeſt cum ſuo
ſpeciali auxilio. Tertia ratio, Homo peccator
in quocunque ſtatu, & in quacunque hora eum
pęnituerit poteſt, vt eſt apud Ezechielem, iuſti- Cap.33.
ficari: at ſi opus eſſet iſta doctrina reuelata, id
ſtatim fieri non poſſet; quia, vt docet Paulus, Rom.8.
nemo poteſt credere ſine prædicante, & nemo
poteſt prædicare, niſi mittatur: non eſt igitur
ponenda iſta doctrinæ reuelatæ neceſſitas; ne
hominibus ſalutis intercludatur via. Huic ar-
gumento in præſentiarum breuiter reſponde-
bo, ſuper quo plura ſcribere non eſt huius loci.
Dico igitur, Deum nemini deeſſe, & cum quis,
quod in ſe eſt, fecerit, ſi tempus & facultas ade-
rit, Deus mittet doctorẽ, qui inſtruat, & illumi-
net eum, qui conuerti vult; quod non ſemel fa-
ctum fuiſſe legimus. Nam Philippus ad Eunu- D.Tho.in epiſto. ad Rom.c.8. lect.3.
chum, Paulus ad Macedones miſſi fuere: &
ſuperioribus annis noſtræ fidei prædicatores ad
Indos hucuſque incognitos, penetrarunt. Si per Act.8.10.16.
tempus non licebit, aut Deus per ſe, aut per an-
gelum eum inſtruet. Quando autem Paulus
dicit,

dicit, fidem eſſe per auditum, loquitur ſecundũ viam & prouidentiam Dei ordinariam, ſecundum quam homines per prædicationẽ ſaluantur. Quarta ratio, omnes Theologi conſtituunt tres ſtatus, nimirum naturæ, legis, & gratiæ. Primus, ideo vocatur naturæ, quia homines viuebant ſecundum legem naturæ, ergo eo tempore non habuerunt doctrinam reuelatam: quia habuiſſent præcepta ſupernaturalia de rebus a Deo manifeſtatis, vt habuerunt poſtea Hebræi. Quare ponere neceſſitatem doctrinæ reuelatæ pro illo tempore, eſt illum primum ſtatum deſtruere: quod ſi in illo ſtatu non fuit opus reuelatione; ergo neque in alijs, cum ſit eadem pro omni ſtatu neceſſitatis doctrinæ reuelatæ ratio. De hoc argumento longius poſtea diſputabitur: nunc dico, ideo illum ſtatum fuiſſe appellatum ſtatum naturæ, quia non fuit data aliqua lex ſcripta, ſed Deus intus illuminabat eos, qui ſe ad diuinum lumen, & auxilium recipiẽdum, quod etiam tunc erat neceſſarium, diſponebãt. Deinde, vt ex ſcriptura patet, Deus illis primis parentibus aliquid reuelauit, quod per traditionem ad poſteros perueniebat. Poſtremo, contra noſtram ſententiam, eſt auctoritas quædam Clementis Alexandrini, qui ſcriptum reliquit, philoſophiam aliquando Græcos iuſtificaſſe: ſi ergo per philoſophiam Græci iuſtificabantur, proculdubio doctrina reuelata non egebant. Auctoritas hæc poteſt exponi eo modo, quo in

Gen. 18.

Lib. 1. Strom.

primo



primo argumento in ſecunda, & tertia ſolutione locum Pauli expoſuimus: quod patet ex verbis, quæ apud Clementem ſequuntur: ait enim, ſed non ad vniuerſam, & generalem iuſtitiam, ad quam cooperatrix (philoſophia nimirum) inuenitur. Iuuat ergo, vt ait doctiſſimus ille pater, naturalis cognitio ad iuſtitiam, ſed eam, ex ſe, non perficit.

*An doctrina reuelata ſit homini neceſſaria ad ſalutem conſequendam. Cap. X.*

CVM ſuperius dictum a nobis fuerit, ideo doctrinam reuelatam fuiſſe neceſſariam, vt per eam homo ſalutem conſequeretur; ideo nunc ſpeciatim explicandum eſt, an hanc ob cauſſam re vera ei neceſſaria fuerit. Et vt id, quod in dubitationem vertitur, facilius percipiatur, quædam prænotanda ſunt. Primum notandum eſt, ſalutem hominis eſſe duplicem: alteram, quæ conſiſtit in glorificatione, & beatitudine æterna, quam poſt hanc vitam homines conſequuntur: alteram quæ conſiſtit in iuſtificatione, per quam homo recedens a peccato, ſit iuſtus, & amicus Dei: propoſita dubitatio de vtraque ſalute intelligenda eſt. Deinde, cum in ſchola Chriſtiana certum ſit, fidem, quæ eſt lumen quoddam diuinum, ad iuſtitiam acquirendam neceſſariam eſſe, quia ſine fide, vt ait Apoſtolus, impoſſibile eſt placere Deo: hoc lo- Heb. 11.

Mat. vlt.

I conos

co nos non quærimus,an ad ſalutis adeptionem opus ſit aliquid credere, & quid, & quantum credere ſit neceſſe: quia hæc diſputatio pertinet ad materiam de fide; ſed ſolum demoſtrare volumus, an vt homo perueniat ad ſalutem egeat aliquo lumine reuelato,ita vt non poſſit a peccato recedere,& beatus fieri,niſi aliquo diuino lumine illuſtratus fuerit. Poſtremo notandum eſt, tribus modis aliquem actum neceſſarium eſſe ad aliquid conſequendum: nimirum neceſſitate præcepti,neceſſitate medij, & neceſſitate vtriuſque,ſcilicet medij & præcepti. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod, & ſi ſit in præcepto; tamen ſi quis impeditus non poſſit illud ſeruare, & exſequi, adhuc ſalutem adipiſceretur: qua non potiretur, ſi ſeruare poſſet, & negligeret. Vt ecce; confeſſio peccatorum apud ſacerdotem dicitur neceſſaria ad ſalutem conſequendam neceſſitate præcepti: quia,ſi quis non haberet copiam confeſſoris, & doleret de peccato,& confiteretur,ſi poſſet;proculdubio iuſtificaretur, etiam ſi re non confiteatur. Illud vero dicitur neceſſarium ratione medij, ſine quo nullo modo finis acquiritur; ſiue illud ſit in præcepto, ſiue non: qua ratione gratia ad ſalutis conſecutionem neceſſaria cenſetur: quia ſine ea nemo ſaluus fiet. Ex quibus patet quomodo aliquid dicatur neceſſarium ex parte vtriuſque. His ita notatis,has ſtatuo concluſiones. Prima concluſio. Multa ſunt in Deo,



Deo, quæ humana ratio attingere, vel cognoſcere nequit: hoc eſt, perfecta ſcientia de Deo, per humanam intelligentiam, haberi non poteſt. Hanc concluſionem etiam ipſi philoſophi non grauate concederent; quæ apud nos ita debet eſſe certa, vt ſit fide tenenda, quam breuiter & auctoritate, & ratione confirmo. Primum hanc veritatẽ multæ ſcripturæ auctoritates probant, ex quibus, vnam, vel alteram afferam. Forſitan, inquit Iobus, veſtigia Dei comprehendes, aut omnipotentem vſque ad perfectum reperies? Item, Ecce Dominus magnus vincens ſcientiam noſtram, id eſt plura in ſe continens, quam quæ nos capere noſtra ſcientia poſſumus. Et Dauid; Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, hoc eſt, præ me, id eſt, maior eſt, quam quæ a me percipi queat: exaltata,vel eleuata eſt,id eſt ſumma, & immenſa eſt, & non potero ad eam, id eſt,eam attingere,& aſſequi non valebo.Paulus loquens de beatitudine hominibus a Deo parata, dixit, nec oculum vidiſſe, nec aurem vnquam audiuiſſe,aut mentem cogitaſſe, quæ bona in iſta beatitudine continentur. Idem confirmatur ſanctorum patrũ auctoritate, qui quotieſcunque de Deo, & de rebus diuinis loquuntur, hanc veritatem inculcant, & ſe non omnia intelligere aperte fatentur:quorum verba afferrem,ni breuitati,in re aperta, ſtuderem. Immo ijdem patres fatẽtur, nec etiam per lumen fidei, nos omnia percipere: quod manifeſte docuit Paulus,

Cap.11.
Cap.36.
Pſal.138.
Iuſt.Mar.
1.Cor.3.
Dam.lib. 1. de fid. c.1.

1.Cor.13 Paulus,cum nos ex parte cognoſcere, & ex parte prophetare dixit. Huc pertinent hæc egregia L.2.c.48. D. Irenæi verba: Quædam ergo abſoluamus ſecundum gratiam Dei, quædam concedamus Deo; non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro: vt ſemper quidem Deus doceat, homo ſemper diſcat. Sic ſemper fidem ſeruabimus, ſic ſemper ſcriptura conſonans inuenietur. Plato lib.6. de rep.in fine, affirmat nos non poſſe habere cognitionem ſufficientem de Deo, niſi Ariſt. l.2. Met. t. 1. ipſe reuelauerit. Eius diſcipulus Ariſtoteles,dixit intellectum noſtrum ſe habere ad diuina, vt Lib. 1. de par.anim. c. 5. oculus Veſpertilionis,ad lumen diei: & alio loco, naturam diuinam nos parum contemplari poſſe docuit,quod admodum pauca illius,ſenſibus patent. Confirmatur deinde poſita concluD.Thom. lib.1. contra Gent. c.1. ſio his rationibus. Prima, intellectus qui cognoſcit omnia, quæ ſunt in aliqua re, illius rei eſſentiam comprehendit: nihil enim aliud eſt comprehendere, quam omnia, quæ in re ſunt, complecti ac continere: at humana mens non poteſt eſſentiam Dei, quæ eſt immenſa continere; non igitur omnia, quæ in ea ſunt,intelliget. Confirmatur hæc ratio: noſtra de Deo notitia acquiritur per effectus, & creaturas: ſed nulla ſingularis creatura, aut omnes ſimul Dei perfectiones nobis repræſentant; quoniam Deus poſſet ſua omnipotentia longe plures, & perfectiores creaturas condere: quare ex creaturis non poteſt Deus perfecte & omni ex parte cognoſci.





Secunda, quo vnus intellectus eſt altero perfectior, eo plura cognoſcit, vt patet de intellectu viri docti, & idiotæ: ſed diuinus intellectus eſt infinitis partibus perfectior omni intellectu creato: quare multo plura intelliget, & capiet, quam intellectus humanus: at iſta omnia, quæ cognoſcit, in ſua eſſentia videt; igitur multa erunt in eſſentia diuina, quæ humana intelligẽtia percipi non poterunt. Ex quo colligere licet vnum maxime animaduertendum, irridendos eſſe eos, qui ideo myſteria, quæ ſunt in noſtra religione, non credunt, quod ea non capiunt, non intelligunt:quaſi Deus facere nequeat,quæ vim humanæ intelligentiæ ſuperent: & intellectus humanus diuinarum rerum regula, & menſura eſſe debeat. Quare, non ſecus errant iſti, ac erraret ruſticus, qui exiſtimaret ſolem eſſe bipedalem & non crederet Aſtrologo affirmanti eſſe multis partibus maiorem terra. Poſtrema ratio, non poteſt humana mens omnes res ſenſibiles,& naturales cognoſcere, & nullius fere rei eſſentiam, ne dicam proprietates, intelligit: quomodo igitur,omnia quæ in natura diuina ſunt,percipiet? Spiritus,id eſt,ventus, vbi vult ſpirat, dicebat Dominus, & vocem eius Ioan.3. audis, ſed neſcis vnde veniat, & quo vadat, &c. Si igitur tanta eſt hominis inſcitia, vt ignoret rationem vnde aliquis ventus ſpiret,& quo pergat, quem tamen ſenſibus percipit; quomodo Iren. lib. 2.c.47. poterit in naturam diuinam intrare, & ad eum

1.Tim. 6. Ioan. 1. omnino accedere, qui lucem inhabitat inacceſſibilem, ad eum, in quam, quem nemo vidit vnquam? Vere igitur quidam ſcriptum reliquit, maiorem partem eorum, quæ ſcimus, eſſe minorem partem eorum, quæ ignoramus. Hæc concluſio ideo a nobis allata fuit, quod ſit vnum ex præcipuis fundamentis, quibus doctrinæ reuelatæ neceſſitas innititur. Nunc afferamus ſecundam concluſionem, proxime ad quæſtionem propoſitam reſpondentem. Secunda concluſio: Semper homini neceſſaria fuit ad ſalutem conſequendam diuina reuelatio, ſiue mentis illuſtratio, vel auxilium aliquod ſupernaturale ex parte intellectus; ita vt ſola cognitione, & lumine naturali, nullam ſalutem vnquam aſſequi potuerit. Hæc concluſio intelligenda eſt de vtraque ſalute, vt ſupra explicuimus, & de neceſſitate medij, & in omni ſtatu, ſiue in omni lege: ita vt nullo tempore, vllus homo potuerit iuſtitiam, vel beatitudinem conſequi ſine priuato Dei lumine. Hæc concluſio probabitur primum breuiter quibuſdam rationibus, quæ valeant apud fideles, a quibus hæc veritas eſt certa fide tenenda: poſtea alijs argumentis, quæ probent etiam apud alienigenam: cum itaque in ſchola Chriſtiana ſit certiſſima, paucis contentus ero. Prima probatio ſumitur ex his ſcripturæ locis. Sapientiæ capite nono, in toto capite; & in ſequentibus agitur de doctrina reuelata, & inter alia, duo dicuntur: alterum quod

ſi ab



ſi ab aliquo hæc doctrina abfuerit, in nihilum reputabitur, id eſt non erit particeps gratiæ, & gloriæ diuinæ, & ita pro nihilo habebitur: alterum per hanc doctrinam ſaluatos fuiſſe quotquot placuerunt Deo ab initio. Pſalmo nonageſimo tertio, Dominus ſcit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt. Beatus homo, quem tu erudiueris Domine, & de lege tua docueris eum. Itaque, niſi quis a Deo doceatur, beatus eſſe non poterit, cum humanæ cogitationes ſint vanæ. Ad Romanos capite octauo: Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicuti oportet, neſcimus: & ſecunda ad Corinthios capite tertio, Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Denique, Apoſtolus hanc veritatem ex profeſſo epiſtola ad Hebræos longa diſputatione confirmat. Secundo probatur ex decretis Conciliorum: & ex multis vnum, vel alterum afferam. Concilium Arauſicanum capite ſeptimo, Mileuit. capite quarto, vbi dicitur eſſe donum Dei ſcire, quid faciamus. Idem in Conc. Tridentino ſeſſione ſexta, ſancitum eſt. Tertio confirmatur patrum auctoritate: Auguſtinus lib. de prædeſt. ſanctorum capite quincto: Clemens Alexandrinus locis ſupra citatis: Lucianus Antiochenus presbyter oratione de Chriſto, vbi ſingularibus verbis hanc veritatem exponit. Et has auctoritates hoc loco attuliſſe ſufficiat. Quarto, corroboratur

De conſ. d.4. Quiſquis.

Can. 6.

Apud Ruf.

ratur his rationibus: Prima ratio ſupponit vnũ, de quo non eſt hic diſputandi locus, nimirum, hominem per iuſtificationem aſſequi quendam gradum, ſiue ſtatum diuinum & ſupernaturalem: in quo ſtatu conſtituitur per gratiam, quæ eſt donum diuinitus datum, quo homo fit conſors diuinæ naturæ: de qua re, nos, libro de Viro iuſto, & de Interiore homine, nonnihil diximus: quæ loca conſulere lector poterit. Hoc autem donum, vt melior ſentit ſcribentium opinio, eſt in eſſentia animæ, quæ ab hoc dono deificatur: hoc poſito, talis conficitur ratio. Operatio ſequitur eſſe: ſed homo, vt poſitum eſt, per gratiam eleuatur ad eſſe ſupernaturale; ergo vt poſſit edere operationes huic eſſe conformes, eget auxilio ſupernaturali. Inter alias autem operationes eſt cognitio: ergo vt poſſit iuxta ſuum eſſe ſupernaturale intelligere, egebit lumine ſupernaturali. Secunda ratio, non eſt minus impotens intellectus circa hominis finẽ, quam ſit voluntas: ſed hæc eget auxilio ſupernaturali, vt ſuum finem velit, & amet, vt conſtat ex concilijs iam citatis, & ex diuo Auguſtino multis in locis: igitur intellectus etiam egebit auxilio, ſeu lumine ſupernaturali. Idcirco Concilium Mileuitanum parem facit rationem intellectus, & voluntatis, & fidei, atque caritatis. Poſtremo, homo non poteſt moueri ad conſequendum finem, niſi cognoſcat media neceſſaria, & ſufficientia ad illum conſequendum: ſed

Cap. 5.
Cap. 18.
D. Thom. lib. 3. cõt. Gẽ. c. 152
Dionyſ.
Epiſt. 90. 91. & 92.

hæc



hæc cognoſci nequeũt ſine ſciẽtia reuelata: quia ad conſecutionem ſupernaturalis finis opus eſt operibus meritorijs, & Deo gratis: quod autem noſtra opera, & quæ opera ſint Deo grata, naturali lumine cognoſcit nemo: erit igitur opus lumine diuino ad cognoſcenda media ad finis adeptionem neceſſaria. Neque enim actus humani ex ſua natura ſunt digni æterna remuneratione, aut Deo grati, niſi ipſe eos approbet: quod autem Deus approbare velit, quis noſceret, niſi ipſe reuelaret? Nunc breuiter eadem concluſio probanda eſt aduerſus philoſophos. Initio, ex his quę hactenus diſputata ſunt de neceſſitate doctrinæ reuelatæ, ſatis euidenter confirmatur: quia, ideo eſt neceſſaria reuelatio, vt homo de ſuo fine, & de medijs ad illum conſequendum certior fiat: & vt ſciat quæ ſibi agenda ſunt, & quæ fugienda, vt honeſte viuat. Deinde corroboratur ex eo, quod nulla lex humana potuit hominem bonum efficere, & in officio continere, & ideo reip. inſtitutores, & legiſlatores ad religionem confugerunt. Etenim, poſt legẽ Liciniã adhuc fuerunt lucriones: poſt Iuliã, adulteri: & poſt Calphurniam, ambitioſi ciues. Proponuntur leges, leguntur de officijs libri, lectitantur ſapientium conſilia, ſententiæ, dictata: releguntur Pythagoræ, Phocillidis, Iſocratis, Catonis, & aliorum ſapientium præcepta, ſed nihil iſtorum humanos animos permouet, in melioremve habitum mutat. Diuina igitur

Ex Scot. q. 1. prol.

egemus

egemus gratia, quam ſolus verus Dei cultus nobis conciliat. Ad hæc, ipſoſmet philoſophos in teſtimonium huius veritatis vocare licet, & ab ipſis petere: An vere id efficiant, quod efficere vellent, & ita viuant, vt ratio ipſa aliqua ex parte & ipſorum ſcholæ eos docent: qui proculdubio vno ore dicere debebunt; ni mentiri volũt, Videmus meliora, probamusq; , ſed deteriora ſequimur. Propterea cum hanc impotentiam ſentirent, eorum alij dicebant hominem carere libero arbitrio: alij ſe ab externis rebus trahi: alij hominem eſſe a natiuitare malum: quæ omnia cum ipſa ratione, & natura pugnant. Denique, ſi natura eſt ſibi ſufficiens, ſi ſupernaturali non eget auxilio, afferat in medium humana ſapientia ſuos viros iuſtos, & bonos. Proferat igitur illum, quem tanquam ſanctum habuit ſapientia græca, Socratem inquam, & qualem proferet? ineruditũ, plane indoctum, balbutientem, hæſitantem, philoſophiam naturalem damnantem, puerorum amatorem, biboſum, inter cyathos garrulum, iracundum, mulieroſum, fornicatorem, vxores quas habebat duas altercantes riſu ſpectantem, patri inobedientem, & ob impudicam pueritiam male audientem. Hæc fere omnia Porphyrius religionis Chriſtianæ hoſtis, & philoſophiæ amator, de tanto viro ſcripta reliquit. O igitur ſtultum Apollinem, qui hunc vnum eſſe ſapientem cum tamen ipſe ſe nihil ſcire vere affirmaret, ſtulte pronuntiaſti.



pronuntiaſti. Proferat deinde Pythagoram, quem omnis admirata eſt antiquitas: & quænam tantus philoſophus nobis dogmata tradit? Indicit ſine ratione nimis longum diſcere volentibus ſilentium: ſibi vni dicenti fidem ſine ratione haberi, contra omnem rationem, vult: animarum introducit tranſmigrationem: animas ob perpetrata peccata cœlo deiectas, & in corpora detruſas eſſe ait: tandem iſte bonus vir ob tyrannidem affectatam, viuus concrematus fuit. Accedat diuinus, vt Græcia loquitur, Plato, proferatq; ſuæ diuinitatis dogmata. Animas cum Pythagora e cœlis deturbatas eſſe, & in varia animalia migrare affirmat: gaſtrimargia emptus, apud Dionyſium tyrannum diu vixit: auaritiæ & inuidiæ vitio laboraſſe ſcribitur: periurium, ſicuti & mendacium interdum licere exiſtimauit: quare mirum videri minime debet, ſi Socrati præceptori ſuo, pro veritate cicutam bibere volenti, fugam perſuadere non dubitauit. Fœminas gymnaſticam exercere iuſſit: puellas & iuuenes a Iudicibus nudos inſpici voluit, vt quænam ætas celebrandis nuptijs ſit apta, videant: non modo rerum communitatẽ, quæ omnem cõſociationem humanam peruertit, ſed etiam mulierum introducit: vbi mares & fœmine tempus gignendi exceſſerint, nullum conceptum fœtum (diuinus vir præcipit) in lucem edant: quod riſu, lacrymis, & igne dignum eſſe Theodoretus ait: maſculam venerem ſectantes

**Tert. in apol. Arnob.**

**Petrus Crin. lib. 3. c. 1.**

**Platonis errores late recẽſet Euſeb. li. 3. de præparat.**

**Theodo.**

ctantes beatos indicat: inſontem haberi iubet, qui ſeruum necat. Prodeat huius boni magiſtri malus diſcipulus Ariſtoteles, cui nunquam præceptor potuit perſuadere animorum immortalitatem: is ingratus, & iniurioſus ſuo præceptori fuit: prouidentiam Dei ſolum ad lunam, vſque protraxit: falſus opinionum antiquorum relator: & cum multa de moribus, & politia, ſcripſerit, nunquam de religione, & diuino cultu ſermonem habuit: ſuæ vxori mortuæ rem, diuinam, vt Athenienſes Cereri, Lycon Pythagoreus ſcripſit, facere conſueuit: ob auaritiam oleum, quo ſe perunxiſſet, vendere ſolitus erat: abortum quibuſdam de cauſis approbauit: amicis iniurius: ſingularis Alexandri adulator, & mortis eiuſdem, vt quidam ſcribunt, auctor: omnia, quæ docet ab alijs accepit, & nemini accepta refert: tandem ob Euripi ignorantiam, moritur. Omitto Diogenis publicam impudicitiam, Speuſippi adulterium ob quam cauſam perijt, Anaxagoræ iniuſtitiam, qui depoſitum hoſtibus denegauit, Hippiæ inſidias, Lycurgi in ſeipſum crudelitatem, qui ſibi leui de cauſſa mortem conſciuit, Epicteti odium, & maledicentiam in Chriſtianos. Et, vt tandem cũ duobus Græcæ, & Romanæ ſanctitatis luminibus finiam, Socrates, & Cato ſuas cum amicis vxores communicarunt. Exclamat hic Tertullianus, O ſapientiæ Atticæ, & Romanæ grauitatis exemplum, Leno philoſophus, & Cenſor.

Theod.

Addere



Addere placet ad ea, quæ dicta ſunt, quod late Theodoretus demonſtrat, omnes iſtos legis naturæ præceptores in eo peccaſſe, quod veritatem occultauerint, & maxime ob cicutæ timorem, cum tamen, vt Tertullianus ſcripſit, nihil magis veritas amet, quam ad lucem videri. Non modo priuati homines, ſed etiam vniuerſæ nationes vitijs, & legibus cum natura pugnantibus, vſæ ſunt. Et vt miſſam faciam idololatriam, vitium contra maieſtatem Dei teterrimum, ſtultum & puerile, quid enim ſtultius, & magis puerile fieri, aut excogitari poteſt, quam Deum ſuis manibus fabricatum, adorare? & ab eo auxiliũ petere? ac etiam Deos omni vitiorum genere infectos introducere, nimirum ſuperbos, iracundos, ſanguinarios, libidinoſos, adulteros, diſcordes, inuidos, & denique ſpurciſſimos: neq; quiſpiam ſit, qui iſtam de Dijs gentium Theologiam myſtice interpretari velit, quoniam id leges Romanorum prohibent: & ideo tanquam violatæ religionis reus, cicutam bibet: & a noſtris ſcriptoribus, vt a Tertulliano, Theodoreto, Cyrillo, Gregorio Nazianzeno, Euſebio, & Arnobio iure optimo irridebitur: quia, vt ſpeciatim Arnobius ſcribit, iuniores pudore affecti: excogitarunt illam myſticam Theologiam. Vt igitur hoc idololatriæ vitium, in quod omnes alienigenæ auxilio Dei deſtitutæ, lapſæ ſunt, omittamus, aliquarum nationum breuiter numeremus errata. Thraces, tres, quattuor, & viginti

Herac. li. de polit. Tertull. Theod. ginti etiam habebant vxores, quibus tanquam famulis abutebantur. Perſæ etiam cum matribus coibant. Apud Græcos & Romanos tanta erat in filios poteſtas, vt impune eos poſſent pro voluntate, male accipere, & occidere: Carthaginenſes, referente Platone, filios Saturno litabant. De poteſtate in ſeruos nihil dico: quod vitium egregie aliquando apud Arianum damnauit Epictetus. Apud multos populos in more poſitum erat, vt Dijs humanas hoſtias ſacrificarent: vt apud Rhodios, Heliopolim, Lacedemonios, Numantinos, & Græci ad bellum profecturi, ab humana cæde auſpicabantur. Apud quaſdam ciuitates & nationes debitores tradebantur tanquam mancipia, creditoribus, qui eos laniare, & trucidare poterant: quod ideo fortaſſe faciebant, quia debitum, putabant primum, delictum. De repudio, de furto, quod apud populos multos pro ſcelere non eſt habitum, ac de multis alijs vitijs, cum breuitati ſtudeam, nihil dicam. Iactet nunc ille omnium ſceleſtiſſimus, Iulianus apoſtata, Anaſarchi ſacculum, Epicteti crus, Cleombroti ſaltum, Socratis cicutam, pueros Laconicos, Scipionis parciſſimum cibū, & alia id genus præclare facta, quæ & ſi aliquo pacto laudanda ſint; tamen vniuerſam iuſtitiam non continent. Mimice, ait Tertulianus, philoſophi affectabant virtutem, & affectando corruperunt, vt qui gloriam captabant. Propterea Hieronymus aiebat, Philoſophum eſſe popularis

In Min. — Arian. — Tert. — Plut. lib. de vit. vſur. — Tert. Cæſar. in com. — Epiſt. ad Pamma.



ris auræ, atque rumorum venale mancipium. Quid? quod etiam Epictetus philoſophus non obſcurus, philoſophum deſcribens, dixit, eſſe tale animal, quod ab omnibus irrideretur: ita Arianus ſcribit: τοῦτο τὸ ζῶον, ὃ πάντες καταγελῶσι. Vt iure optimo Nilus abbas ſcripſerit, eos baculo, barba, pallioq; tenus philoſophatos fuiſſe. Quare, merito aliquando decretum a quodam philoſopho fuit, virtutem doceri nulla ratione poſſe, ſed quadam diuina prouidentia hominibus aduenire. Itaque niſi maior quædam vis hominum animos in meliorem ſtatum reuocet, nunquam ipſi per ſe a ſua ſede dimoueri poterunt. Nulla ergo reip. gubernandæ ratio, nulla regendæ domus diſciplina, nulla quorumcunq; ſapientium præcepta, nullæ denique humanæ leges ſine diuino auxilio, quo & intellectus, & voluntas iuuetur humana, hominem omni ex parte iuſtum efficere poterunt. Quæ de philoſophorum vitijs, & erroribus a me relata ſunt, ne quis ficta eſſe, & extra rem dicta exiſtimet, ſciat me ab auctoribus in marginibus citatos, ea accepiſſe, & ſanctos Patres, vt Cyrillum, Gregorium, & alios, huiuſmodi vitia, & errores ad probandum, quod nos hic probamus, attuliſſe. Nec ideo attulimus, vt eorum auctoritati in his, quæ recte ſenſerunt aliquid detrahamus, ſed vt maximum noſtræ religionis fundamētum confirmemus. Quia, ſi humana natura per ſe fuiſſet ſufficiens, fruſtra Chriſtus mortuus eſſet. Gal. 2.

Agamus

Agamus ergo nos, qui in lege gratię nati ſumus, miſericordiæ parenti gratias, & cum propheta Pſal.127. dicamus: Non fecit taliter omni nationi; & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Atque de hoc capite ſatis.

### *An ad ſalutem conſequendam ſemper omnibus hominibus neceſſarium fuerit aliquid ſupernaturale cognoſcere. Cap. XI.*

QVONIAM in explicatione fundamenti totius Chriſtianæ religionis verſor, ſicuti multa ſilentio inuoluo, ne longior ſim, quam inſtituti ratio poſtulat; ita ea, quæ neceſſaria omnino videntur, & difficultatem habent, & ad rem faciunt, intacta relinquere nō debeo; cuiuſmodi eſt id, quod hoc capite tractandum propoſui: cuius rei explicatio licet ad alium locum pertinere videatur; tamen non eſt ab hoc in quo verſor aliena: cum & ad rem quam tracto, & ad ea, quæ hactenus dicta ſunt intelligenda maxime pertineat. Antequam autem quid doctores hac de re ſentiant expono, rem ipſam clarius proponam. Diximus proximo capite ad ſalutem conſequendam ſemper aliqua doctrina reuelata opus fuiſſe: hæc autem reuelatio tribus modis intelligi poteſt: vno modo ex parte rerum reuelatarum, ſiue ex parte obiecti, & rei cognitæ: ſecundo modo ex parte intellectus, & hominis cognoſcentis, qui diuino lumine iuuari debuit,



ri debuit, vt certiſſime teneret, quæ per lumen rationis alias cognoſcere poterat: poſtremo ex parte vtriuſque, rei ſcilicet cognoſcendæ, & intellectus cognoſcentis. Peteret modo quiſpiam de qua reuelatione ea, quæ dicta ſunt intelligi debeant, an de reuelatione ex parte obiecti, an ex parte hominis cognoſcentis, an vero ex parte vtriuſque. Reuelatio ex parte obiecti eſt, cum aliquid reuelatur, quod alias nulla ratione cognoſci poteſt, aut ſi poteſt, reuelatur antequam cognoſcatur: vt quod Deus ſit: quod ſit trinus & vnus: & quod eſſet aſſumpturus carnem. Reuelatio ex parte ſubiecti, ſeu hominis cognoſcentis eſt, cum res alias cognoſcitur; ſed quia non perfecte cognoſcitur, opus eſt maiore lumine, & cognitione, vt firmiter vera credatur: vt ſi Deus lumine ſupernaturali illuſtraret humanā mentem, vt firmiter crederet dari diuinam prouidentiam, vel animam eſſe immortalem. Ex quibus patet, quid ſit reuelatio ex parte vtriuſque, quæ eſſet, cum Deus reuelaret rem non cognitam, & ſuo lumine mentem ad eam cognoſcendam, & firmiter credendam illuſtraret. Quæritur ergo, an homini ad ſalutem ſemper neceſſaria fuerit reuelatio vtroque modo: an vero aliquando ſuffecerit ſola reuelatio ex parte credentis, ita vt ſatis fuerit cognoſcere quæ naturali cognitione percipiuntur, ſed tamen cum maiore certitudine per diuinum auxilium. Et præcipua difficultas eſt de ſtatu legis naturæ, in

K quo

quo vixerunt gentes vſq; ad Chriſti tempora: & vt hæc quæſtio facilius percipiatur, hoc modo proponitur: An in lege naturæ ſatis fuerit cognoſcere illa duo prima principia, Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, quæ naturaliter cognoſci poſſunt, an vero opus etiam fuerit cognoſcere aliquid, quod naturaliter percipi nequit, vt exempli gratia, Chriſtum eſſe hominum redemptorem. Ad hanc difficultatem, de qua poſſem longiſſima diſputatione diſſerere, breuiter per quaſdam concluſiones reſpondebo, alibi volente Deo, plura dicturus. Prima concluſio: Cognitio veri Dei ſemper fuit ad ſalutem neceſſaria. Hæc concluſio manifeſta eſt: quoniam ſi non cognoſceretur, non poſſent in eum dirigi actiones, quæ non habent vim afferendi ſalutẽ, niſi ſint relatæ in Deum. Adde etiam, quoniam nemo euadit iuſtus ſine dilectione Dei, quem, qui non cognoſcit non diligit, cum res incognita non ametur. Secunda concluſio: Hæ duæ veritates, Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, ſeu habere prouidentiam, naturaliter cognoſci poſſunt: ſeu, per vires naturæ tanta habetur Dei cognitio, ſine doctrina reuelata, vt qui eum iuxta hanc cognitionem non colunt, ſint reprehenſione digni, & damnandi. Hanc concluſionem hæ ſacræ ſcripturæ auctoritates probant. Paulus
Cap. 1. epiſtola ad Romanos ait, gentes eſſe inexcuſabiles: & per creaturas inuiſibilia Dei poſſe co-
Pſal. 18. gnoſci affirmat. Regius propheta cecinit, cœlos





los enarrare gloriam Dei, & dies ſingulos eructare verbum, ſingulaſq; noctes indicare ſcientiam, Dei nimirum, neque eſſe nationem vllam, quę eorum non exaudiat voces; ac ſi dixiſſet, per creaturas, omnes nationes, quæ diximus duo, cognoſcere potuiſſe: ſiquidem cœli, & cunctæ creaturæ ſunt veluti quidam concionatores maieſtatis diuinæ. Et ſapiens, hanc rerum vniuer- Sap. 1.
ſitatem quandam vocalem ſcientiam habere affirmat: & vanos vocat eos homines in quibus Sap. 13.
non eſt ſcientia Dei: quod eum ex his quæ videntur, non cognoſcant. Idem confirmat multorum patrum auctoritas, qui dicunt, Deum exiſtere, eſſe quid per ſe notum, idemq; de prouidentia docent, licet quidam ſcholaſtici aliter ſentire videantur. Tertia concluſio: Nemo vnquam adeptus eſt iuſtitiam ſola cognitione naturali, ſine reuelatione ex parte cognoſcentis: ita vt nemo ſine diuina gratia intellectũ illuſtrante, vnquã Deo placere potuerit. Eſt concluſio fide tenenda: & patet ex ſupra dictis, & eam ex profeſſo epiſtola ad Hebræos probat Apoſtolus: & multorum conciliorum, ac ſanctorum patrum confirmat auctoritas. Quarta concluſio: Nemo vnquam in quouis ſtatu ſalutẽ adeptus eſt, niſi per Chriſtum. Hæc etiam concluſio eſt fide tenenda. Nam, hic eſt Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi, qui tollit peccata mundi, qui eſt propitiatio pro peccatis totius mundi, mediator omnium, in quo omnes iuſtificantur. 1. Cor. 15

Damaſc. lib. 1. de fide. c. 3. Cyril. li. 3. contra Iul. Cic. lib. 1. de natur. Deorum.

Cap. 11. Arauſ. Mileu.

Apo. 3. 1. Ioan. 2.

Quam concluſionem innumeris conciliorum, & patrum auctoritatibus, ſi locus poſtularet, probare poſſem. Ex hac concluſione infertur vnum, neminem vnquam potuiſſe ſaluari, niſi fuiſſet aliquo modo Chriſto coniunctus. Quincta concluſio: A principio mundi, & in lege naturæ ſemper fuit aliqua reuelatio rerum, quæ naturaliter cognoſci non potuerunt, & ſpeciatim reuelatio de futuro Saluatore, ac etiam de ſanctiſſima Trinitate. Nanque, vt multi ſcriptum reliquerunt, Adæ fuit reuelatum myſterium incarnationis, quando Deus in eum immiſit ſoporem: a quo excitatus, dixit, Nunc os ex oſſibus meis, &c. Aliquid etiam reuelatum fuiſſe ſcribitur, cum ſerpenti dictum eſt: Ipſa, vel ipſum ſemen, id eſt, Chriſtus conteret caput tuum. Rurſus, illi primi patres obtulerunt ſacrificia Chriſtum ſignificantia, vt Melchiſedec: & Abraham, deſiderauit videre diem incarnationis, ſiue reſurrectionis Chriſti; vidit, & gauiſus eſt. De myſterio Trinitatis, patet in primis, ex eo quod legimus, Abrahā vidiſſe tres, & eos tanquam vnum adoraſſe. Deinde, quia cognitio myſterij incarnationis ſupponit cognitioné Trinitatis. De hac re legendus eſt Petrus Galleſinus in ſuis annotationibus in hiſtoriam Seueri Sulpitij, Galatinus, Finus, & alij qui contra Hebræos ſcripſere. Immo notitia horum duorum myſteriorum etiam ad Gentes aliquo pacto peruenit. Nam hæc myſteria, & alia multa

Hier. Proſper. Aug. li. 1. de nup.

Leo ſer. 2 de nat.

Aug. 18. de ciu.

Epiph. Gen. 18. Cyril. li. 1. cont. Iulian.

a Sybillis



a Sybillis prædicta fuerunt, quarum ſcripta habuerunt ethnici. Iob etiam rerum ſupernaturalium notitiam habuit, vt ſancti patres docēt: vt incarnationis, reſurrectionis, &c. Et Balaam propheta malus ex gentibus, futuram incarnationem prænuntiauit. Cuius rei memoria remanſit apud gentes: & propterea Magi venerunt ad adorandum Chriſtum. Dorotheus Epiſcopus Tyri, ſcripſit Ieremiam dediſſe ſignum Ægyptijs de aduentu Saluatoris, quod eorum idola in eius aduentu cadere deberent. Trinitatis myſterium ſancti patres ex gentium ſcriptis ſuadere ſolent, vt ex Orpheo, Mercurio Triſmegiſtro, Numenio, Platone, Plotino, Æmilio, Zoar, Helcana, & alijs. Ideo aliquando ſcripſit Cyrillus: Veruntamen & in ipſis Græcorum ſapientibus inuenimus ſanctæ Trinitatis cognitionem. Neque, cum dico, Gentes horum myſteriorum cognitionem habuiſſe, affirmo, ea naturaliter cognouiſſe; ſed a noſtris acceperunt. Olim, vt ex Plauto, Feſto, & Macrobio colligere licet, Latini luſtricum habebāt diem, quo infantes mares nono, fœminas octauo luſtrare, eiſque nomina imponere ſolebant. Græci vero die quincta a partu pro infantibus ſacrificabant. Quam conſuetudinem per traditionem ab illis primis parentibus, qui fuerunt in lege naturæ emanaſſe cenſendum eſt: qui ſacrificijs & oblationibus a peccato originali infantes expiabant. Plurimi itaque Græcorum, vt

Iſid. li. 8. Ety. c. 8. Anton. 3. p. t. 8. c. 1. §. 3. Num. 24.

Clem. li. 5. Strom. Cyr. li. 1. cont. Iul.

Aug. lib. 10. de ciu. c. 23.

Plaut. in Truc.

Plat. in Teet. Gyral. de Dijs gēt.

 Nice-

Lib. 8. c. 29. Nicephorus ſcribit, multas nouerunt prophetias, quæ verſibus ſuis, veluti quædam oracula incluſerunt: quod fieri decebat prouidentiam diuinam, vt quoque aduenis ſenſim veritas innoteſceret. Fecit itaque Deus perinde atque muſicus facit, qui gratum & iucundum decantaturus carmen, ſuperuacaneas quoque plectro percurrit chordas, aut ornatus gratia, ſupra eas, quæ ex vſu ſunt, alias adijcit. Sexta concluſio: Gentes non fuerunt a Deo derelictæ: ita vt apud eas, ſicuti apud populum Hebræum fuerit via aliqua ſecundum ordinariam Dei prouidentiã, qua ſaluari poſſent. Hanc doctrinam tradiderunt multi patres contra Gentium calumniam: dicebant enim Deum Hebræorum, & Chriſtianorum fuiſſe inuidum, cum non omnibus nationibus ſeſe manifeſtauerit: quam certiſſimam eſſe exiſtimo, & his rationibus confirmo. Primum, certa fide tenendum eſt poſt primi hominis lapſum, vſq; ad vocationem populi Hebræi, Deum dediſſe omnibus hominibus viam, qua ſaluari poſſent: quę ſalutis acquirendæ ratio, non eſt ſublata per priuatam vocationem populi Hebræi: quia, vt ſtatim dicam, Gentes non erant obligatæ ad ſuſcipiendam Iudæorum legem: ergo apud illas remanſit aliqua adipiſcendæ ſalutis via. Confirmat hoc argumentum luculenta Clementis Alexandrini ratio, ex his verbis Dauidis ſumpta: Non ſic, vel taliter fecit omni nationi: ſi non taliter, & non eodem modo Deus omnibus nationibus fauit, vt populo Hebręo, cui ſpeciatim iudicia ſua reuelauit, ergo aliquo modo etiam gentibus conſuluit. Deinde, Chriſtus Dominus dicebat ſe habere alias oues, quæ non erant de ouili Hebræorum; quas cenſendum eſt non reliquiſſe ſine pabulo & cura. Ad hæc, Paulus ait Deum manifeſtaſſe ſe gentibus per creaturas, & eos per legem naturalem docuiſſe: non igitur derelictæ fuerunt. Et diuus Petrus, vt in actis Apoſtolorum legitur, aiebat, eum, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam eſſe acceptum illi. Confirmabitur hæc concluſio ijs quæ concluſione octaua dicẽtur. Septima concluſio: Gentes non erant obligatæ recipere, aut ſeruare ea, quæ Deus priuatim Iudæis reuelauit, & pręcepit. Quoniam debuiſſet dare præceptum Iudæis, vt illa alijs nunciarent, ſicuti Apoſtolis dedit de euangelio omnibus gentibus manifeſtando: immo eis interdixit, ne ſacram legem cum alijs nationibus communicarent. Octaua concluſio: In ſtatu naturæ, lege Dei ordinaria, non fuit neceſſaria aliqua doctrina reuelata ex parte obiecti, ſed ſolum ex parte ſubiecti, ita vt ſatis fuerit cognitio eorum, quæ naturaliter cognoſci poterant: vt quod Deus eſſet, & remunerator eſſet. Itaque in lege naturali pura, excludendo illos, quibus facta fuerat priuate rerum diuinarũ reuelatio, poterant homines ſalutem conſequi ſola cognitione rerum naturalium, cum auxilio diuino,

Ambroſ. lib. 1. de voc. c. 1.

Pſal. 127.

Ioan. 10.

Rom. 1.

Cap. 10.

quo firmiſſime illa duo principia, & alia quæ erant cognitu neceſſaria tenebant: quæ cognitio rationem fidei habebat, cum a gratia penderet diuina. Hanc concluſionem, in qua non conueniunt doctores, tanquam probabiliorem poſſet aliquis, his rationibus nixus, probabiliter defendere. Primo auctoritate ſcripturæ. Cum Paulus ad Romanos ſcribens, dixiſſet, inuiſibilia Dei poſſe cognoſci ex creaturis, & Gentes legis ſcriptæ loco, habere legem naturalem, eas reprehendit, quod Deum non coluerint, vt debebant: quæ reprehenſio locum non haberet, ſi egebant cognitione rerũ ſupernaturalium: quoniam Gentes potuiſſent ſe excuſare. Dicit etiã, Deum ſe illis manifeſtaſſe per creaturas; ac ſi dixiſſet, creaturas fuiſſe quaſi concionatores, per quos Deus, quæ gentibus cognoſcenda erãt, manifeſtabat. Ad Hebræos capite vndecimo, cum Apoſtolus dixiſſet, impoſſibile eſſe placere Deo, addidit, accedentem ad Deum, id eſt, Deo per iuſtificationem placere volentem, oportere credere Deum eſſe, & inquirentibus ſe, remuneratorem eſſe: quæ duo, vt diximus, idque ſancti Patres docent, naturaliter cognoſcuntur: quod negare, non videretur mihi tutum, cum & Paulus, & Sapiens arguant eos, qui iſta non cognouerunt. Quod ſi non cognoſcebantur, ea certitudine, quam fides requirit, ſatis fuit auxilium Dei iuuantis intellectum ad firmiter credendum, vt diximus. Priore epiſtola ad Corinthios

Rom. 1. & 2.

Sap. 13.



thios capite primo, ait Apoſtolus, quia mundus non cognouit Deum per ſapientiam, Deum voluiſſe eum ſaluare per ſtultitiam prædicationis paſſionis Chriſti, quæ gentibus videbatur ſtultitia. Poterant igitur gentes ſalutem conſequi per ſapientiam, non ex parte cognoſcentis, vt eſt demonſtratum, ergo ex parte obiecti: non igitur rerum ſupernaturalium reuelatione egebant. Actuum capite decimoquarto, Paulus & Barnabas, reſpuentes ſacrificium, quod eis gentes offerre volebant, & hortantes populum illum ad verum cultum illius Dei, qui fecit omnia, vt eis ipſorum errorem oſtenderent, dixerunt, Deum in præteritis generationibus, id eſt, ab eo tempore, vſque ad prima mundi tempora, ſiuiſſe omnes gentes ingredi in vias ſuas, id eſt, in lege, & cognitione naturali, eas ſine præceptis diuinitus datis, viuere permiſiſſe. Et ne illi dicerent, ergo iſte Deus, quem nobis nunciatis nos, & maiores noſtros deſeruit, tacitæ obiectioni reſpondentes, ſubiecerunt: Et quidem non ſine teſtimonio ſeipſum reliquit, benefaciens de cœlo, & dans pluuias, implẽs cibo, & lætitia corda eorum. Ecce ergo quomodo Deus gentes illas docuit, per creaturas, & dona naturalia, non per prophetas, non per Angelos. Ad has ſcripturæ auctoritates accedant hæ rationes. Prima cum Deus ex vno populo, duos fecit, eligendo ſibi priuatim Hebræos, quos ad recipiendum Meſſiam diſponeret; his dedit doctores

Eſther. c. 10.

doctores & prophetas, per quos multa reuelauit: Gentibus autem hæc præſidia non dedit: igitur dicendum eſt eas reliquiſſe in cognitione naturali: ne eas deſeruiſſe affirmare cogamur. De diuiſione vnius populi in duos, præter loca, quæ in libris moſaicæ legis habentur, eſt locus apertus apud Eſther capite decimo, vbi Mardochæus ait, Deum diuiſiſſe populum in duas ſortes. Secunda ratio, ſi quid reuelari debuit gentibus, vt ſaluarentur, maxime myſterium incarnationis: at hoc, vt docet Paulus, fuit ignotum gentibus a ſæculo; aitque datam ſibi fuiſſe facultatem euangelizandi eis hoc myſterium: non igitur illis reuelatum fuit: & tamen debuiſſet reuelari, ſi ſine eo ſaluari non poterant. Huc facit id, quod cecinit Dauid, Deum ſua iudicia gentibus non manifeſtaſſe. Quod ſi dicas, Deum reuelaſſe per ſe, vel per Angelos cum gentes faciebant, quod in ſe erat; id non videtur prouidentiæ diuinæ cōſentaneum; quia ſecundum ſuauem Dei procurationem, debet dari quædam via ordinaria, & humana, qua homines ſaluentur: & ita debuiſſet dare magiſtros rerum reuelatarum gentibus, vt Hebræis dedit: alias, ſingulis momentis opus ſuiſſet miraculo ad hominum iuſtificationem. Tertia ratio, quoniam videtur contra rationem illius ſtatus, qui fuit legis naturalis ſcriptæ in corde, opus fuiſſe cognitione rei ſupernaturalis, & aliquo præcepto de credenda re ſupernaturali. Quarta, quia ethnici

Deut. 7. 17. & 32. Leuit. 19. & 29.

Epheſ. 3.

Pſal. 127.



ethnici fuiſſent obligati recipere legem Hebræorum, in qua dabatur reuelatio rerum quę erant neceſſatiæ ad ſalutem conſequendam, ſi ſine cognitione ſupernaturalium non poterant ſaluari, quod eſt falſum. Quincta, nulla lex ſine promulgatione, obligat: at apud gentes nulla fuit rerum ſupernaturalium promulgatio: poterant igitur ſine reuelatione rerum ſupernaturalium ſaluari. Et Deus non promulgauit, nec dedit legem Hebræis niſi per Moyſen, accedentibus miraculis, vt eſſent obligati ad illam recipiendā. Poſſem pluribus rationibus hanc opinionē confirmare, ſed nolo eſſe in hac re longior. Concludamus ergo hanc diſputationem auctoritatibus ſanctorum, qui huic ſententiæ fauent. Clemens Alexandrinus, hac de re huiuſmodi ſententiam nobis ſcriptam reliquit. Iam vero ſi vniuerſa quoque ac generali oratione quæcunque ſunt neceſſaria, & vitæ vtilia diuinitus nos venire dicamus, minime errabimus: vel potius ſi dicamus ipſam quoque philoſophiam Græcis veluti proprium datam eſſe teſtamētum, vt quæ ſit fundamentum Chriſtianæ philoſophiæ; etiā ſi qui ex Græcis philoſophantur ad veritatem ſua ſponte obſurdeſcant. Philoſophia ergo apud Græcos & gentiles ſe habebat tanquam teſtamentum. Item alio loco: Quanquam per ſe quandoque Græcos iuſtificabat Philoſophia: ſed non ad vniuerſam & generalem iuſtitiam: ad quam cooperatrix inuenitur. Item, Atque erat

Lib. 6. Stro.

Lib. eod. erat quidem ante Domini aduentum philoſophia Græcis neceſſaria ad iuſtitiam: nunc autem eſt vtilis ad Dei cultum, & pietatem ijs, qui fidem colligunt per demonſtrationem. Eodem loco, ait philoſophiam fuiſſe pedagogum Græcorum ad Chriſtum; ſicuti lex fuit pedagogus Iudæorum. Si igitur philoſophia loco legis erat apud Gentiles, profectò nõ egebant reuelatione rerum ſupernaturalium. Cyrillus Alexandrinus eandem veritatem ex profeſſo demonſtrat in libris contra Iulianum apoſtatam, refellendo eius impietatem, cum dicebat, Deum Iudæorum eſſe inuidum & iniquum, quod ſolis Hebræis voluerit ſe manifeſtare, eiſque ſolis legem dare: quam calumniam refellit doctus, ac ſanctus Pater demonſtrando Deum priuata quidẽ ratione illum populum multis beneficijs ornaſſe, vt illum ad recipiendum Filium hominem factum diſponeret; ſed tamen non deſeruiſſe alios populos, cum ſeſe illis per legem & cognitionẽ naturalem manifeſtauerit. Ignorauit, inquit Cyrillus, ſummam naturam ſub pedibus cunctam naturam habere. Etenim diuinam notionem in natura hominis maxime fundatam fuiſſe, & ei genuinam omnis boni ad ſalutem neceſſarij cognitionem immiſiſſe opificem dicimus. Vtitur etiam ad idem probandum auctoritate diui Pauli ſuperius allata. Vbi concludens ait: Per inſcriptam ergo in cordibus legem demonſtratur, quod omnium opifex & Dominus ſit. Plura, qui cupit hunc locum legat. Diuus quoque Chryſoſtomus varijs in locis hanc veritatem docuit. In commentarijs in priorem epiſtolam ad Corinth. de hac re ita ſcripſit. Deus præcepit, vt in principio per creaturæ comprehenſionem ſe homines ſequerentur: quod cum nollent, experientia ſibi eos non ſatis eſſe oſtendens, tunc ad ſe aliter allexit: dedit pro libro mundum. Non tamen in hoc philoſophi curam vllam adhibuerunt, neque ei obtemperare voluerunt, nec quam præceperat viam ingredi paſſi ſunt. Ideo alteram induxit priore certiorem, quæ ſuadebat non ſatis ſibi per ſeipſum hominem eſſe. Tunc enim cogitationes excitare, & per creaturam erectos animos exteriori vti ſapientia oportuit. Nunc autem niſi quis ſtultus efficiatur, id eſt, omnem rationem, & omnem euacuet ſapientiam, & quæ ſequuntur. Alibi ait, quia Philoſophus noluit cognoſcere per ſapientiam, voluit per ſtultitiam cognoſci. Alibi ait, ethnicum per ſe cognitionem inuenire potuiſſe, ſed noluiſſe: & cœlos fuiſſe ethnicis pro concionatoribus. Denique alio loco, ita ſcripſit: Pro doctrina mundum in medium propoſuit: dedit mentem & cogitationem, quæ poſſet, quod conueniens erat, intelligere. Diuus quoque Ambroſius non obſcure eandem ſententiam inſinuaſſe videtur in libro primo & ſecundo de vocatione gentium: vbi inter alia, dum locum illum

Lege Cyril. lib. 3.

Hom. 5.

Hom. 4.

Hom. 2.

Homil. 3. in c. 1. ad Rom.

Lib. 2. c. 1. illum ex Actis apoſtolorum paullo ſupra citatum exponeret, hæc ſcripta nobis reliquit: Etiã ante ſacras literas in teſtimonium Domino deſeruiuit orbis, & inenarrabilis cœlorum pulchritudo; per quam hominibus quædam tabulæ proponebantur, vt veluti in paginis elementorum, & cœlorum diuinæ inſtitutionis doctrina legeretur. Omitto hic Fauſtum libro ſecundo, de gratia & libero arbitrio, Hugonem, & quoſdam alios non obſcuros doctores, breuitatis gratia. Nona concluſio: ſuppoſita reuelatione rerum, quæ naturaliter de Deo cognoſci non poſſunt, quam factam fuiſſe ſuperius docuimus, ijs quibus talis reuelatio facta fuit, neceſſarium erat ad ſalutem conſequendã cognoſcere aliqua ſupernaturaliter reuelata ex parte obiecti, hoc eſt quædam, quę naturaliter cognoſci non poſſunt. Nam, ideo iſta Deus reuelabat, vt illi, quibus reuelabantur, reciperent, & vt deberent recipere efficaciter proponebat: ergo nõ poterant ſaluari, niſi iſta cognoſcebant. Vnde Noe, Abraham, & illi antiqui patres, qui a Deo ſupernaturalium rerũ cognitionem habuerunt, & eorum filij, quibus ipſi iſta manifeſtabant, ſine rerum reuelatarum cognitione ſalutem conſequi non poterant. Decima concluſio: Qui fuerunt in lege Moyſis, non poterant ſalutem conſequi ſine cognitione aliquarum rerum quę naturaliter cognoſci non poſſunt. Hęc concluſio eſt manifeſtiſſima, quia populo Hebræo iam

Cap. 7. 8. & 9. L. de ſacr.

Gen. 17.

per



per legem congregato, multo plura ſupernaturalia myſteria, per quæ Deus eos homines ſaluare voluit, reuelata fuere. Vnde bibebant de conſequente eos petra. Vndecima concluſio: In noua lege vniuerſis hominibus ad ſalutem conſequendam, neceſſaria eſt doctrina rerum, quæ naturaliter cognoſci non queunt, ſiue doctrina reuelata ex parte obiecti. Vnde colligitur differentia quædam maxime notanda inter veterem & nouam legem, quod illa non obligabat omnes mortales, ad recipienda ea, quæ tradebat, hæc vero maxime. Eſt autem hæc concluſio certa fide tenenda; & manifeſte patet ex Apoſtolorum ſymbolo, in quo multa continentur, quę omnem humanam rationem excedunt, & tamen ſunt omnibus ſalutem conſequi volentibus ſcitu neceſſaria. Adde etiam, quod ſine baptiſmo nemo poteſt ſalutem conſequi, lex enim lata eſt, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei: doctrina autem hæc de baptiſmo, non eſt ex ordine earum rerum, quæ naturaliter cognoſcuntur; igitur. Atque hæc de hac diſputatione dicta ſufficiant.

1. Cor. 10

Ioan. 3.

*An in Eccleſia fuerit ſemper neceſſaria aliqua doctrina, qua explicaretur doctrina diuinitus reuelata. Cap. XII.*

CVM ergo proxima diſputatione demonſtratum a nobis ſit, quo nam pacto doctrina

na reuelata fuerit neceſſaria, tum ex parte eius, cui fit reuelatio, tum ex parte rerum reuelatarum; conſequens eſt, vt demonſtremus, an ſemper fuerit neceſſaria, ea doctrina, qua reuelata doctrina explicatur, & conſeruatur. Docendum itaque nobis eſt, an ſuppoſita doctrina diuinitus reuelata, opus ſit alia doctrina, ſine qua religio & Eccleſia conſiſtere non queant: vt autem id faciamus, quædam fundamenta nobis ponenda ſunt. Primum, cum quærimus, an præter doctrinam reuelatam ſit opus alia, quæſtio intelligi poteſt, vel de ea doctrina, qua explicantur, quæ per doctrinam reuelatam habentur, idque per humanam facultatem & induſtriam, atque per regulas nobis a ſanctis patribus & ab Eccleſia traditas, & a doctoribus obſeruatas; qua doctrina ij cenſentur periti, qui in explicatione diuinarum ſcripturarum laudabiliter verſati fuerint, aut verſantur, quos, vt libro primo diximus, Theologos poſitiuos nominant: vel de alia doctrina, quæ ratiocinando colligitur ex doctrina reuelata, qua non ſolum veritates explicantur, ſed etiam varijs rationibus confirmantur, & contra aduerſarios defenduntur: qua, qui ornati ſunt, Theologi ſcholaſtici nominantur. Poſita ergo quæſtio de vtraque doctrina intelligenda, & explicanda eſt. Secundum notandum, cum doctrina diuinitus reuelata, non tam conſiſtat in verbis, aut in ſcripturis, quibus nobis manifeſtata fuit, quam in vera & recta





rerum reuelatarum intelligentia, hinc neceſſario fit, vt ſicuti res, quæ in ea continentur, humanas vires excedunt, ita earum intelligentia vim ſuperat humanam: quo fit, vt vera ac certa earum explicatio, & ſententia, ſicuti & res ipſæ, diuinitus accipienda ſit. Ideo Deus opt. max. non ſolum debuit dare Eccleſiæ ſuæ Prophetas, per quos res ipſas reuelaret, ſed etiam doctores, per quos eaſdem, eis ſuum ſpiritum communicando, exponeret. Et quoniam per doctorum expoſitiones non reuelantur aliæ res de nouo, ad ſolum, quæ prius reuelatæ erant explicantur; ideo non eſt neceſſe, vt in eis aliam doctrinam reuelatam ponamus, præſertim ſi de ſingulis, & de ſingulorum locorum expoſitione loquamur; ſed ſatis eſt humana induſtria & ſcientia, aſſiſtēte vniuerſe diuino ſpiritu, in exponendis ijs, quę ad fidem & bonos mores pertinent. Et quamuis ſimplex rerum diuinarum explanatio fidelibus & ſimplicibus hominibus ſatis fuiſſet: tamen aduerſariorum hominum improbitate factum eſt, vt diligentius examinari & tractari debuerint: quod ſine diſputatione, & diſcuſſione fieri non poteſt. Quare, cum peruerſi homines male ex diuinis literis multos errores argumentando, vel deduxerint, vel probauerint, opus fuit quadam alia doctrina, qua diuina tractarentur, quæ tamen non eſt a ſuperiore, ſecundum ſubſtantiam, diuerſa, vt primo libro ſcripſimus. Quas duas rerum diuinarum tractan-

Epheſ. 4.

Cap. 8.

di rationes, inter ſe eo modo differre diceres,
Cicero in orat. quo Stoicus Zeno dialecticam, & rhetoricam
differre, expoſuit; cum vnam palmæ extenſæ, al-
teram vero palmæ contractæ ſimilem eſſe dixit.
Illa ergo doctrina, quæ proxime ſcripturas ex-
ponit eſt, lata, & diffuſa; quæ vero dogmata
examinat, breuior, atque contractior: & quæ
in vna ſunt varijs in locis diſperſa, in altera ſunt
certa methodo collecta. Non itaque exiſtima-
re debes vnam eſſe a viris ſanctis inuentam & a
Spiritu ſancto dictatam: alteram vero ab ocio-
ſis hominibus, vt quidam falſo exiſtimant, &
impie docent excogitatam: & vnam eſſe neceſ-
ſariam, alteram vero prorſus inutilem. Poſtre-
mo notandum eſt, cum quærimus, an alia do-
ctrina præter reuelatam ſit neceſſaria, id duobus
modis poteſt intelligi: vno modo ratione ſin-
gulorum fidelium, altero vero ratione totius ec-
cleſiæ, & paſtorum eius. His notatis ad propo-
ſitam quæſtionem his concluſionibus reſpon-
deo. Prima concluſio: Doctrina nobis a Deo
reuelata, non eſt ita facilis vt explicatione non
egeat. Hanc concluſionem, de qua alio loco
latius cõtra ſtultum quorundam ſtultorum ho-
minum errorem ſcripſi, hic tanquam certã ſup-
pono: & qui eam veram eſſe non videt, is certe
nunquam ſcripturam vidit. Et ſi eſt ita clara, vt
expoſitione non egeat, cur tot commentaria
ſcripſerunt patres? cur tam varie exponitur? cur
Chriſtus dixit ſcrutamini ſcripturas? cur Petrus





ſcriptum reliquit, in epiſtolis Pauli eſſe quędam 2.Pet.3.
difficilia? Ne igitur rem certiſſimam pluribus Ioan.5.
eam probãdo, dubiam reddere velle videar, hac
veritate poſita, aliam concluſionem ſtatuo. Se-
cunda concluſio: Semper in Eccleſia Dei fuit
neceſſaria aliqua doctrina, qua, quæ reuelata
ſunt, populo explicarentur. Eſt hæc doctrina
certa fide tenenda: & cum ſit manifeſta, eam
breuiter probabo. Primum, olim antiqui illi
patres, quæ diuinitus acceperant, ſuis filijs ma-
nifeſtabant & exponebant; & in veteri lege
Deus conſtituit ſacerdotes, qui legem ex officio Gen.17.
exponerent; & omnes prophetæ fuerunt, quaſi
legis Moyſis commentatores, igitur opus erat
tali doctrina. Huc facit illud Malachiæ, Labia Cap.2.
ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requi-
rent de ore eius. Et Paulus recenſendo dona, Epheſ.4.
quibus Chriſtus ſuam ornauit Eccleſiam, non
ſolum dixit ei dediſſe prophetas, id eſt, rerum
reuelatarum ſcribas, ſed etiam doctores, qui eas
exponerent: & hoc ad conſummationem, hoc 1.Cor.12.
eſt ad perfectionem fidelium, & ad ædificatio- & 14.
nem corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Datur
ergo quibuſdam donum ſapientiæ & ſcientiæ
ad ſcripturarum expoſitionem, quã Paulus in- 1.Cor.13
terdum, prophetiam, ſicut interpretes, prophe-
tas, appellat. Deinde, diuina oracula ſunt ob-
ſcura, vt eſt dictum, ergo, vt Eccleſia habeat ve-
ram eorum intelligentiam, eget aliqua doctri-
na, qua explicentur. Poſtremo, vt paullo ante

dicebamus,non minus egemus doctrina reuelata, quam eius vera intelligentia, quæ vt Petrus ſcripſit,propria interpretatione,hoc eſt ſola humani ingenij imbecillitate,non habetur: igitur opus erit vt in Eccleſia ſit doctrina, qua, quæ a Deo per reuelationem habentur, exponantur. Tertia concluſio: In Eccleſia Dei ſemper fuit neceſſaria talis ſcientia, qua non ſolum diuina oracula ſimplici quadam ratione explicarentur, ſed etiam argumentando defenderentur, confirmarentur, ac etiam ex illis,quæ ibi latent colligerentur: ex quorum cognitione quædam conſurgeret,partim diuina, partim humana doctrina, quæ Theologia dicitur. Hæc etiam concluſio eſt certa fide tenenda: quæ ſic confirmatur. Primum,quoniam, vt Deus ſemper habuit ſuos miniſtros,&veros ſacerdotes,per quos ſuos cultores inſtrueret; ita Dæmon perpetuus Dei aduerſarius & æmulus, ſuos habuit ſatellites, qui veram religionem corrũperent, & myſteria diuina impugnarent: propterea ſemper opus fuit, vt eſſent viri fortes, armati, qui lectulum Salomonis, hoc eſt diuinam ſcripturam, & Eccleſiam in qua rex pacificus Chriſtus conquieſcit,propter timores nocturnos, cuſtodirent; & canes, qui aduerſus lupos latrarent,& vulpeculas vineam Domini deuaſtantes caperent. Ideo Iobus contra impugnatores diuinæ prouidentiæ longa diſputatione pugnauit: Eccleſiaſtes contra errantes in quæſtione de finibus longum & malorum grauiſſima concione diſſeruit: & Sapiens contra idololatras acerrime diſputauit. Quare,vt ſemper fuerunt veræ religionis impugnatores, ne veritas deſerta, & religio victa iaceret, defenſoribus opus fuit. Deinde, hanc doctrinam non obſcure nos docuit Apoſtolus, cum talem requirebat epiſcopum, qui non ſolum in ſana doctrina exhortari, ſed etiam eos qui contra dicunt arguere, hoc eſt argumentis conuincere poſſet. Huc etiam facit, quod Petrus apoſtolus fideles admonet, vt ſint parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in eis eſt ſpes. Veniat igitur philoſophus & reſurrectionis ſpem falſis argumentis euertat: quo modo ſine concertatione & pugna, noſtræ ſpei ratio reddetur, ac ſpes ipſa ne euertatur, defendetur? Adde poſtremo locupletiſſimam auctoritatem diui Auguſtini, in libro decimo quarto de trinitate, vbi hac doctrina fidem gigni, nutriri, ac defendi affirmat. Et quoniam hac de re plura inferius ſumus dicturi,his duabus rationibus hanc veritatem confirmaſſe ſufficiat. Ex quibus colligere licet ſcholaſticam Theologiam, quæ diſputando res diuinas tractat, eſſe in Eccleſia Dei neceſſariam: in cuius defenſionem plura poſtea dicemus. Quarta concluſio: Ea doctrina, quam dicimus eſſe neceſſariam ad explicandam, & defendendam doctrinam a Deo reuelatam, non eſt neceſſaria ſingulis fidelibus, ita vt ſinguli ſint obligati ali-

Marginal notes: 2. Pet. 1. — Theodo. lib. 10. de cur. Grecan. affec. — Cant. 3. — Cant. 3. — Cap. 15. — 1. Cor. 12 — 1. Pet. 3. — Lib. 4. c. 6 & 7.

quo pacto ad eam habendam. Itaq; ſicuti dici ſolet, matrimonium, ſacerdotiũ, & id genus alia eſſe neceſſaria in rep. Chriſtiana, ita tamen, vt nemo priuatim, ſub præcepto illa ſacramenta ſuſcipere, teneatur, idem de hac doctrina dicas. Quincta concluſio: Hæc doctrina, quæ doctrinam reuelatam exponit, & defendit eſt neceſſaria in paſtoribus, & doctoribus Eccleſiæ. Quid autem & quantum ex ea cognoſcere debeant, non eſt huius loci exponere. Iſta itaque doctrina ratione totius Eccleſiæ eſt ſimpliciter neceſſaria: at ratione ſingulorum fidelium, non ita: quod ſi quis paſtoris, & doctoris eccleſiaſtici perſonam ſuſcipere voluerit, is debet hac doctrina eſſe ornatus. Atque de hac difficultate hæc breuiter diſputaſſe ſufficiat: quædam alia, quæ huc afferri potuiſſent, alio loco afferam. Lib. 4.

*An homini fuerit neceſſaria doctrina reuelata ad cognoſcenda ea, quæ alias naturaliter de Deo cognoſci poſſunt. Cap. XIII.*

DE doctrina homini ad ſalutem conſequendam neceſſaria, diſſerentes, diximus primum impoſſibile eſſe, vt homo beatitudinem adipiſcatur, ſine doctrina reuelata ex parte ipſius hominis, cui ſit reuelatio, cum ſine fide Deo placere poſſit nemo. Heb. 11. Diximus deinde, ſuppoſita reuelatione earum rerum, quæ vi humana non attinguntur, eſſe etiam neceſſariam doctrinam

nam



nam reuelatam, ex parte obiecti, ſeu rei reuelatæ ad ſalutem obtinendam, & quibus, & quando neceſſaria fuerit. Diximus præterea ſemper opus fuiſſe alia doctrina, qua explicarentur, & defenderentur, quæ per reuelationem diuinam lumine ſupernaturali cognita ſunt: quæ omnia pertinent ad explicationem primæ cõcluſionis, quam Diuus Thomas in primo articulo docuit: reſtat nunc, vt aliquid dicamus circa ſecundam cõcluſionem, quærendo, an verum ſit, opus fuiſſe doctrina reuelata ad cognoſcenda ea, quę ſub noſtram naturalem cognitionem cadũt, de qua re ita dominus Caietanus ſentit. Primum, in commentarijs huius articuli, exponendo diui Thomæ doctrinam, ait intelligendam eſſe de neceſſitate non ſimpliciter, ſed ad bene eſſe. Deinde, in cõmentario ſuper articulo quarto quæſtionis ſecundæ, in ſecunda ſecundæ, eandem rem tractans, ait neceſſariam eſſe ſimpliciter ratione quorundam hominum, qui ob naturę imperfectionẽ, vel ob alias cauſſas, non poſſunt huiuſmodi veritates per ſe cognoſcere: at vero ratione totius communitatis humanæ non fuiſſe neceſſariam ſimpliciter: quia multi ſuis viribus poſſunt huiuſmodi veritates cognoſcere. Alij vero diui Thomæ interpretes arbitrantur doctrinam ſancti doctoris intelligendam eſſe de neceſſitate ſimpliciter, ratione omnium hominum. Vt huic dubitationi ſatisfaciamus, animaduertendum eſt, doctrinam quæ habetur per Domin. Ban. Franc. Zumel.

 vires

vires naturæ de ijs rebus, quæ naturaliter cognoſcuntur, & quæ ad ſalutem conſequendam ſcitu ſunt neceſſariæ, dupliciter conſiderari poſſe: vno modo ex parte obiecti, ſcilicet quod hoc, vel illud cognoſcatur: altero modo ex parte ſubiecti, id eſt, ex parte eius, qui cognoſcit: & hoc modo rurſus dupliciter, primum, ex parte ſingulorum hominum; deinde ex parte omnium hominum ſimul, quod ſcilicet omnes ſimul cognoſcant omnia, quæ naturaliter cadere poſſunt ſub cognitionem humanam. Poteſt præterea hæc doctrina conſiderari quantum ad certitudinem, vel quod omnia cognoſcantur ſine vlla dubitatione & errore, eo modo, quo per vires humanas fieri poteſt, vel quantum ad eam certitudinem, qua cognoſci debent, vt quis ſalutem conſequatur. His ita notatis ad propoſitam difficultatem hunc in modum reſpondeo. Prima concluſio: Cognitio reuelata eorum, quæ naturaliter cognoſcuntur ex parte ſubiecti, ſemper fuit homini neceſſaria in quocunque ſtatu ad beatitudinem conſequendam. Hanc concluſionem non eſt cur nunc probemus, cum manifeſta ſit ex ijs, quæ ſupra a nobis demonſtrata

Cap. 11. ſunt. Volumus itaque in hac concluſione docere, ratione cuiuſcunque hominis neceſſariam fuiſſem maiorem quandam, & magis certam cognitionem earum rerum, quæ naturaliter cognoſcuntur, & quæ cognoſci debent ad finis conſecutionem; quam ſine auxilio & lumine fidei habuit



buit nemo. Quoniam, vt ait Apoſtolus, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: ſine qua nec Angeli ipſi, ei placere potuerunt. Vnde grauiter Heb. 11. errarunt ij, qui dixerunt hominem ſolis naturæ viribus ſaluari potuiſſe; inter quos recens Zuinglius numerandus eſt, qui Catonem, & Scipionem naturæ viribus ſalutem adeptos fuiſſe, dixit. Secunda concluſio: Si loquamur ex parte rerum quæ cognoſcuntur, nemo in particulari potuit per ſe omnes veritates cognoſcere, quæ alias naturaliter cognoſcuntur, & cognoſci debent ad ſalutem conſequendam: at vero omnes ſimul cognoſcere potuerunt, ita vt non fuerit ſimpliciter opus iſtarum rerum reuelatione. In hac itaque concluſione affirmare volumus, ſingulos homines ex ſe indigere aliqua ſaltem reuelatione, vt aliquid cognoſcant, quod alias ob debilitatam naturam cognoſcere non potuiſſent, niſi ab alio docerentur: at vero reſpectu omnium ſimul non fuiſſe ſimpliciter opus reuelatione ex parte rei cognitæ: quod vero ad certitudinem, ex parte ſubiecti attinet, putamus ratione ſingulorum, opus fuiſſe reuelatione, vt in prima concluſione diximus. Hanc concluſionem tanquam probabiliorem defendimus ob rationes, quas ſupra capite vndecimo attulimus. Quod autem ratione ſingulorum fuerit neceſſaria, ex eo probari poteſt, quod philoſophi alias valde docti in aliqua re, ex ijs, quæ vel ad contemplationem, vel ad vitam recte inſtituendam pertinent,

pertinent, errarunt: vt de Platone, de Ariſtotele, de Cicerone, & alijs, qui fuerunt tanquam magiſtri in lege naturæ conſtat: quorum errata, cum ſint nota, non eſt cur in præſentia recenſeam: cum præſertim ſupra nonnulla adnotauerim. Verum, cum hic facta ſit mentio de M. Tullio, de quo nihil ſupra diximus, omiſſis vitijs, quibus fuit infectus, quæ non obſcure ex eius ſcriptis cognoſcuntur, ac etiam erroribus, quos habuit in ea parte philoſophiæ, quæ in contemplatione conſiſtit, vnum vel alterum recenſebo, de illis quæ pertinent ad officia, in quibus explicandis ſe alijs magiſtrum præbuit. Inter alia igitur huius docti viri errata, hęc ſunt: Exiſtimauit peccata eſſe paria: illatam iniuriam licere vlciſci: indignationem aduerſus felicem improborum ſtatum eſſe laudabilem, in quo, vna cum Ariſtotele, lapſus eſt. Quod autem omnes ſimul, ea omnia aliqua ratione cognouerint, quæ homini bene honeſteq; viuere volenti ſunt cognoſcenda, ex eo mihi perſuadeo, quod ſi quis diligenter philoſophorum, & doctorum legis naturæ ſcripta euoluat, inueniet in eis, omnes veritates, ad honeſte viuendum cognitu neceſſarias. Vt quod Deus ſit, quod habeat prouidentiam: animam eſſe immortalem: omnia præcepta quæ in decalogo Iudæis tradidit Deus: & præceptum de non habendo odio inimicum, & de non vlciſcenda accepta iniuria, quod quibuſdam proprium legis gratiæ eſſe videtur, cum tamen,



tamen, vt exiſtimo, non ſit a primis naturæ luminibus valde remotum, apud eos reperire licet. Ex his ergo, quæ in hac concluſione docemus, facile intelligi poſſe putamus. Tertia concluſio: Valde vtile fuit, vt Deus reuelaret ea, quæ alias naturaliter cognoſci poterant. Hæc concluſio eſt manifeſta ex ijs, quæ ſupra a nobis ſcripta ſunt: propterea nihil eſt, cur nunc eam pluribus verbis demonſtremus. Itaq;, vt Chryſoſtomus ait, plus vno die per hanc doctrinam cognoſcit Christianus, etiam agricola, quam per totum ſuæ vitæ tempus adepti fuerint philoſophi. Antequam autem huic diſputationi finem facio, has dubitationes reſoluam. Prima dubitatio; ſi homines poſſunt omnes iſtas veritates cognoſcere, quo nam pacto poterit defendi humanam naturam ob peccatum primi hominis fuiſſe læſam ratione intellectus, cum eadem lapſa, per nos, cognoſcat ea, quæ cognouiſſet integra? Hæc dubitatio ſic explicari poteſt: primum, tunc potuiſſet plures veritates per vires naturales cognoſcere, quam nunc cognoſcit: quæ tamen ad honeſte agendum non fuiſſent omnino neceſſariæ. Deinde, tunc ſinguli omnes veritates neceſſarias per ſe cognouiſſent, & ſine vllo errore, & abſque vlla difficultate. Secunda dubitatio, noſtra ſententia videtur eſſe contra ſcripturam, & ſacros canones: Nam Paulus ait, nos non eſſe ſufficientes cogitare quicquam ex nobis: & Concilium Mileuitanum, definit eſſe

Homil. 4. ad popul. Antioc.

1. Cor. 3.

Can.3. eſſe donum Dei, ſcire quid agamus: igitur. In primis, hæ auctoritates exponi poſſunt de auxilio generali Dei, ſine quo nihil cognoſcimus: deinde,& eſt melior reſponſio, intelligi debent de auxilio ſpeciali & ex parte cognoſcentis, non autem ex parte rei cognitæ: quod auxilium, etiam nos ponimus, tanquam neceſſarium ad has veritates perfecte intelligendas, & maxime vt ordinantur, ad finem ſupernaturalem, quatenus videlicet nō ſolum ad honeſtum, ſed etiam ad Deum referuntur. Tertia dubitatio, ſingulæ veritates naturales, ex ſe, ſunt homini proportionatæ,& poteſt eas cognoſcere, ergo & omnes ſimul: igitur non eſt verum, quod nos diximus, neminem poſſe ſingulas cognoſcere. Huius argumentationis negatur conſequentia: non enim valet, ſingulas potuerunt cognoſcere, ergo omnes ſimul: ſicuti non valet, ſingula venialia peccata poſſumus vitare, ergo omnia: Dicerem etiam ſingulas eſſe proportionatas omnibus ſimul, ſed non ſingulis. Quarta dubitatio, Quo modo intelligendum eſt id, quod diuus Thomas ait in corpore primi articuli, a cognitione naturalis veritatis pendere totam hominis ſalutem, quod falſum eſſe videtur: & ſi eſſet verum, ſequeretur hominem per vires naturæ poſſe ſalutem conſequi, cum, per nos, hanc veritatem attingat. Quod attinet ad ſenſum verborum diui Thomę, verum eſt totam hominis ſalutem, vel ex vna veritate naturali pendere: vt ecce, ab



ab iſta, quod Deus ſit: ſed non ait ſolam veritatem naturalem ad ſalutem ſufficere: neque ex eo quod homo cognoſcit ex parte obiecti, naturales veritates, vt non ſemel diximus, ſequitur, quod ex ſe iuſtitiam conſequatur, cum ſit opus diuino auxilio ex parte cognoſcentis.

## *An euidenter demonſtrari poſſit homini eſſe neceſſariam doctrinam reuelatam. Cap. XIIII.*

DOCVIMVS ſuperioribus capitibus doctrinam aliquam reuelatã humano generi eſſe neceſſariam: ſed peteret nunc aliquis, an id humana ratione demonſtrari poſſit: quam difficultatem hoc capite, quibuſdam notandis prius poſitis, explicabimus. Notandum itaque primum eſt, hominem poſſe naturaliter cognoſcere, an ea, quæ ipſe cognoſcit, & efficit, ſint idonea ad conſequendam ultimam hominis fœlicitatem: quod tanquam certum,& ex dictis manifeſtum, in præſentia non probabo. Cognoſcit etiam naturali ratione, quod ſi quid eſt neceſſarium de facto, id eſt, quod re, exiſtere debeat, illud reperiri debere. Deinde notandum eſt, duobus modis hanc quæſtionem nos explicare poſſe: primo, ſolum demonſtrando, quod dari debeat: altero, quod detur de facto. Poſtremo notandum eſt, duobus modis hanc quæſtionem poſſe probari, vno modo ratione Chriſtianorũ ex

Lege Io. de Baſ. q. 2. vbi latiſſime.

ex ipſis ſcripturis: altero modo ratione externorum, ſolo naturali lumine. His notatis, propoſitæ dubitationi his cōcluſionibus ſatisfacio. Prima concluſio: Ex ſacris literis poteſt euidenter oſtendi neceſſariam eſſe aliquam doctrinam reuelatam. Probatur primo auctoritate Pauli

Heb.11. dicētis, ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo: at fides ſupponit reuelationem cum innitatur Deo dicenti; erit igitur neceſſaria reuelatio. Deinde, ex Concilio Mileuitano & Arauſicano, in quibus hoc de fide tenendum decernitur. Po-

Ioan.17. ſtremo, cognitio Chriſti eſt neceſſaria ad ſalu-

Ioan.14. tem; quia ſcriptum eſt, hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum viuum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, qui eſt via, veritas, & vita: at cognitio Chriſti non habetur per naturam; neceſſario igitur concluditur ad ſalutem conſequendam opus eſſe doctrina reuelata. Secunda concluſio: Poteſt naturaliter demonſtrari, ſed vniuerſe, & in confuſo, humano generi neceſſariam eſſe doctrinam reuelatam. Hanc concluſionem probant multæ rationes ſuperius capite quarto allatæ, propterea breuiter nunc eam confirmabo. Et primum, illud eſt naturaliter cognoſcibile, ac etiam verum, in quo omnes homines conueniunt: at in hac re conueniunt omnes Iudæi, Saraceni, & Chriſtiani, & vt ſupra ſcripſimus, nationes omnes, ergo. Nec obſtat, quod vnus vel alter hanc veritatem negauerit; quia etiam ſtultus dixit in corde ſuo, Non eſt Deus, cum



cum tamen omnes homines, Deum eſſe exiſti- Pſal.52.
ment. Deinde, cognoſcimus naturaliter hominem non habere tantam de Deo doctrinam, quantam naturali propenſione deſideret, & ei neceſſaria eſt, nec eam naturaliter habere poſſe; Ergo naturaliter cognoſcimus doctrinam reuelatam homini neceſſariam eſſe. Poſtremo, multa in hac vita nobis occurrunt incerta, quæ tamen ſcire debemus, ac ſcire deſideramus, quæ per nos ſcire nequimus; ergo ne noſter appetitus, & naturæ propenſio ſit vana, neceſſaria eſt nobis alia doctrina reuelata. Tertia concluſio: Doctrinam aliquam reuelatam reperiri euidenter demōſtrari poteſt. Hanc concluſionem confirmant multa, quæ ſupra ſcripſimus: ac propterea in præſentia, ſolum vna, eaque firmiſſima tatione confirmabo: quæ ratio a fine hominis, & a medijs ad finem conſequendum neceſſarijs ſumitur: qua Scholaſtici fere omnes vti ſolent. Verum nos, eam alia ratione, quam ipſi faciunt, proponemus, & explicabimus: vt eius robur longe melius appareat. Hunc igitur in modum ratiocinamur. Quod eſt re ipſa neceſſarium, re ipſa datur: at demonſtrari poteſt, doctrinam reuelatam re ipſa neceſſariam eſſe, ergo iſta doctrina dabitur. Minorem propoſitionem hunc in modum demonſtro. Homo, ſicuti quęuis alia creatura, habet ſuum vltimum finem: ſed hic finis eſt ſupernaturalis; ergo debet dari doctrina reuelata, qua hunc finem & media ad eius

eius conſecutionem neceſſaria cognoſcat, vt in eum ſuas actiones dirigere, ad eumq; peruenire poſſit. Maior propoſitio, quam aduerſarius fortaſſe negaret, hoc modo probatur. Finis hominis, aut eſt in hac vita, aut in altera: non in hac vita, in altera igitur: ſi in altera, cum de ea nullam naturalem cognitionem homo habeat, opus erit vt de ſuo fine ſupernaturalem notitiā habeat. Quod autem finis hominis non ſit in hac vita, quod etiam multi philoſophi non ignobiles concederent, ſic demonſtratur. Primum, quia homo in hac vita ſuum appetitum explere nequit, & propterea affectat quandam ęternitatem, & maiora bona, in quibus acquieſcat. Deinde, ea felicitas, quæ poteſt homini in hac vita contingere, non eſt poſſibilis omnibus, ſed pauciſſimis, cum tamen felicitas, vt philoſophus docuit, debeat eſſe in quodam bono poſita, quo omnes, cum ad beatitudinem ſint facti omnes, potiri queant. Quod autem non omnes in hac vita felicitatem aſſequantur, patet: quia, vt melior philoſophantium opinio docet, felicitas in rerum ſublimium & primarum cauſſarum, cognitione poſita eſt; quam cognitionem pauciſſimi ſunt, qui aſſequantur. Præterea, cum beatitudo in præcipua hominis parte, & operatione ſita eſſe debeat, conſiſtet proculdubio in operatione animæ, quæ eſt vel intelligere, vel amare: verum, cum anima ſit immortalis, & aliquando recedat ab hac vita, profecto eius finis erit

Li.1.Eth.

Ariſt.lib. 10. Eth.



erit in alia vita: tunc, pergo, aut hunc finem ſola anima aſſequetur, aut anima vna cum corpore: non ſola, tum quia non eſſet finis hominis, de quo fine nos hic loquimur: tum quia idem debet eſſe finis totius & partis: adde etiam quoniam vt actiones per quas aſſequimur finē ſunt ſuppoſiti, ſeu hominis operantis, ita etiam finis erit totius hominis. Quare, cum corpus vna cum anima laboret, cum eadem præmium adipiſci debebit. Si ergo totus homo beandus eſt, cum corpus, vt videmus, cadat, quomodo, & quando ſurget? qua iterum ratione cum anima vnietur? & ſi vnientur, quomodo in vnione iſta conſeruabuntur, ne iterum diſſocientur? Si non debent iterum diſſociari, quomodo corpus fiet immortale? Peto deinde de loco, vbi nam erit? num ſub cœlum? non certe, quia agentibus naturalibus ſubijceretur, & pateretur: ſi ſupra cœlum, quomodo penetrabit, & vbi cœlorū erit? Cum ergo hæc omnia, & alia plura, quæ ad finem hominis cognoſcendum pertinent, per humanam ſcientiam cognoſci nequeant, & tamen neceſſario cognoſcenda ſint, neceſſaria profecto erit ſcientia reuelata. Nullum aliud videtur hoc loco eſſe refugium, niſi negare animæ immortalitatem, quam tamen omnes fere philoſophi cognouerunt, & probarunt. Poſſes etiā hanc argumentationem amplificando, quęrere, quibus medijs, & vijs ad hunc ſupernaturalem finem conſequendum homini perueniendū ſit.

M Quia,

Quia, ſi finis naturæ vires excedit, etiam media quæ ad eum perducunt, erunt ſupra naturæ vires, cum media fini conſentanea eſſe debeant. Quarta concluſio: Etiam ſi non poſſit euidenter probari neceſſariam fuiſſe reuelationem ratione veritatum naturalium, quæ ad finem conſequendum cognoſci debent: tamen demonſtrari poteſt conueniens fuiſſe iſta a Deo reuelari. In hoc rerum genere ſunt, animam eſſe immortalem: hominem eſſe liberi arbitrij: Deum exiſtere, habere prouidentiam, noſtris peccatis offendi, poſſe bonis operibus placari, a nobis cultum requirere, & id genus alia, quæ etſi cognoſci poſſunt; tamen, non facile, non ſine aliquo errore, vel ſaltem ſine dubitatione: quod etiam ipſi ſapientes fatentur. Ergo euidenter concluditur id congruum fuiſſe. Diceret hoc loco philoſophus, non oportuiſſe hæc reuelari; quia cum iſta naturaliter a multis cognoſcãtur, qui cognouerunt, potuerunt alios docere: ita vt ſapientes eſſent tanquam magiſtri inſipientium. Verum, hæc reſponſio non videtur noſtram doctrinam euertere. Primum, quia iſti ſapientes inter ſe non omnino conueniunt, nec habent omni ex parte harum rerum notitiam indubitatam. Quare, etiam ſi conuenirent, vt adhuc maior haberetur certitudo de rebus, quæ omnino pro certis haberi debent, cum ſint rectæ vitæ inſtituendæ fundamenta, reuelari debuerunt. Deinde, non facile idiotæ potuerunt diſcernere a quibus

D.Tho.q. 10.de ver. ar.10. Rabbi Moyſ. Themiſ. in epit.2. poſt. Ariſt.ſect. 3.pro.40.



a quibus ſapiẽtibus harum rerum cognitionem deberent accipere, cum cognoſcere, qui ſit ſapiens, ſit eius, qui maxime ſapit. Quincta concluſio: Poteſt homo naturaliter cognoſcere doctrinam diuinitus a Deo reuelatam non eſſe apud diuerſas nationes & ſectas, quæ inter ſe diſſentiunt. Huius concluſionis ratio eſt aperta: quoniam ij, qui profitentur ſe habere hanc doctrinam, vt ſunt Chriſtiani, Mahometani, Iudæi, Perſiani, & alij, inter ſe ſunt diſcordes, & contrarij in doctrina: at Deus non eſt ſibi contrarius, nec etiam eius doctrina: quare doctrina a Deo reuelata non poterit eſſe in ſectis inter ſe pugnantibus. Hanc concluſionem poſuerim ad refellendum errorem quorundam imperitorum, dicentium, omnes homines ſaluari in ſua ſecta, ſeu religione: quod eſt omnino erroneũ: cum ij ſolum ſaluentur, qui reuelatam doctrinam habent, quæ non eſt in ſectis inter ſe contrarijs. In hunc errorem olim lapſus fuit quidam nomine, Rhetor, & Themiſtius alias non obſcurus philoſophus, qui Valenti Imperatori perſuadere conatus eſt, omnes ſectas eſſe Deo gratas. Sexta concluſio: Poteſt euidenter probari doctrinam reuelatam non reperiri in aliqua ſecta, ſeu religione, quæ ſit legi naturæ contraria. Quoniam cum vtraque doctrina, tum naturalis, tum ſupernaturalis ſit a Deo, cuius ſapientia eſt infinita, nihil per vnam doctrinam dediſſet, quod eſſet alteri contrarium. Ex quo

Cicero in Luculen. Ariſt. lib. 2.de part.

Lege Hieron. Sauonar.lib.4. de veritate fidei. Socr. lib. 4.hiſt.c.7. Aug. lib. de hæres. c.26.

inferre licet apud eos populos non fuiſſe, nec eſſe doctrinam reuelatam, qui, legibus naturalis lumini contrarijs, vſi fuerunt, aut vtuntur: in quibus Turcæ profecto reponendi ſunt. Septima concluſio: Non poteſt ab aliquo euidenter demonſtrari in religione Chriſtiana non eſſe doctrinam reuelatam: quod ſic probatur. Verum non poteſt contrariari vero: ſed quæ ſunt in religione Chriſtiana ſunt vera; ergo nulla vera demonſtratio contra ea afferri poteſt: & ideo quæ afferuntur, neceſſario erunt ſophiſmata, quæ nihil probant. Maior propoſitio ſupponitur tanquam certa: quoniam, quæ noſtra religio docet, ſunt a Deo: & ex eo confirmari poteſt, quod Chriſtiana doctrina nullam in ſe habet veram contradictionem, nec quicquam contra bonos mores, rationemve docet. Ex quibus colligere licet, quam grauiter errent, qui vniuerſe hanc propoſitionem pronuntiant, Noſtram religionem cõtinere multa contra philoſophiã: quæ propoſitio damnata eſt in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Cumq;, ait ſacrum Concilium, verum vero minime contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam eſſe definimus; &, vt aliter dogmatizare non liceat, diſtrictius inhibemus. Octaua concluſio: Non poteſt euidenter demonſtrari doctrinam, quæ eſt in religione Chriſtiana eſſe reuelatam. Hæc concluſio eſt manifeſta; quia res eſt occulta, & ſola fide tenetur: non igitur poterit aperte demonſtrari. Sed dicat quiſpiam: duę poſtremæ concluſiones inter ſe pugnare videntur: quoniam ſi non poteſt euidenter probari, in noſtra religione non eſſe doctrinam reuelatam, ſequitur euidenter ibi reperiri, cum alibi reperiri non poſſit. Verum, nulla eſt pugnantia: quia ad demonſtrandum neminem poſſe probare in rep. Chriſtiana non eſſe doctrinam reuelatam, ſatis eſt oſtendere aduerſariorum rationes nihil neceſſario concludere: vnde non ſequitur euidenter hanc doctrinam in noſtra religione eſſe debere. Quæ dubitatio adhuc planius explicabitur libro quarto capite decimo. Nona concluſio: Poteſt demonſtrari eſſe euidenter credibile, & rationi conſentaneum in religione Chriſtiana eſſe doctrinam diuinitus reuelatam. Hanc concluſionem probabimus inferius afferendo varias rationes, quæ demonſtrabunt nihil eſſe tam credibile, atque hoc eſt. Decima concluſio: Qui non recipiunt doctrinam chriſtianam, cum de ea notitiam habuerint, & eam recipere poſſunt, peccant, & ſunt inexcuſabiles. Nam, poſſunt euidenter cognoſcere ſuam ſectam eſſe falſam, & norunt dari aliam religionem, quæ profitetur ſe veram doctrinam habere, & habet rationem euidentem cur credi & recipi debeat: errant igitur non recipiendo: & ſpeciatim Iudæi, & Turcæ. Qui vero non habuerunt notitiam, ſunt excuſabiles; quia nemo poteſt credere ſine prædicante.

Seſſ. 8.

Rom. 8.

Quare iſti damnabuntur propter alia peccata. Contra has concluſiones ſunt hæ dubitationes, quas breuiter nunc ſoluam. Prima, illud non poteſt naturaliter cognoſci eſſe neceſſarium, quod Deus & natura homini a natiuitate negant: at talis doctrina a natura homini, vt perſpicuum eſt, denegatur: non igitur poterit naturæ vi cognoſci, dari doctrinam reuelatam. Maior propoſitio videtur clara: quia Deus & natura non negant neceſſaria. Hæc ratio diſſoluetur manifeſtando varios ſenſus, quos minor propoſitio habet. Primus ergo ſenſus eſt, doctrinam reuelatam negari homini ab ipſa natiuitate, & quod ea a natiuitate homini ſit neceſſaria; & hic ſenſus eſt falſus: quia neque humanæ ſcientiæ, dantur homini a natura, & tamen naturaliter cognoſcimus eas homini eſſe neceſſarias: idem dicas de virtutibus. Secundus ſenſus eſt, quod homo ſuis viribus naturalibus poſſit eam aſſequi, ſicuti aſſequitur alias doctrinas: neque hoc eſt neceſſarium: quoniam homo multis indiget, vt docet Ariſtoteles, quæ ſua vi aſſequi nequit.

Lib.1.Polit.

Tertius, quod Deus debuerit aliquo modo eam dare, & paratum eſſe ad dandum, cum homines ea indigeant, & tunc dico, Deum non denegare hanc doctrinam, & paratum eſſe ad eam dandam, quod etiam philoſophi non ignobiles docuerunt. Propterea, dicebat Iacobus in ſua cãnonica: *Si quis indiget ſapientia poſtulet a Domino.* Secunda ratio: vt

Iac. 1.

intellectus



Ariſt. lib. 3. de ani.

intellectus poſſibilis, dicet philoſophus, eſt aptus ad recipienda omnia intelligibilia, & hoc naturaliter, ita intellectus agẽs naturaliter erit aptus ad facienda omnia intelligibilia, vt potẽtiæ paſſiuæ in natura reſpondeat potentia actiua: ergo omnia, quæ cognoſcentur, naturaliter cognoſcentur: ac proinde non poterit naturaliter cognoſci, opus eſſe doctrina reuelata: aut gratis dicendum erit eſſe aliqua, quæ intellectus agens non poteſt facere actu intelligibilia. Reſpondetur, in primis, naturaliter cognoſcimus nos poſſe plura intelligere, quam quæ fiunt actu intelligibilia ab intellectu agente; ac proinde etiam cognoſcimus intellectum poſſibilem poſſe redigi ad actum per ſpecies non formatas ab intellectu agente; quod etiam aliqui philoſophi cõceſſere.

Auicen.

Deinde, etiam intellectus aliquo modo eſt cauſa cognitionis rerum reuelatarũ, dum eas apprehendit, & eis aſſentitur, licet non ſine voluntatis concurſu. Tertia ratio, viribus naturæ cognoſcimus intellectum ferri in omne verum, tanquam in ſuum adæquatum obiectum, & hoc naturaliter: ergo naturaliter cognoſcimus non eſſe opus aliqua reuelata cognitione: quod ſumitur, patet a ſimili de ſenſu, qui naturaliter percipit, quidquid ſub ſuum obiectum cadit. Hæc ratio ſic diluitur: Obiectum intellectus dupliciter accipi poteſt: vno modo pro eo, quod ſuis viribus poteſt attingere: & tale obiectum eſt ens ſenſibile per ſe, vel per aliud:

 altero

altero modo pro omni eo, quod poteſt quacunque ratione attingere, ſua, vel aliena facultate, & ſub tali obiecto continentur etiam veritates reuelatæ. Nec illud ſimile de ſenſu valet: quia cum ſenſus ſit potentia materialis, non poteſt eleuari ad percipienda ea, quæ ſub ſuo obiecto naturali non continentur. Atque hactenus de doctrina reuelata a nobis diſputatum ſit. Alia, quæ ad eam explicandam reſtant, inferius aſ- ferentur.

Lib. 4.

*Explicatur titulus, ac etiam opiniones ſuper hac quæſtione, An Deus ſit finis naturalis hominis. Cap. XV.*

De hac re Barthol. Medin. in q. 3. 1. 2. ar. 8. Ban. in 1. p.

HVIVS quæſtionis tractandę occaſio ſumitur ex argumento diui Thomæ, quo probat opus eſſe ſcientia reuelata: quia finis hominis eſt ſupra naturam; qui conſiſtit in clara viſione Dei: qua de re cum hoc loco aliqui diſputare ſoleant, & vt percipiatur vis argumenti beati Thomæ, & vt melius intelligantur, quæ de neceſſitate reuelationis hactenus ſcripta ſunt, nos quoq; hoc loco, & hoc ordine agemus. Primum explicabimus clare huius quæſtionis titulum, ac varias hac de re ſententias: deinde per varias concluſiones quid tenendum ſit ſtatuemus: poſtremo, quæ poſſunt contra ea, quæ docebimus rationes afferri, eas ſoluemus. De primo, duplex eſt, vt communiter ſcribitur, hominis

nis



nis finis: alter naturalis, quem homo ſuis viribus attingere poteſt: qui poſitus eſt, vt multi docent, in ea cognitione, quæ naturaliter de Deo haberi poteſt, ſi de ſpeculatiuo loquamur: ſi vero de practico, in actione honeſta: Vel vt alij ſcribunt finis naturalis hominis eſt fieri Deo ſimilem, quantum per ipſam naturam fieri poteſt: qui finis attingitur cognitione, & actione. Alter finis dicitur ſupernaturalis, qui in hac vita abſque vlla dubitatione in amore, quo Deum ſupra omnia amamus, conſiſtit: in alia vero, in clara viſione, & in perfecta dilectione Dei: qui finis vocatur ſupernaturalis; quia homo viribus naturæ non poteſt illum attingere. Itaque finis naturalis, & ſupernaturalis in eo differunt, quod vnus naturali facultate, alter non ſine auxilio diuino acquiritur. Item, finis naturalis poſitus eſt in quadam cognitione confuſa, & indiſtincta Dei: ſupernaturalis vero in cognitione clara, & diſtincta. Propoſita quæſtio intelligitur de fine ſupernaturali, & in alia vita; ita vt ſit ſenſus: An Deus clare viſus poſſit aliqua ratione dici finis naturalis hominis. Rurſus, vt intelligantur auctorum ſententiæ, & huius quæſtionis ſtatus, animaduertendum eſt, duplicem eſſe in hominibus appetitum, alterum naturalem, alterum elicitum: appetitus elicitus, eſt actio & operatio quædam animalis, qua per potentiam appetitiuam ſuum finem, ſeu ſuam perfectionem deſiderat: vt, volitio, quæ eſt actus a

voluntate

voluntate productus; ob quam cauſſam dicitur appetitus elicitus: naturalis autem nõ eſt actio, ſeu operatio aliqua, ab ipſa re producta, ſed eſt ipſamet res, cum aptitudine & propenſione ad ſuum bonum, ſeu perfectionem: qua ratione dicimus in lapide eſſe appetitum, id eſt, inclinationem naturalem ad centrum: & in materia prima appetitum ad formas. Noſtra quæſtio non eſt de appetitu elicito, ſed de appetitu naturali. Certum enim eſt apud omnes, & eſt fide tenendum, hominem ſine fide, & gratia non poſſe ferri actu elicito in Deum, vt eſt finis ſupernaturalis. Eſt ergo dubitatio, an homo habeat naturalem propenſionem, & capacitatem ad videndum Deum clara viſione: de qua re, hæ ſunt ſcholaſticorum ſententiæ. Prima ſententia eſt quorundam ſcriptorum, quę his dictis explicatur. Primum, tres dantur potentiæ, naturalis, violenta & obedientialis. Naturalis potentia, eſt aptitudo, & inclinatio inſita naturæ ad actum agendi, vel patiendi. Violenta, eſt qua res aliquid patitur, vel recipit contra ſuam inclinationem: vt cũ lapſis ſurſum verſus proijcitur: ad quem actum lapis habet potentiam violentam. Obedientialis, eſt aptitudo creaturę, per quam apta eſt ſuſcipere quidquid Deus voluerit in ea facere, quamuis ſit ſupra naturam illius. Qua ratione dicemus in ſole fuiſſe potentiam obedientiæ, vt ceſſaret a motu, ita Deo imperante. Hæc potentiæ appellatio, quæ apud philoſo-

*Capr. q. 1. prol. Fer. in li. 1. contr. gen. c. 5. Caiet. ſuper ar. 1.*

*Ioſ. 10.*



philoſophos non reperitur, fortaſſe ſumpta eſt ex his Euangelij verbis: Qualis eſt hic, quia mare, & venti obediunt ei? Hæc potentia differt a naturali duobus modis: altero quidem, quoniam naturalis potentia ponit aliquid in re ipſa, nimirum inclinationem, & aptitudinem quandam: at obedientialis nihil ponit, niſi quãdam relationem ad agens, a quo res immutari poteſt: altero vero, quoniam naturalis conuenit rei, vt talis eſt: vt puta, qua homo, qua lapis eſt: at obedientialis non conuenit rei ſecundum determinatam naturam, ſed vt res creata eſt, quæ in omnibus eſt ſubiecta Deo, ab eoq; dependet. Secundum dictum, homo eſt in potentia ſolum obedientiæ ad clare videndum Deum, ſeu ad beatitudinem ſupernaturalem. Tertium dictum, quod neceſſario ex ſecundo proficiſcitur, idem dicendum eſt de omnibus actibus, & habitibus ſupernaturalibus, vt fidei, ſpei, caritatis, & aliarum virtutum infuſarum; ad quos habitus homo habet tãtum potentiam obedientialem. Secunda ſententia eſt aliorum, quæ his dictis explanatur. Primum, triplex eſt potentia, naturalis, violenta, & neutra: Naturalis eſt, quæ recipit, & producit actum ſecundum rei inclinationem, vt eſt potentia lapidis ad motum deorſum: violenta eſt potentia omnino huic contraria, vt eſt potentia in lapide ad motum ſurſum: neutra potentia eſt ſecundum quam aliquid ordinatur ad actum, ad quem nec eſt

*Mat. 8.*

*Scot. q. 1. prol. & 4. S. d. 49.*

eſt inclinata, nec auerſa: vt eſt potentia ſuperficiei ad recipiendum, vel albedinem, vel nigredinem. Dicitur hæc potentia, neutra, quia non magis inclinatur ad vnum, quam ad alterum; & propterea non eſt naturalis, cum hæc ad vnum determinata ſit: neque eſt violenta, quia non eſt contra inclinationem naturæ. Secundum dictum, quælibet potentia poteſt comparari ad duo: primum ad actum, quem recipit; vtputa, intellectus ad habitum fidei, quem a Deo recipit, & ad actum quem elicit, & producit, vt eſt actus credendi: deinde ad agens, quod vel dat actum, ſeu formam, vel iuuat ipſam potentiam ad actum producendum. Vt ſi intellectus conſideretur reſpectu Dei infundentis habitum, vel iuuantis intellectum ad producendum actum. Tertium dictum, ſi potentia comparetur ad actum, tunc, vel eſt naturalis, vel violenta, vel neutra: at ſi comparetur ad agens, ſi agens eſt ſupernaturale, dicetur potentia obedientialis. Ex quibus licet inferre differentiam quandam inter hanc, & ſuperiorem opinionem: quod hæc opinio non ponit potentiam obedientię diſtinctam ab illis tribus numeratis, ſcilicet, a naturali, violenta, & neutra; ſed hæc eadem dicitur potentia obedientiæ, vt refertur ad agens ſupernaturale: at vero prima opinio ponit potentiam obedientiæ in re ipſa, etiam reſpectu actus, diſtinctam a naturali, & violenta. Quartum dictum; intellectus humanus reſpectu viſionis



ſionis beatificæ, eſt in potentia naturali, ita vt naturaliter inclinetur ad Deum clare vidēdum, cum viſio Dei ſit finis ipſius: ſicuti lapis inclinatur ad centrum. Ad alios vero actus habet potentiam neutram: vt ad actum credendi, & ſperandi, & ſimiliter ad habitus ſupernaturales recipiendos. Ex his duarum ſententiarum fundamentis infertur alia differentia inter has ſententias. Nam poſterior opinio exiſtimat, quod ſi homo perfecte cognoſceret naturam ſuam, cognoſceret etiam finem ſuum conſiſtere in clara viſione Dei; quia homini ineſt naturalis capacitas ad videndum Deum. Prior vero contrarium cenſet; quod etiam ſi homo ſe perfecte cognoſceret, non poſſet in hanc veritatem penetrare, nimirum Deum clare viſum eſſe vltimum finem ſuum. Tertia ſententia eſt eorum, qui dicunt hominem habere quidem inclinationē naturalem; ſed tamen finem eſſe ſupernaturalem. Vt autem quid in hac difficultate tenendum ſit explicemus, aliqua breuiter nobis prænotanda ſunt. Primum, rerum, aliæ ſunt naturales in ſe, & in modo, quo ſunt: vt equus ex ſemine generatus: aliæ ſunt naturales ex ſe, ſed non ex modo, quo ſunt: vt eſſet equus ex nihilo productus: aliæ tandem ſunt ſupernaturales ex ſe, & ex modo quo fiunt, vt incarnatio diuini Verbi. Secundum, operationes hominis poſſunt eſſe in triplici differentia: aliæ ſunt mere naturales, vt loqui, intelligere, ſentire, quæ ſola naturali

naturali vi ab homine efficiuntur: aliæ mere ſupernaturales, vt hominẽ facere miracula; & verbis a ſacerdote prolatis fieri transſubſtantiationem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti: aliæ partim naturales, partim ſupernaturales, vt hominem credere, & amare Deum ſuper omnia. Tertium, quamuis non ſit hic proprius locus tractandi hanc difficultatem, an naturaliter poſſimus cognoſcere noſtram beatitudinem poſitam eſſe in viſione Dei; tamen eam ad maiorem explicationem propoſitę difficultatis, leuiter attingam: de qua ſunt varij dicendi modi. Aliqui dicunt non poſſe ratione naturali demonſtrari noſtram beatitudinem poſitam eſſe in cognitione Dei: alij putant poſſe cognoſci, non ſolum poſitam eſſe in cognitione Dei, ſed etiam in clara viſione: alij vero mediam ſequuntur ſententiam alterum poſſe demonſtrari, alterum vero nequaquã. His ita expoſitis ſententijs ſequenti capite per varias concluſiones ad propoſitam difficultatem reſpondebo.

Gul. Oca. cõtra quẽ Alph. Hiſpal. 1. S. d. 1. q. 6.

*Varijs concluſionibus reſpondetur ad propoſitam quæſtionem.* *Cap. XVI.*

EXPLICATIS aliorum ſententijs, iactiſque fundamentis, quid nobis circa difficultatem propoſitam ſentiendum eſſe videatur, concluſionibus quibuſdam aperiemus. Prima concluſio: In homine eſt aliqua aptitudo, ſeu capacitas ad clare videndũ Deum. In hac concluſione omnes conueniunt: quia cum homo eleuetur ad naturam diuinam clare videndam, oportet, vt in eo ſit aliqua aptitudo ad hanc viſionem, quæ, exempli gratia, non eſt in bruto: quam concluſionem ſatis confirmant verba illa diui Auguſtini: Poſſe habere fidem, & caritatem naturæ eſt hominum; habere autem gratię eſt fidelium. Idem docet expreſſe D. Thomas in prima ſecundæ. Secunda concluſio, Homo habet naturalem potentiam ad clare videndum Deum. Hæc concluſio remanet explicata ex dictis, & eſt in fauorem ſecundæ ſententiæ, quæ ſic probatur. I. Ex Auguſtino libro primo de prædeſtinatione ſanctorum capite quincto; vbi ait poſſibilitatem habendi gratiam eſſe a natura: at eadem, vt poſtea demonſtrabo, eſt ratio de gratia, & de viſione Dei, ergo ſi ad illam homo habet poſſibilitatem naturalem, etiam ad hanc habebit: &, ſi potentia iſta eſt in natura, proculdubio non erit potentia obedientiæ, quæ ſolum dicitur eſſe reſpectu agentis. Item alibi, Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec perueniat ad te. Quod ſi cor noſtrum eſt inquietum, proculdubio, habebit naturalem inclinationem in Deum: quia, quod eſt in potentia obedientiæ ad aliquid, quieſcit, etiam ſi illud non aſſequatur: vt lapis, qui eſt in centro, ad motum ſurſum verſus. Item, idem ſanctus Pater dixit, Deum tam excellentem feciſſe

Sot. li. 1. de nat. & grat. c. 4. & 4. ſent. d. 49. q. 2.

Lib. 1. de præd. ſan. c. 5.

Quæſtio. 113. ar. 10

Li. 1. cõf. c. 1.

ciſſe naturam humanã, vt ei ſufficere nihil poſſit ad beatitudinẽ, quod ſit minus ipſo. II. Deus ad actus ſupernaturales, vt ſunt credere, amare, & natura diuina frui, concurrit cum homine, tanquam cauſſa adiuuans naturam noſtram, nõ autem tanquam cauſa totalis: ergo in homine eſt potentia naturalis ad iſtos actus producen-
**Rom. 8.** dos: antecedens eſt diui Pauli dicentis, Spiritum ſanctum adiuuare infirmitatẽ noſtram: & nos non eſſe ſufficientes, ſed noſtram ſufficientiam eſſe ex Deo: operatur itaque natura ſimul cum Deo. Conſequentia eſt manifeſta: quia ſi humana facultas eſſet in pura potentia obedientię, non diceretur iuuari, cum id iuuetur, quod ex ſe aliquid poteſt, ſed non totum poteſt. Quare, ſicuti ignis cum auxilio generali Dei dicitur calefacere, ita anima cum auxilio ſpeciali dicetur actus illos producere: cum non ſit differentia in potentia, ſed in concurſu tantũ. III. Credere Deo, diligere Deum, eundemque videre, ſunt actus vitæ, & ab ipſis potentijs eliciti, non ſecus ac actus, quo intelligimus, & amamus aliquid naturaliter: ergo in homine erit potentia naturalis ad hos actus producendos. Conſequentia eſt apertiſſima: antecedens non poteſt
**2.2. q 71. ar. 2. ad 3.** negari a D. Caietano, ſi vult ſibi conſtare: quoniam aliquando docuit, actus habitus infuſi, eſſe eiuſdem ſpeciei cum actibus productis ab habitu non infuſo: vt eſt credere ex fide, & ex opinione. Quare, ſi ratione horum, potentia eſt naturalis, etiam ratione illorum erit naturalis: cum ratione actuum eiuſdem ſpeciei, eadem ſit potentia. IV. Si in homine non eſt naturalis inclinatio ad claram Dei viſionem, ſequetur hanc viſionem non eſſe finem, & perfectionem hominis, quod eſt ab omni ratione alienum: ſequela patet: ſiquidem perfectio & actus idem ſunt: omnis autem actus habet ſuã potentiam ſibi reſpondentem: ergo ſi beatitudo eſt perfectio hominis, erit actus hominis, & conſequenter homo habebit naturalem potentiam ad hunc actum. Confirmatur hæc ratio: Quælibet natura eſt ex ſe inclinata ad ſuam perfectionem vltimam, & completam & ſibi congruentem: at talis perfectio reſpectu hominis eſt viſio diuinæ eſſentiæ; ergo homo habebit naturalem propenſionem ad eam. V. Natura humana eſt inclinata ad illud bonum, quod ſibi cum ratione conuenit: at hominem videre Deum rationi eſt conſentaneum; erit igitur ad tale bonum propenſa. Maior propoſitio eſt manifeſta: quia ideo dicimus hominem eſſe inclinatum ad honeſtum, quia hoc eſt naturæ humanæ congruum: & bene beateq; viuere, vt philoſophi ſcribunt, eſt congruenter naturæ viuere. Minorem autem propoſitionem quis negabit? VI. Gratia, vt multis in locis Angelicus doctor docet, non deſtruit, ſed perficit naturam: perficitur autem id, quod habet aliquam potentiam in ſe ad id, a quo perficitur, cum



N inter

inter perfectibile, & perficiens ſit aliqua proportio: quæ non reperitur, vbi eſt ſola potentia obedientiæ. Et ſane, quis non exiſtimaret magis inclinatam eſſe naturam rationalem ad videndum & intelligendum Deum, quam gratia exempli, aquam ad lauandam animam, & ſolem ad quieſcendum? Quare, ſi iſta dicuntur eſſe in potentia obedientiæ; homo ad beatitudinem quocunque modo conſideratam, aliquam maiorem habebit potentiam. VII. Si voluntati humanæ proponatur tale bonum, poteſt illud cum auxilio Dei appetere, ergo eſt naturaliter inclinata ad tale bonum: alias enim ex ſe non concurreret ad talem actum: quod ſi concurrit, non erit in pura potentia obedientiæ. IIX. Peccatum auertit hominem ab incommutabili bono, & ab ipſa vera, & ſingulari beatitudine: ergo homo erit naturaliter inclinatus ad beatitudinem: alias enim non auerteretur: quia non auertimur, niſi ab eo, ad quod ſumus aliqua ratione conuerſi. IX. Deus, etiam clare viſus, continetur ſub obiecto intellectus, qui pro obiecto adæquato habet omne ens: ergo intellectus humanus habet vim naturalem intelligendi Deum quacunque ratione ſibi propoſitum: conſequentia patet; quia, ſi non haberet hanc vim, Deus eſſet extra obiectum intellectus, ac proinde nunquam humana mens poſſet eleuari ad ipſum intelligendum: ſicuti oculus corporeus non poteſt eleuari ad videndam ea, quæ

Ambroſ. lib. 1. de voca. c. 1.



quæ mole carent. X. Probabitur denique hæc doctrina ex ijs, quæ dicemus in concluſione tertia. Tertia concluſio: Deus clare viſus eſt finis naturalis hominis. Eſt hæc concluſio contra eos, qui concedunt hominem habere potentiam naturalem, ad videndum Deum, negant tamen Deum clare viſum eſſe eius finem naturalem. Neque hoc loco loquimur de fine quantum ad conſecutionem, quia certum eſt hominem viribus naturæ non poſſe hunc finem conſequi, ſed ſermo eſt de fine, vt eſt terminus, & perfectio humanæ mentis; ita vt homo in nulla alia re naturaliter conquieſcat, niſi in clara cognitione Dei. Hanc concluſionem ſic breuiter demonſtro. I. Ex illis diui Auguſtini verbis, quibus ait, Feciſti nos ad te, ecce naturalem hominis terminum, & inquietum eſt cor noſtrum donec perueniat ad te, tanquam ad naturalem finem, ad quem ſumus facti. Huc pertinent etiam illa Dauidis verba: Satiabor cum apparuerit gloria tua, id eſt, nunquam conquieſcam niſi in te: id autem in quo homo conquieſcit, eſt eius naturalis finis. II. Hanc concluſionem probant omnes rationes allatæ pro ſecunda: quia ſi homo eſt naturaliter inclinatus ad videndum Deum; Dei viſio erit terminus naturalis huius inclinationis. Solent aliqui hic ita reſpondere, finem naturalem eſſe eum, quem homo naturaliter attingit: ſed hæc euaſio eſt extra rem. Nam, in primis, nos non loquimur de

Lib. 1. cõfeſ. c. 1.

Pſal. 16.

de fine quantum ad conſecutionem, ſed de fine vt eſt vltimus terminus, & vltima perfectio. Deinde, id quod homo naturaliter conſequitur, non poteſt appellari finis hominis: quia illud eſt finis, quod eſt ſummum bonum, & id in quo res conquieſcit, & nihil amplius deſiderat, cuiuſmodi eſt ſola Dei viſio: ergo hæc ſola eſt appellanda finis: cum vnius rei vnus ſit tantum finis. III. Quælibet res naturalis habet omnes cauſſas naturales: ergo cum homo ſit ens naturale, habebit omnes ſuas cauſſas naturales, & conſequenter aliquem naturalem finem. Hic autem finis, aut eſt clara Dei viſio, & ſic habeo intentum: aut eſt aliquid aliud, & ponamus exempli gratia eſſe ipſam virtutem: tunc, ſic arguo: Aut homo adepto hoc fine quieſcit, aut non: ſi in iſto quieſcit, nullus alius ei aſſignandus eſt finis, quod eſt falſum: ſi non quieſcit, ergo nullum alium naturalem habebit finem, niſi claram viſionem Dei. Huic argumento nõ video qua ratione reſponderi poſſit: modo intelligatur, quid nomine finis ſignificetur, id ſcilicet, quo referuntur omnia, & ipſum non refertur alio. IV. Et eſt argumentum ex philoſophia depromptum; quando hęc tria, terminus, motus ad terminum, & inclinatio ad eundem terminum ita ſe habent, vt vnum ſit naturale, reliqua etiam ſunt naturalia: vt exempli gratia, ſi inclinatio lapidis ad centrum eſt naturalis, motus ad centrum erit naturalis,

Ariſtot. 2. Phyſ. 8. Met.





& centrum erit naturalis terminus: at inclinatio ad videndum Deum, vt eſt probatum, eſt naturalis, ergo cetera erunt naturalia, alias inter iſta non daretur debita, quæ dari debet, proportio. Et quod motus ſit naturalis, liquet ex eo, quod omnes homines appetunt beatitudinem: id autem, quod omnibus conuenit, ex Ariſtotele, naturale eſt. Reſpondent hoc loco, qui contra ſentiunt, dicentes, duobus modis poſſe appeti beatitudinem: vno modo in confuſo, non appetendo hoc, vel illud; & hoc modo omnes naturaliter beatitudinem appetunt: altero modo determinate, ponendo beatitudinem in re certa, & hoc modo non omnes appetunt beatitudinem, quia neſciunt in quo ſita ſit. Verum hæc reſponſio non videtur vim argumenti euacuare. Nam, homo naturaliter appetit id, quod eſt ipſa beatitudo, & ipſum ſummum bonum, quod eſt ſufficiens ſatiare appetitum, & non eſt opus, vt illud in quo ſita eſt ſumma beatitudo, determinate ſciat, aut nominet. Illud autem quod appetitum explet, nihil aliud eſt, quam ipſa Dei viſio. Quod etiam terminus debeat dici naturalis, patet: quia eſt perfectio & actus potentiæ naturalis. V. Id, ſine quo natura hominis non poteſt eſſe perfecta, vt talis natura eſt, eſt ei naturale, & eſt perfectio naturalis: ſed clara Dei viſio eſt huiuſmodi: erit igitur homini naturalis. Quarta concluſio: Vt homo habet naturalem poten-

1. Eth. c. 1. 2. Phyſ. lib. 3. de cœl.

tiam ad videndum Deum; ita etiam ad recipiendos habitus diuinitus infuſos & ad producendos alios actus ſupernaturales; vt ſunt credere, ſperare, & amare Deum ſuper omnia. Eſt hæc concluſio contra doctrinam Scoti aſſerentis animam ad hos actus eſſe in potentia neutra. Nam quidquid ſit de iſta potentia neutra, ſicut etiam de obedientiali, quas ambas poſſet aliquis cum ratione non admittere, ſicuti anima ad amorem, quo amabit Deum in patria, in quo ſita eſt ſecundum Scotum formalis beatitudo, habet naturalem potentiam; ita etiam ad amorem in via, cum hi duo amores ſint eiuſdem rationis: ſiquidem caritas, vt
1.Cor.13. ait Apoſtolus, non excidit; ergo. Quincta concluſio: Homo appetitu, ſeu deſiderio naturali appetit claram viſionem Dei, & dona ſupernaturalia. Hæc concluſio neceſſario colligitur ex ſuperioribus: quia, ſi habet potentiam naturalem ad iſta, habebit etiam appetitum naturalem, cum vnum neceſſario ſequatur alterum.
Lib.1.cóſeſ.c.1. Hanc veritatem confirmant illa diui Auguſtini verba, Et inquietum eſt cor noſtrum donec
Pſal.26. perueniat ad te. Et illud regij prophetæ, Satiabor cum apparuerit gloria tua. Eſt etiam expreſſa doctrina diui Thomæ in prima parte quæſtione duodecima articulo primo: vbi hac vnica efficaciſſima ratione probat Deum a nobis clare videri poſſe, quia alias naturale deſiderium eſſet fruſtra. Idem ex eodem colligitur



tur libro tertio contra Gentes, & ſuper Boetio quæſtione vltima, & quæſtione decima quarta de veritate articulo decimo. Neque hoc loco aliquid contrarium affirmat, vt ex articuli explicatione ſupra a nobis allata, ſatis aperte conſtat: quia hoc loco ſermonem habet de actu elicito, & de apprehenſione per intellectum, ratione cuius Deus eſt finis ſupernaturalis, vt mox dicemus. Videant ergo aliqui Thomiſtæ quid ſecundum ſanctum Doctorem ſentire debeant. Sexta concluſio: Deus clare viſus, ratione appetitus eliciti, eſt finis hominis ſupernaturalis. Hoc eſt, in hac vita non poſſumus appetitu elicito deſiderare clare videre Deum, nec in patria videre, niſi per auxilium ſupernaturale, nimirum per lumen fidei, & gloriæ. Et hac ratione intelligendus eſt diuus Thomas in hoc articulo. Hæc concluſio, vt ſupra non ſemel diximus, eſt fide tenenda. Quoniam ſi non poteſt naturaliter cognoſci Deum ſub hac ratione eſſe finem hominis, vt patet ex ſcriptura, non poterit naturaliter appeti. Quare, quantum ad actualem appetitionem, & conſecutionem Deus eſt finis ſupernaturalis hominis: quãtum vero ad potentiam & inclinationem naturæ, eſt naturalis finis. Septima concluſio: Actus eliciti, vt ſunt credere, amare, & clare videre Deum, partim ſunt naturales, partim ſupernaturales, ſed magis ſupernaturales. Sunt naturales, quia ad eos natura humana eſt naturaliter

Cap.50. & 51. Ad 1.& 2. L.1.c.14 1.Cor.2.

raliter propenſa, ad eoſq; producendos effectiue concurrit: ſunt ſupernaturales, quoniam non ſine auxilio ſupernaturali eos producit: ſunt magis ſupernaturales; quia Deus & adiuuando potentiam humanam, & reuelando magis quam homo ad eos concurrit, cum ſint actus quidam ſuperioris ordinis. Octaua concluſio: Homo per vires naturæ poteſt appetere appetitu elicito videre Deum, vt eſt prima cauſſa, & primum principium. Eſt doctrina diui Thomæ quibuſdam in locis ſupra citatis: & in prima ſecundæ quæſtione tertia articulo octauo. Ratio huius concluſionis eſt manifeſta: quia cognita exiſtentia alicuius cauſæ deſideramus cognoſcere quidditatem, & attributa illius: at Deum eſſe, naturaliter cognoſcitur; ergo naturaliter appetere poſſumus cognitionem quorundam attributorum Dei. Itaque vt Deus cognoſcitur ita appeti poteſt: & quia imperfecte cognoſcitur, ideo etiam imperfecte appetitur. At vero Deus, vt nobis à fide proponitur, non poteſt naturaliter appeti, vt diximus. Nona concluſio: Poteſt naturaliter demonſtrari finem hominis non ſolum non eſſe in creaturis, ſed etiam eſſe in cognitione Dei, vt eſt primum ens, & prima cauſſa. Eſt communis doctrina, de qua legendus eſt Ægidius libro de influentia Dei in beatos, & diuus Thomas libro tertio contra Gentes, Auguſtinus libro vndecimo de ciuitate. & octauo de Trinitate, Theodoretus libro



libro octauo de curandis græcanicis affectionibus. Ego autem in probatione huius veritatis immorari nolo; quando eam experientia ipſa ſatis aperte demonſtrat, cum in nullius rei poſſeſſione homo acquieſcat. Ad quod accedit, quod, vel ipſe homo ſibi ipſi, vel aliqua alia creatura, quæ eſſet homine inferior, eſſet eius finis, quod eſſe non poteſt, cum debeat habere pro fine aliquid ipſo præſtantius: ni velis dicere, eius finem eſſe intelligentiarum cognitionem, de quibus poteſt eſſe eadem difficultas, quæ eſt de homine. Quod ſi illarum finis eſt Dei contemplatio, idem erit hominis finis, cum etiam homo ſit intelligentiæ particeps, vt Angeli ſunt. Adde, quod omnes meliores philoſophi id docuiſſe videntur, vt patet de omnibus Platonicis, & Ariſtotelicis, & ſpeciatim de Alexandro, & Auerroe. Decima concluſio: Non poteſt naturaliter cognoſci felicitatem hominis poſitam eſſe in tali cognitione Dei, quæ ſit clara viſio eſſentiæ ipſius. Eſt concluſio manifeſta ex dictis, & ex probatione minoris propoſitionis diui Thomæ hoc primo articulo ex ſcriptura deſumpta. Vndecima concluſio: Si homo, vel Angelus cognoſceret perfecte ſuam naturam, cognoſceret etiam finem ſuum vltimum poſitum eſſe in clara viſione Dei. Hæc concluſio euidenter demonſtratur ex his, quæ diximus in probatione ſecundæ, & tertiæ concluſionis. Quia, ſi homo habet naturalem potentiam,

Auer. 1. Met.

tentiam, clare videndi Deum, & Deus clare viſus eſt finis naturalis hominis, vt explicuimus, profecto, ſi homo ſe perfecte cognoſceret, & omnes ſuas cauſſas intelligeret, videret Deum clare viſum eſſe ſuum finem. Et per has concluſiones ſatis propoſitæ difficultati factum eſſe arbitror. Reſtat, vt rationes, quæ noſtram ſententiam labefactare poſſent, afferamus, & diſſoluamus.

*Refelluntur varia argumenta pugnantia contra ea, quæ proximo capite decreta ſunt.*
*Cap. XVII.*

VT quæ ſupra docuimus adhuc confirmemus magis, quas qui contra ſentiunt pro ſe rationes habent, eas diſſoluere neceſſe eſt. Afferunt igitur, aduerſarij, pro ſua ſententia, hás rationes. Prima ratio, cum media ad aliquem finē conſequendum ſunt ſupernaturalia, etiā finis eſt ſupernaturalis: at media ad clare videndum Deum, vt eſt fide tenēdum, ſunt ſupernaturalia, nimirum fides, ſpes, caritas, & actus ſupernaturales; ergo finis eſt ſupernaturalis. Huius argumentationis facilis eſt ſolutio: quia ſolum probat finem eſſe ſupernaturalem, quantū ad conſecutionem, quod nos fatemur. Verū, remanet hic ſcrupulus quidam. Nam, ſi finis & potentia ſunt naturalia, cur etiam media, & actus ad finē, non dicuntur, & ſunt, naturalia? Adde, quod videretur eſſe defectus quidam in natura, quæ nō poſſet



poſſet aſſequi per media naturalia finem ſibi naturalē, ad quem naturalem habet inclinationē: hic ſcrupulus, hoc modo remoueri poteſt. Primum, hoc non eſt nouū in natura, in qua multa habent appetitum ad aliquem finem, quem tamen ſine alieno auxilio aſſequi non queunt. Vt ecce, multa ſemina poſſunt producere fructus, ſed non ſine cultura humana: lapis poteſt deſcēdere deorſum, ſed ex ſe nō poteſt remouere impedimentū. Homines habent appetitum ad multa etiā naturalia, quæ ſine alieno auxilio non aſſequuntur. Pari ratione, licet homo habeat appetitum clare videndi Deum: tamen, non implicat, quod ex ſe id conſequi non poſſit, modo aliqua alia via poſſit: & quoniam id poteſt per auxiliū ſupernaturale, ideo media dicuntur ſupernaturalia. Deinde, vt etiam ſupra ſcripſimus, cū auxiliū Dei præſto ſit, & Deus ſit amicus noſter, affirmare licet, hominē poſſe beatitudinem conſequi: quia, quod per amicos poſſumus, per nos ipſos poſſumus. Neq; hoc in natura humana imperfectionem aliquam arguit, ſed potius perfectionem, & excellentiam. Siquidem eſſe aptum ad eam perfectionem, ad quam obtinendā opus ſit auxilio diuino, eſt maximum perfectionis argumentū. Secunda ratio, ſi homo haberet naturalem potentiam ad clare videndum Deum, ſequeretur, quod is, qui perfecte eſſentiā hominis cognoſceret, cognoſceret etiam Deum clare viſum eſſe ſuū finem: ſed hominis eſſentia poteſt naturaliter

Ariſt. li. 1 Polit.

Tho. 2. q. 109. ar. 4. ad 2.

naturaliter cognoſci: ergo naturaliter etiam cognoſci poterit eius finem eſſe Deũ clare viſum, & ita non erit opus doctrina reuelata; quod eſt contra ea, quæ ſupra docuimus. Huius rationis, maiore propoſitione conceſſa, negatur minor: quoniam natura animæ noſtræ nõ poteſt perfecte a nobis in hac vita cognoſci: nec mirum eſt, cum ſit ſubſtantia ſpiritualis, & magnã cum intelligẽtijs affinitatem habeat: quo fit, vt viribus naturæ, qui ſit vltimus finis hominis non cognoſcatur, ac proinde opus eſt reuelatione. Tertia ratio, potentia naturalis debet redigi ad actum per vires naturales; alias illa potentia eſſet vana: ſed homo per vires naturæ non conſequitur claram viſionem Dei, ergo non habet potentiã naturalem ad videndum Deum. Reſpondetur, illa potentia dicitur vana, quæ nullo modo poteſt redigi ad actum: at potentia iſta, vt diximus in reſponſione ad primum, poteſt redigi ad actum per ſupernaturale Dei auxiliũ, quod non eſt minus paratum, quam ſi naturaliter daretur. Deinde, redigitur ad actum aliquo modo, etiam per vires naturæ, quia humanæ vires concurrunt ad producẽdos actus, quibus finis acquiritur. Quare, non tenet conſequentia, homo habet appetitum naturalem ad claram viſionem Dei, ergo eam naturaliter acquirit. Sicuti non valet, anima naturaliter appetit iterum vniri corpori; ergo per vires naturæ vniri poteſt. Quarta ratio,
Lib. 2. de cœl. t. 50. Si eſſet, inquit Ariſtoteles, naturale ſtellis moueri



ueri motu progreſſiuo, natura tribuiſſet eis inſtrumenta ad iſtum motum: ſed non tribuit, quia, vt cernimus, ſunt ſphęricæ: ergo non mouentur motu progreſſiuo. Eadem argumentandi ratione poſſumus nos probare hominem non habere potẽtiam naturalem ad clare videndum Deum, quia Deus dediſſet ei vires, per quas hunc finem poſſet attingere. Hoc argumentum ſoluitur ex dictis: quia non eſt neceſſe vt omnia redigantur ad actum ex ſe: & in natura multæ potentiæ reducuntur ad actum accedente humana induſtria, vt ſupra diximus. Deinde, dedit Deus vires homini, quibus aſſequeretur hunc finem, intellectum nimirum, & voluntatem, quæ potentiæ effectiue, vt docuimus, ad finis conſecutionem concurrunt. Quincta ratio, quidquid eſt poſſibile ex parte potentiæ paſſiuæ, eſt etiam poſſibile ex parte actiuæ, vt eſt apud omnes philoſophos notum: ergo ſi in homine eſt potentia paſſiua ad clare videndum Deum erit etiam in eodem potẽtia actiua, quod eſt falſum. Hæc etiam ratio ſoluitur ex dictis: quia datur potentia actiua ex parte auxilij diuini, & ex parte hominis, qui per ſuas facultates actiue concurrit. Deinde, cum finis, quantum ad conſecutionem, ſit ſupernaturalis, non eſt mirum, ſi per potentiam naturalem nõ attingitur. Sexta ratio, Si Deus de facto non tribueret homini media ad conſequendum hunc finem, qui eſt clara viſio eſſentiæ ſuę, non faceret ei iniuriã, quam

quam faceret, ſi homo haberet potentiam naturalem ad iſtum finem; ergo dicendũ eſt non habere potentiam naturalem ad hunc finem. Sunt hic qui dicant, Deum ſine vlla iniuria poſſe negare homini media ad conſequendum hunc finem, & finem ipſum: at vero nos, poſita prouidentia & ordinatione diuina, dicimus Deum non poſſe negare: quia inferret violentiam naturæ. Sicuti faceret iniuriam homini ex hac vita recedenti, ſi ei non daret vitam æternam. Septima ratio: videtur inconueniens hominem habere talem potentiam naturalem, & tamen quamplurimos homines non aſſequi beatitudinem, & in pluribus talem potentiam fruſtrari, & ſpeciatim in paruulis recedentibus ex hac vita ſine baptiſmo: qui poſt hanc vitam triſtabuntur, cum videbunt ſe ſuo fine carere: in quibus tamen nulla triſtitia eſt ponenda, cum peccato careant actuali. Reſpondetur, non eſſe neceſſarium, vt in omnibus talis potentia redigatur ad actum: cum debeat redigi per liberum arbitrium, quod poteſt a fine, & ab actu deficere. Satis eſt ergo, vt redigatur in multis. Quod ad paruulos attinet, cum hic appetitus ſit ſolum naturalis, & non elicitus, vt dictum eſt, non erit in illis vlla ob hanc cauſſam triſtitia. Deinde, eſto quod hanc beatitudinem actu appeterent: non tamen triſtarentur; quia cognoſcerent ſe iuſta Dei voluntate tali beatitudine ob peccatum originis priuari. Denique, contra ea quæ docuimus occurrit

Guil. Par. li. cur Deus homo.



currit hæc dubitatio. Diximus Deũ clare viſum eſſe finem hominis naturalem, quod videtur eſſe contrarium diuinis literis. Nam Paulus, in priore epiſtola ad Corinthios capite ſecundo, loquens de hominis fine, ait, Occulus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Dominus diligentibus ſe: ac ſi dixiſſet, id Deum hominibus præparaſſe, quod omni ex parte naturam humanam ſuperat. Huc etiam, accedit, quod clara viſio promittitur fidelibus tanquã præmium ex gratia præparatum: & propterea aliquando Paulus dixit, Gratia Dei vita æterna: & regius propheta, gratiam & gloriam dabit dominus. Quare Deus clare viſus non poterit dici naturalis hominis finis. Verum huiuſmodi auctoritates noſtram doctrinam non euertunt: nam, quod attinet ad primum locum Pauli, ſolum probat nos non poſſe naturaliter cognoſcere id, in quo ſita eſt noſtra beatitudo; quod etiam nos concedimus: verum cum id adepti ſumus, in eo naturaliter quieſcimus. Aliæ vero auctoritates ſolum probant, nos ex priuato Dei auxilio ad talem finem peruenire: quo fit, vt ratione conſecutionis, quod etiam nos fatemur, dicatur ſupernaturalis. Et quoniam, ſi quæ ſunt alia argumenta, ex ijs quæ diximus ſolui facillime poſſunt, huic difficultati finem faciemus: ſi illud prius adnotauerimus, eos nimis audacter locutos fuiſſe, qui ſententiam, quam nos ſequimur, Theologo

Rom. 6.
Pſal. 83.

logo indignam eſſe exiſtimarunt; cum & rationibus & auctoritatibus firmiſſimis innitatur. Atque hactenus de ſecundo libro: in quo breuiter, vt iſtituti noſtri ratio poſtulabat, doctrinam reuelatam dari potuiſſe, & re ipſa datã eſſe, eiuſque congruentiam, vtilitatem, neceſſitatem, ac certitudinem, & quam nos ad eam recipiendam poteſtatem habeamus, demonſtrauimus. Sequitur modo, vt tertio libro & de ea doctrina quæ ex iſta ortum habuit, diſſeramus.

*Libri Secundi Finis.*

# INTRODVCTIONIS In Sacram Theologiam, *Liber Tertius:*

In quo de forma, & materia ſacræ Theologiæ agitur.

*Proponuntur ea, de quibus diſputandum eſt; & diui Thomæ doctrina, quæ habetur in articulo ſecundo explicatur. Cap. I.*

DEMONSTRAVIMVS in ſecundo noſtrarum inſtitutionum libro, quæ ſint prima christianæ religionis fundamenta, eaq; firma eſſe docuimus; dum de doctrinæ reuelatæ exiſtentia, conuenientia, & neceſſitate, breuis tamen, quam res tanta di... debuiſſet, ſcripſimus. Quo etiam in libro al... ...rius doctrinæ, qua illa reuelata explicatur, de-

fenditur, & dilatatur neceſſitatem oſtendimus: quæ, vt ſæpe diximus, ex concluſionibus a rebus per reuelationem acceptis, ratiocinatione ductis, conficitur; & Theologia ſcholaſtica nominatur: cuius naturam, diui Thomæ, & nobis propoſitum ordinem ſequentes nunc explicaturi ſumus: qua de re hac methodo a nobis diſputabitur. Primum duas eius potiſſimas & intrinſecas cauſſas, formam & materiam explanabimus: deinde de natura ac vi principiorum & concluſionum ex quibus conflatur, diſputationem inſtituemus: poſtremo de medijs, ſiue locis, quibus hæc facultas ad ea, quæ tractat comprobanda, vtitur; & ſpeciatim de loco auctoritatis ſacræ ſcripturæ, breuiter pro noſtro inſtituto agemus. Primum igitur aggredientes, antequam ad diſputationes accedamus, paucis ſancti Doctoris ſententiam, quæ in ſecundo articulo continetur, explanabo. Cum ergo in primo articulo diuus Thomas doctrinam aliquam reuelatam neceſſariã eſſe demonſtraſſet, in ſecundo ad explicandam naturam noſtræ Theologiæ, quæ ex illa colligitur, quærit, quæ ſit eius forma, hanc queſtionem proponendo, An ſacra doctrina ſit ſcientia: in qua quæſtione duo termini animaduertendi ſunt, doctrina, & ſcientia. Nomine ſacræ doctrinæ, hoc loco, deſignatur ea, quæ ex principijs reuelatis colligitur, ſiue habitus concluſionum, de quo quæritur, an ſcientiæ nomen mereatur. Nomine



ne vero ſcientiæ, intelligitur illa doctrina, quæ habetur per demonſtrationem, de aliqua re per ſuas cauſſas: vel certe per ſcientiam intelligitur cognitio quædam certa diſtincta a fide, & opinione. Quæ autem ſit ſcientiæ natura, fuſe poſtea a nobis explicabitur. Sed dubitaret hoc loco quiſpiam, quo nam pacto ſanctus Doctor in præſenti articulo quærit formam Theologię, dum proponit quæſtionem, an ſit ſcientia? Hæc dubitatio ex ijs, quæ ſecundo capite primi libri ſcripſimus, facile explicatur: quia, vt ibi ex ſententia Auerrois docuimus, ſuperiora accidentium prædicata, eorum forma eſſe dicuntur. Cum ergo ſacra doctrina ſit quædam qualitas & habitus cognitionis, dum quæritur, an ei hoc prædicatum, ſcientia, conueniat, de eius forma inquiritur. In hoc articulo explicando tria Angelicus doctor præſtat: primum ſimpliciter vna concluſione ad quæſtionem propoſitam reſpondet: deinde propoſita & declarata quadã ſcientiæ diſtinctione, in ſubalternantem, & ſubalternatam, concluſionem allatam exponit, & probat: poſtremo docet qua ratione ſua cognoſcat principia. Diſtinctio, eſt hæc: ſcientia duplex eſt, altera ſubalternans, & eſt illa cuius principia ſunt per ſe nota lumine naturali: cuiuſmodi eſt Geometria, in qua principia, quibus hæc doctrina innititur, naturaliter cognoſcuntur: altera ſubalternata, quæ non habet principia quæ ſint per ſe nota, & ſibi nota, ſed cognoſcuntur per

ſcientiam ſuperiorem cui ſubijcitur: vt eſt Perſpectiua, cuius principia demonſtrantur in Geometria. Hac poſita diſtinctione, ex hoc articulo hæ colliguntur concluſiones. Prima concluſio, Sacra doctrina eſt ſcientia. Hæc concluſio ſimpliciter poſita, non probatur a diuo Thoma in corpore articuli, ſed probari poteſt ex argumento, ſed contra, ab Auguſtini auctoritate ſumpto. Ait enim Auguſtinus, hac doctrina gigni, nutriri, defendi, & roborari fidem: quæ profecto munera præſtare non poſſet, niſi eſſet ſcientia. Secunda concluſio, Sacra doctrina eſt ſcientia ſubalternata ſcientiæ Dei & beatorum. Quia illa doctrina eſt ſubalternata ſcientiæ Dei & beatorum, quæ procedit ex principijs notis in eorum ſcientia: at ſacra doctrina procedit ex ijs, quæ cognita ſunt a Theologia Dei & beatorum, igitur. Tertia concluſio, Scientia procedit ex principijs notis, vel in eadem ſciētia, vel in ſuperiore: vt patet de Muſica, quę procedit ex principijs notis in Arithmetica. Quarta concluſio, Particularia in hac doctrina non conſiderantur per ſe, ſed vt exempla vitæ, & vt media per quæ principia reuelantur.

Lib. 14. de Trin. c. 1.

### *Docetur quæ ſint ad ſcientiam conſtituendam neceſſaria, & quomodo ſcientia, fides, & opinio differant. Cap. II.*

AD quamlibet humanam ſcientiam conficiendam quattuor neceſſaria eſſe vidētur: res



res quæ cognoſcitur, modus ſiue medium quo cognoſcitur, actus ipſe cognoſcendi, & denique is, qui cognoſcit, ſeu ſubiectum cognoſcens. Vt autem hęc omnia aliquam conſtituant ſcientiam, duo requirunt: primum, claritatem, ſeu euidentiam: deinde, neceſſitatem; ſed vario & diuerſo modo. Claritas requiritur ex parte actus cognoſcendi: quia cognitio per ſcientiam debet eſſe clara, & manifeſta, ita vt intellectus nulla obſcuritate offundatur, ſed in quadam clara luce id, quod cognoſcit, videat. Neceſſitas vero requiritur ex parte aliorum trium, videlicet ex parte obiecti, medij, & ſubiecti. Neceſſitas ex parte obiecti in hoc ſita eſt, vt res quæ ſcitur, non poſſit aliter ſe habere, atque ſcitur: vt cum res eſt neceſſaria: aut ſi eſt contingens, ita ſcitur, vt eſt. Nam, ſi aliter res ſeſe habere poſſet, daretur ſcientia de eo, quod non eſt, quod fieri nequit. Neceſſitas ex parte modi, vel medij, hæc eſt; vt modus ſit talis, vt ſub eo non poſſit eſſe falſum, ſed ſemper inclinet ad verū. Hic cognoſcendi modus reperitur in cognitione principiorum, quæ per ſeipſa videntur; in quorum cognitione intellectus decipi non poteſt: atque etiam in perfecta demonſtratione, cum rem aliquam per ſuam propriam cauſſam cognoſcimus. Idem denique contingit in inductione neceſſaria, & conuenienter facta, qua aliquid euidenter probatur. Neceſſitas ex parte ſubiecti reperitur in ſcientia, quando is qui

 ſcit,

ſcit, ita ſcit, vt exiſtimet rem non aliter ſeſe habere poſſe, atque ipſe ſcit. Nam, vt philoſophus ſcripſit, oportet ſcientem ſimpliciter, a credulitate impermutabilem eſſe. Itaque, tunc proprie ſcimus, cum clare cognoſcimus aliquid ſiue neceſſarium, ſiue contingens, quod tamen cum ſcitur, neceſſe eſt ita ſe habere, vt ſcitur, & qui ſcit exiſtimat ita ſe habere, & cognoſcitur per modum, qui fallere non poteſt. Neq; hoc loco ſolū de perfecta ſcientia demōſtratiua verba facimus, ſed de ſciētia vniuerſe ſumpta, quæ tamē ſit proprie, & vere ſcientia, a fide, & ab opinione diſtincta. Ex defectu autem alicuius conditionis, quæ ad ſcientiam eo modo, quem diximus conficiendam requiruntur, alij cognitionis habitus emergunt: vt ſunt fides catholica, fides humana, & opinio. Nam, catholica fides, ex parte actus cognoſcendi deficit a ſcientia, quia eſt notitia obſcura; eſt enim vt ait Apoſtolus, argumentum non apparentium: per quam videmus tanquam per ſpeculum in ænigmate: habet tamen omnes neceſſitatis partes. In primis, ex parte rerum eſt neceſſaria, quia, quæ ſub fidem diuinam cadunt, ſiue ſint neceſſaria, ſiue contingentia, ita omnino ſe habent, vt creduntur. Deinde, eſt etiam neceſſaria ex parte medij, quia pro medio habet auctoritatem, & reuelationem diuinam, cui non poteſt ſubeſſe falſum. Deniq; habet neceſſitatem ex parte ſubiecti credentis; quoniam qui per hanc fidem credit, exiſtimat certiſſime non poſſe rem aliter ſeſe habere, ac ipſe credit. Quæ neceſſitas tanta eſt, vt putem longe maiorem eſſe, quam ſit ea neceſſitas, quæ reperitur in eo, qui per potiſſimam demonſtrationem aliquid nouit: quod aliquibus fortaſſe paradoxum videri poſſet; ſed arbitror eſſe veriſſimum, vt alio loco poſtea demonſtrabitur. Humana vero fides in tribus a vera ſcientia deficit. Primum, ratione actus cognoſcendi: quia cognitio per fidem humanam, quæ eſt, cum aliquid credimus, quia ita homines dicunt, eſt obſcura. Deinde, caret neceſſitate ex parte obiecti; cum ea quæ credimus poſſint aliter ſe habere, atque nos credimus. Poſtremo, caret neceſſitate medij: quia ſcimus per medium, & modum cui poteſt ſubeſſe falſum; cum humana auctoritas non ſit infallibilis. Habet tamen, ex ſe, neceſſitatem ex parte cognoſcentis: quoniā is qui credit, certus eſt rem ita ſeſe habere, nec aliter ſe habere poſſe, quam credit. Vt ecce, Ego credo reperiri Indos, & exiſtimo rem non poſſe aliter eſſe, ac ego credo: tamen ratione modi cognoſcendi decipi poſſum. Siquidem id credo, quia homines ita dicunt, qui falli, aut certe me fallere poſſunt. At vero opinio, & claritate, & omni neceſſitate caret. Nam, qui opinatur, non videt rem clare, ſed obſcure: & ſcit per rationem probabilem, cui poteſt ſubeſſe falſum: & res quam cognoſcit, poteſt aliter ſeſe habere, ac ipſe cognoſcit: & demum exiſtimat aliter eam ſe

Arist. 1. poſt.c.2.

Heb. 11.

Lib. 4. cap. 11.

ſe habere poſſe, aut ſaltem non exiſtimat, non poſſe aliter ſe habere: & hoc eſt opinioni intrinſecum, in quo a fide, & a ſcientia diſtinguitur.
2.2.q.1. ar.4. Ob id diuus Thomas aliquando docuit, de eadem re non poſſe eſſe ſimul opinionem, & ſcientiam, ob repugnantiam ex parte ſubiecti, vel cognoſcentis. Verum, hoc loco diligenrer animaduertendum eſt, cum dicimus fidem humanam, & opinionem non eſſe neceſſariam ex parte obiecti, vel medij id non eſt ita accipiendum, vt nunquam poſſint ex parte iſtorum eſſe neceſſaria; quia id verum non eſt. Sæpe enim opinamur, aut humana fide credimns aliquid, quod ex ſe eſt neceſſarium, & aliquando per medium neceſſarium; cuius tamen neceſſitas non percipitur. Vt cum cognoſcimus aliquid per rationem neceſſariam, ſed vim conſequentiæ non percipimus: quia, tunc generatur opinio. Volumus ergo dicere, opinionem, & fidem ex ſe, non requirere neceſſitatem medij, vel obiecti. In ſcientia tamen, & diuina fide vtrunque requiritur. Ex his inferre licet, opinionem intrinſece differre ab alijs habitibus ex parte ſubiecti: quia per alios tres habitus rem non aliter ſe habere exiſtimamus. Fides humana differt a ſcientia, & fide diuina ex parte modi, & obiecti: quia ſub eius modo, ſeu medio poteſt ſubeſſe falſum, & obiectum aliter ſe habere poteſt. Denique, fides diuina a ſcientia ſolum in claritate diſcrepat. Explicata itaque ſcientiæ, fidei



fidei humanæ & diuinæ, atque opinionis natura, intelligi poterunt omnes quęſtiones, quæ ſuper hoc articulo examinandæ nobis ſunt. Verum, cum Theologia ſit habitus concluſionum, nunc exponendum eſt circa quas concluſiones verſetur, vt intelligi poſſit, an de illis habeatur ſcientia. Eſt igitur animaduertendum concluſiones Theologicas eſſe in duplici differentia: aliæ ſunt, quę certe & manifeſte ex principijs reuelatis, vel immediate, vel mediate inferuntur. Illæ inferuntur immediate, quæ primo ex principijs huius ſcientiæ deducuntur: illæ mediate, quæ inferuntur ex illis, quæ primo deductę fuerunt. Vt ex hoc, quod Chriſtus erat homo, infertur immediate habuiſſe voluntatem humanam, & ex hac poſtea colligitur, fuiſſe liberi arbitrij. Aliæ ſunt, quæ non neceſſario, neque manifeſte inferuntur: quarum non habetur niſi opinio. Vt, ſi ex ſcripturis probares beatitudinem præcipue poſitam eſſe in voluntate, vel in intellectu. Nam, ſicut in alijs ſcientijs aliquando ex principijs aliquid neceſſario concluditur, aliquando vero ſolum probabiliter, idem accidit in hac ſcientia: hæc enim eſt humanæ naturæ ratio, vt non poſſit omnia, vt ſunt, percipere, ſed alia clare, alia obſcure videt. Id, ſi rudiores intelligerent, non mirarentur, dũ inter Theologos de rebus diuinis varias opiniones eſſe animaduertunt. Rurſus, earum concluſionum, quę manifeſte & neceſſario ex principijs inferuntur, aliæ

aliæ ſunt iam terminatæ ab Eccleſia, vt certa fide teneantur: vt, gratia exempli, in Chriſto fuiſſe duas voluntates, nos non poſſe eſſe certos de gratia, ſacramenta eſſe cauſſas gratiæ, aliæ nondum ſunt terminatæ. Et quamuis Theologia circa omnia iſta concluſionum genera verſetur: tamen, proprie circa concluſiones neceſſarias, & nondum ab Eccleſia definitas eſt occupata: & de his eſt noſtra diſputatio intelligenda. An nimirum cognitio iſtarum concluſionum ſit ſcientia nec ne. Nec enim placet, quod aliquando Dominicus Soto ſcripſit, Theologiam proprie verſari ſolum circa concluſiones probabiles: ex qua ſententia neceſſario ſequeretur, eſſe opinionem quandam: quod falſum eſſe ſequenti capite demonſtrabitur. His hunc in modum notatis, ad quæſtionis propoſitæ reſolutionem accedamus.

Li. 1. poſt. q. 2.

## *An Theologia ſit appellanda fides. Cap. III.*

QVID in hoc titulo quæratur, ex ijs, quæ proximo capite explicata ſunt, eſt omnino perſpicuum. Et cum fides duplex ſit, altera humana, altera diuina, de hac poſteriore propoſita quæſtio priuate intelligenda eſt. Quod autem Theologia ſit fides diuina, his rationibus perſuaderi poteſt. Primum, Theologica concluſio creditur; igitur theologia erit fides: conſequen-



ſequentia eſt nota; antecedens probatur: quia concluſio ſequitur naturam principiorum: ſed hæc creduntur fide diuina: ergo etiam concluſiones ex illis illatæ. Deinde, aut Theologia eſt opinio, aut ſcientia, aut fides: non opinio, quia eſt de rebus certis, & certa: non ſcientia, quia non habet euidentiam, & vt communiter docetur non habet perfectam rationem ſcientiæ; erit igitur fides. Tertio, aut Theologia eſt habitus concluſionum neceſſariarum, aut probabilium: ſi priorum, cum illæ manifeſte ex principijs inferantur, ſunt fide tenendæ; ac proinde iſtarum concluſionum erit fides: ſi vero aliarum, eſſet habitus opinionis, quod diceret nemo: erit igitur fides. Poſtremo, pręcipuus locus in hac ſcientia eſt auctoritas, vel diuina, vel humana: ſed per tale medium non gignitur niſi fides: erit igitur habitus fidei diuinæ, vel ſaltem humanæ. In hac difficultate fuit ſententia quorundam exiſtimãtium, Theologiam, quæ eſt habitus concluſionum, appellandam eſſe formaliter fidem. Sed contrarium communis docet Theologorũ conſenſus, quorum alij ſimpliciter ſcientiam, alij ſcientiam, ſed cum aliqua imperfectione eam vocant, vt planius poſtea dicetur. Vt autẽ quid in hac difficultate tenendum ſit melius intelligatur, quid ſit Chriſtiana fides, & qui ex ea fluxerint habitus, breuiter explicandum eſt. Fides eſt lumen diuinum a Deo nobis infuſum, quo res reuelatæ, certiſſime, ſed obſcure, cognoſcuntur.

Greg. Arim. in prol. lib. 1. ſent.

tur. Itaq; fides eſt habitus diuinitus datus, quo humana mens corroborata, poteſt præbere aſſenſum rebus reuelatis, propter hāc rationem, quia Deus dicit. Qui ergo habet hunc actum, quo reuelatis aſſentitur propter auctoritatem diuinam, is habitum fidei habere dicitur. Poteſt autem eſſe, vt quis habeat habitum, & nihil cognoſcat de rebus reuelatis, vt patet in puero, qui habet fidem ſibi in baptiſmo infuſam, ſed nondum ei propoſita ſunt credenda, quibus aſſentiri queat: & ideo vt fides redigatur ad actum, oportet vt aliquis credenda proponat, vt docet
Rom. 8. Paulus. Is autem qui proponit, vel eſt immediate ipſe Deus, vel eſt alia perſona, quæ vicem Dei gerat, vt Angelus, vel Eccleſia. Similiter aliquis poteſt habere notitiam rerum credendarum, vt infideles, qui inter Chriſtianos verſantur; & tamen, quia carent habitu, quo res creduntur, non dicuntur habere fidem. Qui ergo rerum diuinarum a Deo reuelatarum aliquam cognitioné per aſſenſum luminis a Deo infuſi habet, is dicitur habere cognitionem principiorum Theologiæ: quam non habet, qui vel lumine caret, vel nihil adhuc rerum reuelatarū cognoſcit. Ex hoc habitu quidam alij emanarunt habitus. Primus, qui circa explicationem, & declarationem rerum reuelatarum verſatur; qui continetur arte & præceptis, quibus diuina oracula recte explicantur. Et hic habitus reperitur in ijs, qui in interpretatione ſacrarum literarum verſantur, cuius



cuius habitus doctrinam nos iam quinq; & viginti libris complexi ſumus. Secundus, qui verſatur circa cognitionem quarundam concluſionum practicarum pertinentium ad gubernationem exteriorem ebrum, qui fide Chriſtiana imbuti ſunt. Et hic habitus reperitur in his, qui habent cognitionem conſtitutionum Eccleſiaſticarum, & iuris canonici. Tertius habitus qui ex iſta reuelata doctrina fluxit, eſt is, quo ea cognoſcuntur, quæ honeſtatem, aut turpitudinem continent, & ad vitam, & mores recte inſtituendos, & corrigendos, pertinent, qui in religione Chriſtiana eſt maxime neceſſarius: quo habitu præditi ſunt, qui caſus conſcientiæ norunt. Quartus ac poſtremus habitus eſt, qui methodo quadam philoſophica, ex cōcluſionibus, ex principijs reuelatis deductis, conficitur: quem habitum ij habent, qui Scholaſtici vocantur. Omnes hi fere habitus, qui ab vna doctrina reuelata fluxerunt, inter ſe aliquo pacto diuerſi ſunt, cum priuatos habeant fines, & obiecta, ac vnus ſine alio haberi queat. Ex quibus omnibus habitibus vna conficitur integra Theologia. Et quamuis de ſingulis quæri poſſet, in quo genere habitus reponendi ſint: tamen, nos de poſteriore potiſſimum in præſentia loquemur. Verum, vt exiſtimo, is qui Theologus abſolutus vocari vellet, omnibus his habitibus prædictus eſſe deberet. Nam, qui ſcripturas explicare neſcit, & in illis verſatus non fuerit, non video quomodo poſſit

poſſit ex principijs concluſiones recte deducere, cum ipſa principia cognita, atque perſpecta non habeat. Similiter, cum concluſiones non modo ſpeculatiuæ ſed etiam practicæ ad hanc Theologicam facultatem pertineant, qui caſus conſciẽtiæ, & decreta Conciliorum & Pontificum, in quibus huius facultatis, nõ modo concluſiones, ſed etiam principia continentur neſcit, non poterit omni ex parte Theologi perſonam ſuſtinere. Ex quibus colligere licet, inter humanas, & diuinas ſcientias eſſe proportionem quandã. Nam ſicuti circa res naturales, & principia naturali lumine cognita, varie facultates verſantur, vel principia declarando, vel concluſiones ſpeculatiuas, vel practicas, tum ad remp. gerendam, tum ad mores informandos, deducendo; ita circa principia a Deo reuelata & lumine fidei cognita, quattuor, quos diximus, verſantur habitus. His hunc in modum expoſitis, ad propoſitam difficultatem his concluſionibus reſpõdeo. Prima concluſio: Falſum eſt, eas ſolum concluſiones proprie pertinere ad Theologiam, quæ probabiliter ex principijs deducuntur: quæ vero neceſſario, ad fidem. Eſt contra opinionem Soti, quæ ſic impugnatur. Primo, ſi vera eſſet Soti opinio, neceſſario ſequeretur Theologiam eſſe opinionem, quod eſt contra diuum Thomã & contra communem ſententiam: conſequentia eſt manifeſta; quia ex principijs quantumuis certis, ſi conſequentia eſt probabilis, ſolum gi-

gnitur



gnitur opinio. Deinde, quia non eſt verum, quod ipſe ait, has duas propoſitiones, Chriſtus eſt homo, & Chriſtus eſt riſibilis, eodem modo cadere ſub fidem: quoniam ſi quis diceret Chriſtum non eſſe riſibilem, putans riſibilitatem nõ eſſe de perfectione hominis, non cenſeretur hæreticus, cũ id non ſit ab Eccleſia ſancitum; ſicut determinatum eſt, eſſe hominem: ſed eius ſententia inter erroneas reijceretur. Quare, hęc propoſitio, Chriſtus eſt riſibilis, quæ eſt neceſſaria, cum ſub fidem non cadat, pertinebit ad Theologiam. Secunda concluſio: Cognitio rerum reuelatarum per aſſenſum ſupernaturalem ob auctoritatem diuinam, eſt habitus principiorũ Theologiæ, & fides diuina. Eſt concluſio apud omnes certiſſima, & probatione non eget. Quare, qui nouit quæ ſunt in ſcriptura, & quæ ad fidem Chriſtianam aliquo modo pertinent, & ea credit, quia Deus dixit, is habitum fidei, ſiue principiorum habere dicitur. Tertia concluſio: Hæc doctrina non eſt fides humana. Principio, quoniam fides humana non habet neceſſitatem & certitudinem ex parte obiecti, id eſt, ex parte rerum, quas credit: quia contingentia, quæ ſub eam cadunt, non ſunt certa, vt quando cadunt ſub fidem diuinam. Deinde, humana fides non habet certitudinem medij, per quod credit, vt ex dictis patet: hæc vero doctrina habet euidentiam conſequentiæ, qua aliquid ex reuelatis deducitur: & quantum ad principia habet diui-

nam

nam auctoritatem, quæ eſt infallibilis: non erit igitur fides humana, cum per humanam auctoritatem non acquiratur. Quarta concluſio: Habitus earum concluſionum, quę ex principijs reuelatis concluduntur, ſiue ipſa Theologia, non eſt appellanda opinio. Hæc concluſio in primis confirmatur ex communi ſententia; cum nemo ſit, qui eam ſimpliciter opinionem appellet. Deinde, patet ex conditionibus, quæ opinioni attribuuntur, quarum aliquæ huic doctrinæ minime conueniunt. Poſtremo, quia Theologus nullam haberet certitudinem earũ rerum, quas docet; cum tamen multa ex ijs quæ ad fidem & mores pertinent, pro certis habeat: quæ negare eſſet erroneum. Quincta concluſio: Hæc doctrina non eſt appellanda fides diuina. Hanc concluſionem ponimus contra ſententiam Gregorij Ariminẽſis, quam etiam ſupra libro primo docuimus contra opinionem Caietani: quæ ſic ex dictis confirmatur. Primum, quia ſæpe numero ex altero principio naturaliter cognito procedit, & proinde nõ habet pro medio ſolam auctoritatem diuinam; per quã, qui aliquid nouit, fidem diuinam habere dicitur. Deinde, quoniam non exiſtit niſi per diſcurſum humanum, a quo effectiue huius doctrinæ habitus producitur: at vero habitus fidei diuinitus infunditur, nec aſſentitur veritatibus complexis per diſcurſum, ſed immediate auctoritati diui-
1. Ioan. 5. næ innititur. Ideo Ioannes dicebat, Qui credit in



in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe, igitur. Præterea, fides diuina eſt neceſſaria omnibus: at hæc doctrina non eſt omnibus neceſſaria; non erit ergo fides. Sexta concluſio: Cognitio concluſionum, quæ neceſſario ex reuelatis principijs deducuntur, non ſub habitu fidei, ſed ſub hac doctrina continetur, ad eamq; pertinet. Declaratur hæc concluſio: ſumatur, exempli gratia, hæc veritas, quæ a Theologis communiter docetur, ac neceſſaria conſequentia ex principijs reuelatis deducitur, Deum non poſſe mentiri: cum nullibi, quod ſciam, ſit declaratum id eſſe fide tenendum, licet neceſſario ex principijs reuelatis demonſtretur: tamen, potius cadit ſub Theologiæ, quam ſub fidei habitum: & ita per accidens ad fidem pertinet: quatenus, qui eam negaret, etiam principia negare videretur, ac proinde ſuſpectus videri poſſet. Ratio noſtræ concluſionis hæc eſt: quia propoſitio de fide duo habet: alterum, vt res a Deo reueletur: alterum, vt ei ob auctoritatem aſſentiamur diuinam: quas duas conditiones propoſitiones, ſiue concluſiones eæ, de quibus loquimur, non habent, cum per diſcurſum intellectus cognoſcantur, eiſq; per rationem humanam nos aſſentiamur: quare, dum non intercedit diuina reuelatio, quæ eas proponat fide credendas, non adeſt certitudo fidei, ſed tantum humani diſcurſus. Verum, vt diximus, qui eas negaret, ſi videret euidentem conſecutionem, principia ex quibus

deducuntur, negare videretur. Argumenta in contrarium allata facile ex dictis ſoluuntur. Primum, ſolum concludit hanc doctrinam ſapere naturam principiorum, quantum ad euidentiã; quia concluſiones huius doctrinæ non reducuntur ad aliqua euidentia principia: & cum concluſio Theologica non credatur, ſed ſciatur, proculdubio habere debebit aliam naturam a fide, & a principijs diuerſam. Ad ſecundum, dicemus quæſtione ſequenti. Tertium ex concluſione vltima, & ex ijs, quæ hoc capite diximus, euidenter remanet ſolutum. Poſtremum ſoluitur dicendo, media quibus vtitur hæc doctrina, non eſſe ſolum auctoritatem, ſed etiam rationem & humanum diſcurſum, vt infra fuſius dicetur.

## *Afferuntur argumenta in vtramque partem ſuper hac quæſtione, An ſacra Theologia ſit ſcientia. Cap. IIII.*

CVM Theologia nec opinio, nec fides, vt probatum eſt, appellari poſſit; ſequitur vt videamus, an ſcientiæ nomen proprie mereatur. Circa quam difficultatem cum pro vtraq; parte ſint argumenta probabilia; ideo, vt quæſtionis ſtatus melius percipiatur, vtriuſque partis rationes in medium afferam: & quod non ſit ſcientia, his argumentis confirmari poteſt. I. Scientia procedit ex principijs euidentibus ei,



ei, qui ipſam ſcientiam habet: quia, ſi mihi non ſit aliquid euidens, non potero ex eo quidquam certi deducere: at principia Theologiæ non ſunt nobis euidentia, vt omnibus eſt manifeſtum; non ergo poterit appellari ſcientia. II. Nulla ſcientia reſoluit ſuas concluſiones in auctoritatem alicuius, qui illa vera eſſe dicat, ſed in principia ab ipſo ſciente euidenter cognita, & per ſe nota: Theologia vero ſuas concluſiones tandem reſoluit in Deum dicentem, ob cuius auctoritatem ſolam, principia credit: excludenda igitur erit a ſcientiarum numero. III. Non eſt maior aſſenſus concluſionum, quam ſit principiorum, vt philoſophus docet, cum ob aſſenſum principiorum concluſionibus aſſentiamur: at aſſenſus principiorum Theologiæ eſt obſcurus: ergo & aſſenſus concluſionum: ac proinde earum habitus non erit nomine ſcientiæ dignus. IV. Scotus contra diuum Thomam hunc in modum diſputat: Si Theologia eſt ſcientia; ergo quæ in ipſa ſunt, erunt ſcita: ſed hæc eadem etiam fide tenentur; ergo eædem res erunt ſcitæ, & creditæ, & de eadem re erit fides, & ſcientia; quod tamen diuus Thomas omnino negat. V. Scientia eſt de neceſſarijs, vt non vno in loco docet Ariſtoteles, cui hac in re ceteri omnes aſſentiuntur philoſophi: at hæc doctrina verſatur in rebus contingentibus; vt cum agit de myſterio incarnationis, reſurrectionis, & de alijs rebus, quæ ab humano arbitrio, vel a libera Dei volun-

Lib. 1. poſt.

2.2.q.1. ar.5.

Li.1.poſt. c. 2.

voluntate pendent: non poterit igitur eſſe ſcientia. VI. Scientia eſt de vniuerſalibus; vt multis in locis docuit philoſophus: Theologia autem agit etiam de particularibus, & non per accidens, ſed per ſe, & ex profeſſo, cum agit de Deo, de Chriſto, &, vt vno verbo dicam, eius principia bona ex parte continent hiſtoriam, & geſta particularia: quare non eſt cenſenda ſcientia. VII. Si qua ratione poteſt defendi eſſe ſciẽtiam, maxime, quia eius principia nota ſunt in ſciẽtia ſuperiore, nimirum in Theologia beatorum, vt ait diuus Thomas: at hoc nihil eſt, igitur. Quoniam, qui ſolum nouit concluſiones Perſpectiuæ, quibus aſſentiretur ob auctoritatem magiſtri dicentis earum principia eſſe certiſſima, is ſolum habet quandam fidem earũ concluſionum, non autem ſcientiam: & idem dicas in propoſito noſtro. Confirmatur hoc argumentum; quia ſequeretur in hæretico eſſe veram Theologiam, quod tamen eſt falſum: conſequentia patet; quia concluſionum, quas ipſe deducit, principia, ſunt nota in Theologia beatorum, ſicuti & principia noſtrarum concluſionum. IIX. Concluſiones, quæ deducuntur, aut euidenti conſequentia inferuntur, aut ſolum probabili: ſi primum concedas, concluſiones illæ non cadent ſub habitum Theologiæ, ſed ſub fidem: ſi alterum, iam non erit ſcientia, ſed opinio quædam. Et hæc pro hac parte argumenta attuliſſe ſufficiat: pro altera vero parte



te hæ rationes afferri ſolent. I. Sunt non nullæ auctoritates diuinæ ſcripturæ in quibus fit mentio de ea doctrina, quæ eſt, aut eſſe debet in noſtræ religionis magiſtris & doctoribus, & appellatur ſimpliciter ſcientia, vt cum dicitur, Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam: Quia tu repuliſti ſcientiam: Labia ſapientium diſſeminabunt ſcientiam: Ipſe dedit mihi eorum quæ ſunt ſcientiam veram: & dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina: & multis alijs in locis idem obſeruare licet, ergo erit appellanda ſcientia. II. Eandem ſententiam confirmat antiquorum patrum, & theologorum auctoritas, qui de hac doctrina loquentes, eam inter ſcientias reponunt. Ita Auguſtinus, Hieronymus, Altiſiodorenſis, Guilhelmus Pariſienſis, Alexander Halenſis, Albertus Magnus, & alij: quorum in re probabili auctoritas, præponderare debet. III. Si non eſt ſcientia, maxime ob hanc cauſſam, quia procedit ex principijs ſibi ignotis: at hoc nihil obſtat; quia ſunt aliæ ſcientię, quę ex principijs eiuſdem generis procedunt, vt Perſpectiua ex principijs notis in Geometria, & Muſica ex principijs notis in Arithmetica; non erit igitur ob hãc cauſſam a ſapientiarum numero excludenda. Quod ſi quis dicat, non eſſe parem rationem, quia principia aliarum ſcientiarũ poſſunt fieri nobis nota a poſteriore, & per effectus: principia vero Theologię ſemper remanere nobis obſcura,

Mal. 2. Oſe. 4. Prou. 15. Sap. 7. Ier. 3. 2. Pet. 1. Luc. 11.

Lib. 14. de Trin. c. 1. Epiſto. ad Pamma.

 hoc

hoc nil eſt: quoniam, vt in alijs ſcientijs principia ex quibus immediate probantur concluſiones ex ſe ſunt ſemper nobis ignota, ſed extrinſecus per effectus cognoſcuntur; ita, licet huius ſcientię principia ex ſe ſint nobis ignota; tamen, extrinſecus per Dei reuelationem, quæ eſt certiſſima, nobis innoteſcunt; & ita innoteſcunt, vt hæc doctrina ratione certitudinis ſuperet omnẽ aliam, vt poſtea demõſtrabo. IV. Quinque ſunt habitus, quibus aliquid cognoſcimus, vt ex Ariſtotele in Ethicis conſtat, intellectus, ſcientia, ſapientia, ars, & prudentia: Theologia non eſt intellectus, cum ſit habitus concluſionũ: non ars, quia non eſt de rebus, quæ a nobis fiãt: non prudentia, cum non ſit tantũ de rebus agibilibus, ſiue de actionibus moralibus: erit igitur ſcientia, vel ſapientia, & ſi eſt ſapientia eſt etiam neceſſario ſcientia. V. Theologia eſt habitus quidam cognitionis per aliquod medium acquiſitus: & non eſt opinio, non fides humana, nec diuina, igitur ſcientia: nec enim aliquid aliud eſſe poteſt. VI. Metaphyſica eſt vere ſcientia, & tamen non procedit ſemper ex principijs notis ſecundum nos, ſed ſecundum ſe, vt cum probat aliquot Dei & ſubſtantiarum a materia abſtractarum attributa; igitur ad rationem ſcientiæ ſatis eſt vt procedat ex principijs ſecundum ſe notis: quod maxime Theologiæ conuenit, cum habeat principia ſecundum ſe certiſſima, & euidentiſſima. VII. Ille ſcit, ex doctri-

L.4. c. 11.

Li.6. Eth.

na-



na Ariſtotelis, qui præmiſſarum habet, vel ſcientiam, vel aliquid maius ſcientia: at nos præmiſſarum habemus habitum fidei, cuius lumen ſuperat omnem humanam ſcientiam, & naturalem intelligentiam, quo tenacius adhæreſcimus præmiſſis, quam ſi ſenſu ipſo perciperentur; igitur Theologia in numero ſcientiarum reponenda erit. IIX. Ex Ariſtotele in Topicis non ſolum ea ratio dicitur demonſtratio, quæ procedit ex primis principijs, ſed etiam, quæ procedit ex ijs, quæ per prima, vbi duo genera demõſtrationum facit: atqui noſtra Theologia procedit, ex ijs quæ per prima, id eſt, ex ijs quæ cognoſcuntur in Theologia beatorum per immediata principia; igitur habebit ſuas demonſtrationes, & propterea erit vere ſcientia. Neque enim nomine ſcientiæ ſolum intelligenda eſt illa, quę per potiſſimam demonſtrationem acquiritur, quæ rariſſima eſt, ſed etiam ea, quæ habetur per rationes certas & infallibiles. Et hæ ſunt rationes pro altera huius quæſtionis parte. In hac difficultate ſunt tres potiſſimum dicendi modi: quidam ſimpliciter loquendo, dicunt non eſſe proprie ſcientiam, ſed fidem humanam, vel opinionem, quam ſententiam libenter Scotiſtæ, & Nominales amplectuntur. Quidam ſimpliciter & proprie ſcientiam eſſe affirmant, vt Alexander, diuus Thomas, Ægidius, Carthuſianus & alij. Quidam vero recentiores Thomiſtæ declarantes opinionem Angelici doctoris, di-

Li.1. poſt.

L.1. Top. c. 1.

Cano.
Ban.
Franc.
Zum.

 cunt

cunt eſſe ſcientiam, ſed cum aliqua imperfectione: quorum ſententia eſt multo probabilior.

### *Afferuntur notanda quædam ad explicandam propoſitam quæſtionem: & quid ſentiendum ſit docetur, & argumenta ſoluuntur. Cap. V.*

VT autem quid nobis in hac difficultate probabilius videtur explicemus, aliqua, præter ea, quæ ſupra de natura ſcientiæ docuimus, adnotanda ſunt. Notandum itaque eſt primum, ex Ariſtotele in vnaquaque ſcientia requirendas eſſe demonſtrationes ſecundum ſubiectam materiam; ſecundum quam aliæ ſcientiæ habent certiores & euidentiores, & minus certas & euidentes rationes: quas ſi ſpectemus vna ſciẽtia erit imperfectior, vel perfectior alia. Ceterum, dummodo in aliqua doctrina ſint rationes, quæ conuincant, & neceſſario concludãt, ita vt gignant aliquid maius & perfectius quam ſit opinio, ad rationem ſcientiæ ſufficere debet: vt patet in ſcientia morali, immo etiam in metaphyſica, quæ facultates, licet non habeant potiſſimas demonſtrationes, habent tamen rationes certiſſimas. Itaque, vere ſcientia appellari poteſt ea cognitio, quæ per certas habetur rationes. Notandum ſecundum, cum Theologia re vera non habeat perfectam rationem ſcientiæ, prout ſcientia in ſecundo analytico definita fuit ab Ariſto-

Li. 1. Eth. cap. 3.



Ariſtotele, poſſumus dicere eam in genere ſcientiæ habere aliquam imperfectionem, præſertim ex parte euidentiæ. Quando autẽ dicitur Theologiam habere aliquid imperfectionis, non eſt intelligendum de Theologia ſecundum ſe, neq; ſimpliciter, comparando eam cum alijs ſcientijs; quia, vt poſtea dicetur, eſt humanarũ ſcientiarum perfectiſſima; ſed intelligi debet de ea, vt eſt in nobis, & vt comparatur cum Theologia beatorum, in quibus habet perfectam rationem ſuæ ſpeciei: quamuis ſecundum quid, id eſt, ratione euidentiæ qua caret, poſſit dici imperfectior quam aliqua humana ſcientia. Tertio loco notandum eſt, quod cum ſcientia ſit rei cognitio per ſuam cauſſam, duobus modis poteſt aliquis rem per cauſſam cognoſcere: altero quidem obiectiue, ſiue ex parte obiecti, quando nimirum in obiecto videtur res, ſiue effectus, & cauſſa ipſius, non deueniendo per cognitionem cauſſæ prius acquiſitam, ad cognitionem effectus, ſed vtrunque ſimul in re ipſa videndo. Altero modo ſubiectiue, vel diſcurſiue, quando nõ ſolum effectus, ſiue res cognoſcitur in ſua cauſſa, ſed etiam per cauſſę cognitionem, ad effectus cognitionem deuenitur: vt patet, cum a cauſſa diſcurrendo ad effectũ proceditur. Tunc enim cognoſcimus & rem, & cauſſam, & per cognitionem cauſſæ venimus in cognitionẽ effectus. Quæ res hoc ſimili declaratur: Si quis videret ignem, & fumum ex igne procedentem, ſimul effe-

Ariſtot. 1. Poſt. c. 2. 1. Phy. t. 1.

effectum & cauſſam cognoſceret. Si vero prius ignem cerneret, & per ignem in notitiam fumi veniret, vnum per alium intelligeret. Ad conſtituendam naturam ſcientiæ ſolum hoc requiritur, vt cognoſcatur cauſſa rei, ſeu res in cauſſa: quod vero ex cognitione cauſſæ veniatur in cognitionem effectus per diſcurſum, non eſt de ratione ſcientiæ. Nanque, in Angelis, in beatis, & in Deo eſt vera ſcientiæ ratio, & tamen non per diſcurſum, ſed per ſimplicem intuitum effectum & eius cauſſam vident, & quod ſit eius cauſſa cognoſcunt: noſtra autem ſcientia, propter noſtrum imperfectum modum cognoſcendi, eget diſcurſu. Poſtremo animaduertendum eſt, Theologiam poſſe dupliciter conſiderari: vno modo ſecundum ſe, altero modo, vt eſt in nobis viatoribus: Si ſecundum ſe conſideretur, dicit quandam principiorum, & eorum quæ ex principijs deducuntur circa res diuinas notitiã: at vero vt eſt in nobis, includit etiam modum, quo nos diuina cognoſcimus, modum ſcilicet obſcurum, dum per fidem cognoſcimus principia rerum diuinarum, & ex illis ratiocinando alias concluſiones deducimus. Propoſita difficultas intelligenda eſt de Theologia vt eſt in nobis, & vt eſt quidam habitus rerum diuinarum humana ratiocinatione acquiſitus. His notatis, pono has concluſiones. Prima cõcluſio: Theologia ſecundum ſe conſiderata, ſeu Theologia Dei & beatorum, eſt vere & proprie ſcientia. Quo-



niam eſt cognitio certa, & euidens rei per ſuas cauſſas: erit igitur vere ſcientia, cum omnes habeat ſcientiæ conditiones. Siquidem beati, clara viſione, vident in eſſentia diuina rationes rerum omnium, quas nos per fidem credimus. Et cum hæc concluſio ſit certa, non eſt cur eam pluribus probemus. Secunda concluſio: Si quo nomine, quo humani & acquiſiti habitus nominantur, Theologia, vt eſt in nobis, nominanda eſt, potius ſcientia, quam opinio, vel fides acquiſita nominari debet. Probatur primum hæc concluſio ex ijs, quæ ſupra diximus: quia ſi non eſt fides, neque opinio, proculdubio erit ſcientia. Deinde, quoniam, vt ex dictis intelligi licet, hic habitus, vt eſt in nobis, deficit a ratione ſcientiæ ſolum in euidentia principiorum, & habet reliqua omnia, quę ſcientia requirit, & in pluribus differt, ab opinione, & a fide quam a ſcientia, ergo cum magis accedat ad rationem ſcientiæ, erit appellandus ſcientia. Deinde, habitus ſcientiæ, in quacunque facultate, diſtinctus eſt ab habitu principiorum, & ratio ſcientiæ communiter acceptæ, in hoc poſita eſt, vt euidenter ex principijs concluſiones ducantur, vt patet in mathematicis: quare, licet principia non ſint euidentia; tamen cum illatio concluſionis ex principijs, per quam gignitur hic habitus, ſit euidens; potius hæc noſtra Theologia ſcientia, quam fides, vel opinio nominanda erit. Tertia concluſio: Theologia, vt eſt in nobis

bis eſt in ſcientia,ſed cum aliqua imperfectione, quatenus non habet euidentiam principiorum: & hoc voluit diuus Thomas, cum dixit eſſe ſcientiam ſubalternatam theologiæ beatorum, vt ſtatim dicemus. Hæc concluſio hac vna ratione probatur. Scientia duo habet, principia ſcilicet & concluſiones:inter alias principiorum conditiones eſt hæc, vt ſint magis nota, quam concluſiones;quæ conditio nõ reperitur in principijs noſtræ Theologiæ. Similiter, quantum ad concluſiones habet concluſiones aliquot particulares, ſcientia autem proprie eſt de paſſionibus, quæ vniuerſaliter inſunt ſubiecto: rurſus habet etiam concluſiones de rebus contingentibus, quæ licet, vt ſunt reuelatæ,ſint certiſſimæ; tamen id eſt extrinſecum, cum ex natura ſua ſint contingentes.Et has duas concluſiones probant rationes ſuperius pro vtraque parte allatæ. Quare ſi dicamus eſſe ſcientiam cum aliqua imperfectione, auctores inter ſe fortaſſe conciliare poterimus. Quod autem diuus Thomas ſenſerit eſſe ſciẽtiam imperfectam, patet ex ijs,quæ alias docuit. Nam aliquando ſcripſit ſcientiam, quæ non procedit ex per ſe notis, eſſe imperfectam, & analogice ſcientiam: & ſpeciatim de noſtra Theologia loquens,hoc affirmauit: idq; declarauit exemplo magiſtri, qui traderet ſuam ſcientiam diſcipulo, non manifeſtando ei principia,quæ in diſcipulo eſſet imperfecta. Cum ergo Deus non dum Theologiæ principia nobis clare

Ariſt. li.1 poſt. 6. Eth.c.3.

q6.14. de ver.ar.10.



clare manifeſtauerit, Theologicam ſcientiam cum aliqua imperfectione habebimus. Hoc etiam indicauit in hoc articulo, cum dixit, eſſe ſcientiam ſubalternatam Theologiæ beatorum, in qua, principia ſunt nota. Cum ergo ſanctus Doctor hic non dicat, ſit proprie ſcientia nec ne, quid ipſe ſenſerit, ex ijs, quæ alias docuit, cognoſcendum erit. Illud autem diui Thomæ exemplum, non eſt ita accipiendum, vt talis ſit in nobis Theologia, qualis, exempli gratia, eſt Perſpectiua in diſcipulo, in quo non poteſt habere rationem ſcientiæ,niſi ille habeat notitiam præmiſſarum, quam non habet, cum ſolum aſſentiatur per fidem humanam: at vero Theologia,vt eſt in nobis,habet veram rationem ſciẽtiæ,cum nos habeamus cognitionem principiorum per fidei lumen, quod eſt omni alio lumine maius, & certius. Quarta concluſio: Falſa eſt opinio Capreoli, dicentis Theologiam noſtram non eſſe eiuſdem rationis, cum Theologia beatorum, ex eo, quod caret euidentia. Primum,quia id eſt expreſſe cõtra diuum Thomam. Deinde,quia perfectum,& imperfectum nõ differũt ſpecie,ſicuti homo puer, & adultus. Poſtremo, quod eſt ſimpliciter tale, eſt vniuoce tale:ſed Theologia noſtra eſt ſimpliciter ſciẽtia, ergo erit eiuſdem rationis cum Theologia euidenti, quæ eſt ſcientia. Confirmatur, quia de ratione ſcientiæ in communi, eſt, vt procedat ex principijs proprijs, & neceſſarijs, in qua ratione

tione conuenit theologia obſcura cum Theologia euidenti, ergo. Quincta concluſio: Siquis vellet huic noſtræ Theologiæ aliquod priuatū nomen imponere, poſſet eam appellare Scientiam fidelem, vel, vt ita dixerim, fidem ſcientialem; cum aliquo pacto fidei, & ſcientiæ naturam participet: ſed præſtat, vt ſimpliciter ſcientiam appellemus. His ita poſitis, atque confirmatis concluſionibus, argumenta in vtranque partem allata diſſoluamus: priora hunc in modum ſolueres. Primum, ſolum probat ſcientiam perfectam requirere principiorum euidentiam: at vero ad conſtituendam imperfectam ſcientiam, ſatis eſt vt principia ſint certa, & vt credantur, ex ſe, eſſe euidentia. Secundum, eodem ſoluitur modo: tantum enim probat ratione principiorum, quæ per auctoritatem credit, non eſſe perfecte ſcientiam. Sat ergo eſt, vt reſoluat in principia certiſſima, licet eorum euidentiam non habeat; & quod ex illis euidenter concluſiones deducat. Ad tertium, concedimus concluſionem ductam ex principijs non habere maiorem euidentiam, quā principia habeant, quantum ad rem deductam: tamen quantum ad illationem poteſt haberi, & habetur euidentia: cum per diſcurſum ex datis principijs, aliquid euidenter deducatur. Vnde, ſiquis per fidē credat Chriſtum reſurrexiſſe ob noſtram reſurrectionem, ex hoc euidēter inferret, ergo & nos reſurgemus: & hoc ſufficit, vt appelletur aliquo modo



modo ſcientia. Quartum, ſic ſolueres: cum hęc ſcientia non habeat claritatem, & euidentiam, poteſt eſſe vna cum fide: verum de hac quæſtione, an fides & ſcientia poſſint eſſe de eadem re in eodem, alio dicetur loco. Ad quinctum, quamuis multa quæ in hac ſcientia tractantur, nō ſint ex ſe neceſſaria; tamen, vt ſunt reuelata, ſub qua ratione in hac doctrina conſiderantur, neceſſaria ſunt. Adde etiam, quod maiore ex parte ea tractat, quæ ex ſe neceſſitatem habent. Ad ſextum, de obiecto ſingulari & incorruptibili, cuiuſmodi eſt Deus, poteſt eſſe ſcientia: alias enim Metaphyſica, vt de Deo agit, non eſſet ſcientia. Quod ſi obijcias de Chriſto, qui eſt ſingularis homo & corruptibilis, dicerem de eo, vt naturam diuinam includit, poſſe eſſe ſcientiam, vt etiam de Deo eſt: & prout continet humanam naturam, habetur, vt de alijs hominibus. Alia vero ſingularia non conſiderantur, vt obiectum, ſed vt manifeſtetur auctoritas eorum, per quos ad nos principiorum doctrina deuenit: vel ad exemplum vitæ, vel ad ſignificanda myſteria diuina, vel manifeſtanda diuina attributa, vt ſapientiam, iuſtitiam, & miſericordiam. Denique, cum hæc doctrina ſit aliqua ex parte practica, vt poſtea dicetur, non eſt contra eius naturam, ſiqua in parte circa ſingularia verſetur. Septimum qua ratione ſolui poſſit, ſatis ex dictis patet, & maxime ex declaratione tertiæ concluſionis, vbi docuimus, quomodo illud exemplum de

D. Tho.

Dionyſ.

de magiſtri, & diſcipuli doctrina accipiendum ſit: & ſanctus Doctor illo exemplo ſolum indicare voluit, ſatis eſſe, ſi principia ſint ex ſe nota lumine ſuperioris ſcientiæ, in nobis vero ſat eſt, ſi ſint certiſſima, & lumini infallibili innitantur, cui non innititur illa doctrina, quæ eſt in diſcipulo. Neque huius argumenti confirmatio vrget, quia hæreticus non habet principiorum certam & infallibilem notitiam, ſed meram opinionem humanam. Octauum, ſoluitur ex ijs, quæ contra Sotum adnotauimus. Argumenta pro alia parte, quæ probare videntur eſſe perfectam ſcientiam, ſic dilueres. Primum, ſolum probat poſſe appellari ſcientiam, ſed non vrget, vt debeamus fateri eſſe perfectam ſcientiam. Ioã. 11. Quod ſi inſtare volueris, vi vocabuli, dicam, in diuinis literis, ſcientiæ nomen, interdum pro fide, vel non ita proprie vſurpari. Secundum, eadem ratione ſolueres, dicendo illos auctores appellare quidem ſcientiam, quod etiam nos facimus; ſed tamen non docent habere perfectam rationem ſcientiæ; vel non poſſe appellari imperfectam ſcientiam. Tertium ſolueres, dicendo ſubalternatam ſcientiam, niſi coniungatur cum ſuperiore, non eſſe perfectam ſcientiam; cuiuſmodi eſt illa, de qua Ariſtoteles dixit, debere conſtare ex indemonſtrabilibus: quare, qui cognoſcit concluſiones, & non videt manifeſte principia, imperfecte ſcit. Quod, ſi quo modo iſta principia nobis ſunt nota, vt re vera ſunt: tamen

D. Th. q. 14. de ver. ar. 9.



men non per euidentiam; ex qua parte Theologia imperfectionem habet. Quartum, ſolum concludit, hanc doctrinam, ſi inter vllos humanos cognitionis habitus reponi debet, in genere ſcientiæ ponendam eſſe, quod nos concedimus. Quinctum, & ſextum idem probant, ſimpliciter appellandam eſſe ſcientiam; ſed eius perfectionem non demonſtrant. Ad ſeptimum, eſto habitus principiorum huius doctrinæ ſit perfectior omni alio habitu, cum ſit diuinus: tamen, vt eſt in nobis, non habet euidentiam, qua caret etiam ea cognitio, quæ ex tali habitu oritur, ex qua parte imperfecta exiſtit. Poſtremum, concludit eſſe ſcientiam, ſed imperfectã, quod nos affirmamus. Poſſem hoc loco ad confirmanda, ac melius explicanda ea, quæ hoc loco docuimus, de certitudine principiorum theologiæ diſſerere; ſed hanc diſputationem inferius explicabo: nunc autem de eorum euidentia ſermonem habebimus.

*Afferuntur notanda quædam ad explicandam quæſtionem de euidentia principiorum ſacræ Theologiæ. Cap. VI.*

QVONIAM, vt ſæpe dictũ eſt, ea de cauſſa ſacra Theologia, vt eſt in nobis, nõ eſt perfecta ſcientia, quia non habet principia manifeſta, & euidentia; peteret modo quiſpiam, an huius doctrinæ principia aliquã euidentiã habere

Q poſ-

poſſint, & an re ipſa habeant, & ſi habẽt, quam, & quantam. De qua difficultate varie, vt poſtea dicemus ſentiunt doctores. Vt autem, & quid hoc loco quæritur, & quid ſentiendum ſit intelligatur, quædam notanda, ad rem hanc explanandam multum accommodata, hoc capite explicabimus. Primum, hæc tria, firmitas, ſeu adhęſio, certitudo, claritas, ſeu euidentia, longe inter ſe differunt. Certitudo, eſt infallibilitas cognitionis, ſeu infallibilis cognitio, per quam falli non poſſumus, cum res ita eſt, vt cognoſcitur: qualis eſt cognitio eius rei, quam per demonſtrationem ſcimus. Firmitas, eſt tenax aſſenſio, ſiue conſtans adhęſio, qua ad rem cognitam cõſtanter adhęreſcimus, quam adhęſionem interdum diuus Thomas, certitudinem vocat, & ait certitudinem eſſe firmam adhęſionem intellectus in ordinem ad aliquod obiectũ verum. Quo fit, vt adhęſio ad falſum, qualis eſt in hęretico, potius debeat dici pertinacia, quam firmitas, ſeu conſtantia. Eſt autem hęc firmitas duplex: altera ſpeculatiua, quæ oritur ex ſola re cognita, nulla alia cauſſa extrinſeca adiuncta, qualis eſt firmitas in cognitione principiorum: altera eſt quaſi practica, quæ non a ſolo intellectu ſumitur, ſed etiam a cauſſa extrinſeca, nimirum a voluntate, vel a pia affectione, quæ valet multum ad hoc, vt vni magis, quam alteri in rebus probabilibus adhæreamus: & huiuſmodi adhęſio reperitur in fide, in cuius obſequium capti-



captiuamus intellectum per voluntatem. Sunt autem qui putent, certitudinem, vtrunque requirere, infallibilitatem rei ſcilicet cognitæ, & adhęſionem. Euidentia, eſt modus quidam cognitionis clarus & perſpicuus, cum res ipſa ſiue vlla obſcuritate in cognitione relucet: vt cum quis intelligit, totum eſſe maius ſua parte; ſtatim, percepta hac veritate, eius claritatem videt: & hæc claritas dicitur euidentia. Itaque, aliud eſt certitudo, aliud firmitas, & aliud euidentia. Secundum notandum, duobus modis poteſt aliqua res eſſe nobis euidens: vno modo in ſe, quando ipſa in ſe ipſa eſt nota: altero modo in aliquo extrinſeco, vt ſtatim explanabo. Euidentia rei in ſeipſa triplex eſt: alia, qua res in ſe immediate cernitur, qualis euidentia reperitur in cognitione principiorum naturalium, vt patet in his principijs mathematicis: ſi ab æqualibus æqualia demas, remanent æqualia: pars eſt minor ſuo toto: alia eſt paullo minor, quando res eſt euidens, non in ſe, ſed in ſuis cauſſis & principijs: quo modo hominem eſſe riſibilem, dicitur euidens in ſua cauſſa, quia cognoſcitur vt rationalis, & ſcitur, rationale, eſſe cauſſam riſibilitatis: alio modo adhuc minus perfecte, cum rei euidentia non in ſe, nec in cauſſa, ſed in aliquo ſigno certiſſimo & infallibili illius rei cernitur: vt contingit in demonſtratione ab effectis ſumpta: vt ſi ſcirem hominem eſſe rationalem, quia eſt riſiuus. Euidentia ab extrinſeco

 eſt,

eſt, cum aliquid ſit euidens per aliquid, quod non ſit res ipſa, vel aliquid ipſius: vt ecce; fingamus Petrum eſſe veraciſſimum, & non poſſe mentiri: & eundem Petrum mihi renunciare reperiri antipodas, quos ego vidi nunquam: tunc erit mihi euidens antipodas reperiri, non per euidentiam rei, ſed per aliquid extrinſecum, nimirum quia mihi conſtat Petrum eſſe veracē, & id mihi ipſum affirmare. Et hæc potius dicitur euidentia veritatis, quam rei. Tertium notandum, hæc duo, aliquid eſſe verum, & aliquid eſſe credibile, ſeu probabile, inter ſe maxime diſtant. Verum dicitur id, quod in ſe eſt, vt dicitur: credibile eſt, quod eſt dignum fide, ſiue ſit verum, ſiue non. Hinc eſt, quod credibile, ſeu probabile nō conuertitur cum vero: immo multa falſa ſunt probabiliora veris. Quare, probabile id dicitur, quod eſt dignum approbatione, & credulitate. Sicuti ergo aliud eſt eſſe verum, aliud eſſe credibile; ita etiam aliud eſt eſſe euidenter verum, & aliud euidenter credibile. Euidenter verum eſt id, quod cognoſcitur per aliquam euidentiam ex illis dictis: euidenter probabile, quod habet ſufficientes cauſſas, & motiua, propter quæ credi debeat: quibus motiuis
4. c. 12. abundat Chriſtiana fides, vt poſtea dicemus: cuiuſmodi ſunt, prophetia, miracula, antiquitas, &c. Sunt autem hæc motiua in duplici differentia: quædam extrinſeca, vt ſunt, quæ nunc recenſuimus: quædam vero intrinſeca, vt pax

con-



conſcientiæ, guſtus rerum ſpirttualium, ac Spiritus ſancti internus motus. Quæ omnia motiua, ex ſe, nō ſunt apta ad faciendam euidentiam veritatis, ſed credibilitatis ſolum, vt poſtea dicetur: quæ euidentia in varijs hominibus poteſt eſſe maior, vel minor, prout magis, vel minus rationum vis percipitur: quam cū Dæmones percipiant, non poſſunt non credere: ſed quia neceſſario credunt, eorum fides eſt ęquiuoce fides. Quartum notandum, duplex lumen reperitur in homine Chriſtiano: alterum naturale, alterum fidei: inter quæ maximum eſt diſcrimen. Nam lumen naturale, cum ſit clarum, & valde intenſum, eſt per ſe ſola cauſſa ſufficiens, vt ſcientiarum principia ſint nobis euidentia; ita vt non ſit opus ad ea credenda aliquo motiuo: at vero lumen fidei eſt obſcurum, & ideo non facit nobis euidentes articulos fidei, ita vt ſtatim credantur, ſine vllis cauſſis, & motiuis adiuuantibus: propterea dicimur videre per ſpeculum in ænigmate. Et hinc eſt, quod fides non excludit omne dubium: quod factum fuit ad noſtrū meritum. Hinc etiam fit, cur fidelis non poſſit conuincere infidelem, quia non habet aliquam rationem a priore eorum, quæ credit, ſed ſolum ſigna quædam: & rurſus, quia lumen, quo ipſe credit, non poteſt transfundere in eum, qui non credit: ſicut is qui bene videt, non poteſt communicare ſuam vim videndi cum eo, qui parum videt. Colligitur etiam ex dictis, eas res, quæ ad

Sco. 2. S. d. 23. q. 2.

Pſal. 115.

 fidem

fidem pertinent non poſſe bene intelligi, niſi prius credantur: quia non determinatur intellectus ad eas cognoſcendas, niſi per fidem. Quinctum notandum, cum res noſtræ fidei, & Theologiæ principia poſſint innoteſcere, tum per lumen fidei, tum per motiua & rationes extrinſecas, quærimus modo, an per iſta poſſint eſſe, aut ſint euidentia; & hoc, vel quantum ad euidentiã veritatis, vel credibilitatis. Huic euidentiæ triplicem poſſumus aſſignare gradum: vnũ, qui fuit in his, qui res diuinas immediate a Deo acceperũt, vt fuerunt ſacri ſcriptores, & Apoſtoli: aliũ, qui fuit in illis, qui vixerunt in prima Eccleſia, in qua erant motiua miraculorũ, & alia multa, quæ nunc non ſunt: tertium, qui reperitur in nobis, qui non habemus tam fortia motiua, vt illi priores habuerunt: quamuis illa eadem nobis ſint vſui. Sed peteret hoc loco quiſpiam, ſi fides ſolum efficit vt quis credat, eſt enim lumen quo intellectus iuuatur ad credẽdum, quo modo poteſt etiam parere euidentiam, vel veritatis, vel credibilitatis? cum aliud eſſe debeat id, per quod credo, & id, quo id, quod a me creditur, eſt mihi aliqua ratione euidens: ſicuti aliud eſt id, quo aliquid opinor, & aliud id, per quod ſcio illud cadere ſub opinionem. Reſpondetur, re vera iſta duo in exemplo allato ſunt diuerſa: Verum, cum lumen fidei ſit participatio quædam luminis gloriæ, non ſolum inclinat ad credendum, ſed etiam res, quæ ſub fidem cadunt illu-



illuſtrat, & credibiles facit, vt ſtatim dicam. Quare, lumen fidei tria nobis præſtat: primum inclinat intellectum ad aſſentiendum: deinde facit, vt intellectus diſſentiat rebus contrarijs fidei: poſtremo efficit euidentiam credibilitatis. Sed peteres, ſi lumen fidei habet hanc vim, cur eam non eodem modo in omnibus exercet? Reſpondetur, id oriri ex eo, quod non omnes eodem pacto hoc lumine vtuntur, nec ea adhibent, quæ neceſſaria ſunt ad hoc lumen excitandum: cuiuſmodi eſt meditatio, & cogitatio eorum, quæ fidem noſtram faciunt credibilem. Adde etiam, quod lumen naturale per humanũ diſcurſum, non per ſe, ſed indirecte, redigit ad actum iſtam euidentiam: & quo maius eſt iſtud lumen, eo etiam maior poteſt eſſe euidentia. Quare, qui melius perciperet vim huius diſcurſus; in confirmationem noſtræ religionis facta ſunt miracula, quæ a ſolo Deo fieri poſſunt; ergo religio noſtra eſt vera, maiorem haberet euidentiam, quam alius qui non ita perciperet. Et hæc prænotaſſe volui: quid autem in re propoſita ſentiendum ſit, ſequenti capite aperiam.

*Varijs concluſionibus reſpondetur ad quæſtionem propoſitam de euidentia principiorum ſacræ Theologiæ. Cap. VII.*

QVAMVIS circa eas, quas hoc capite afferemus concluſiones, variæ ſint ſcriptorum ſententiæ: tamen nos, ſolum tres præcipuos dicendi

cendi modos breuiter attingemus: quibus expoſitis, varijs concluſionibus noſtram ſententiam explanabimus. In hac igitur difficultate de principiorum Theologiæ euidẽtia, qua quæritur, an ſint, aut aliqua ratione eſſe poſſint clara, quidam exiſtimarunt hanc euidentiam haberi poſſe, & de facto ſecundum communem Dei gubernationem in fidelibus reperiri: ex quo etiã inferunt, Theologiam eſſe proprie & perfecte ſcientiam: in qua ſententia ſpeciatim fuit Henricus. Alij, neque de facto reperiri, neque aliquam euidentiam dari poſſe putarunt: quia de ratione fidei eſt obſcuritas. Alij, volunt fuiſſe euidentiam in illis, quibus facta fuit reuelatio: vt exiſtimauit Franciſcus Mayro, quod alijs non placet. Alij demum, concedunt dari poſſe aliquam euidentiam; ſed negant via ordinaria in fidelibus reperiri. Nos, quid ſentiendum ſit, his concluſionibus breuiter decernimus. Prima concluſio: Ratio per quam fidelis omnia credit, eſt auctoritas diuina: hoc eſt, quia Deus dixit: ita vt, hæc ſit ratio vltima, ſiue primũ principium in religione Chriſtiana, in quod reſoluuntur omnia credibilia, & per quod omnia creduntur. Itaque non fides humana, non aliquis alius articulus, neq; Eccleſia, eſt ratio per quam principijs credimus, ſed ſola Dei dicentis auctoritas. Verum tamen eſt, quod Eccleſia ratione eorum, quibus non eſt facta immediate reuelatio, ſe habet tanquam principium proponens, ſine

Sco. 3. d. 24. q. 2. Dur. q. 1. prol.



ne quo non crederetur: qua de re alias diſputabitur fuſius: nunc breuiter hanc concluſionem probabimus, quæ hoc loco tanquam fundamentum, eorum quæ ſtatuenda ſunt, a nobis ponitur. Probatur igitur hac vnica ratione. Nam, ſi hæc, quam diximus, non eſt prima credendi ratio, vel eſt fides humana, vt aliqui volunt; & hoc dici non poteſt; quia ſequeretur Chriſtianę fidei poſſe ſubeſſe falſum: Vel eſt ipſe habitus fidei, vt alijs placet; neque hoc eſt verum; quoniam, fides innititur auctoritati alicuius dicentis, in quo differt ab opinione, & ſcientia; ergo habebit pro medio aliquã auctoritatem: Tunc ſic vrgeo, hæc auctoritas non eſt auctoritas Eccleſię, ſiue aliquis alius articulus, puta Eccleſiam regi a Spiritu ſancto, vt quibuſdam placuit, quoniam etiam iſta cadunt ſub fidem, & debent aliquam rationem habere, qua credantur: reſtat igitur, vt nos credamus, quia Deus dixit, vt verior docet Scholaſticorum opinio: quamuis, vt diximus, neceſſe eſt, vt Eccleſia quæ ſint credenda proponat: in quam Eccleſiam fit fidei reſolutio, vt in cauſſam proponentem. Secunda concluſio: Euidentia principiorum Theologiæ ex parte luminis reuelantis, ac etiam Dei dicentis, ex ſe, eſt multo maior, quam euidentia cuiuſcunque ſcientię: Hoc eſt, ſi ſpectemus lumen cui innituntur, & vnde pendet veritas iſtorum principiorum, poſſunt hæc principia eſſe longe notiora, quam quod humano cognoſcitur lumine.

Duran. Gerſ.

Scot. 3. S. d. 23. D. Thom. Almain. Marſ. 3. S. q. 14.

ne. Nam cum lumen intellectus humani ſit participatio quædam naturalis, luminis diuini, multo minus rem aliquam manifeſtare poterit, quã diuinum ſupernaturale. Itaque ſicuti maior eſt euidentia luminis primorum principiorum, quã luminis cuiuſcunque ſcientiæ; ita longe maior, ex ſe, eſt euidentia luminis fidei, quam luminis humanæ ſcientiæ. Sed hac de re plura inferius libro quarto capite vndecimo, cum de certitudine principiorum ſacræ Theologiæ fuſius a nobis diſputabitur: cum eadem fere ſit quæſtio de certitudine, ac de euidentia alicuius habitus, vel ſcientiæ. Tertia concluſio: Nullus fidelis, via ordinaria, habet euidentiam veritatis articulorum fidei, nec in ſe, nec in alio, nec in vniuerſali, nec in particulari. Quod nos non habeamus euidentiam veritatis in ſe, patet: quia non videmus, quæ credimus: adde etiam, quod iſta euidentia excluderet fidem, vt patet in beatis. Quod articuli non ſint euidentes in alio, nimirum quia euidens eſt Deum eos reuelare, iuxta ea, quæ in notandis diximus, patet: quoniam, via ordinaria, nemo habet hanc euidentiam, quod Deus dicat, ſeu reuelet, ſed id nobis eſt obſcurum. Huc etiam facit, quod cum fides debeat eſſe obſcura, non fuit neceſſaria talis euidentia. Vnde colligitur Theologiam non eſſe ſcientiam euidentem: quia euidentia habetur
Cor.5. ex principijs: ſed hæc non ſunt nobis euidentia, vt patet ex dictis: & vt Paulus ait, videmus

per



per ſpeculum in ænigmate, igitur. Quarta concluſio: Non videtur impoſſibile, quod habeatur euidentia principiorum Theologiæ, non in ſeipſis, ſed per aliquid extrinſecum: vt ſi alicui euidens eſſet, Deum ea reuelaſſe. Poteſt itaque Deus alicui facere notum ſe reuelare, per quod fieret euidens articulorum veritas, non in ſe, ſed in alio, cũ Deus mentiri nequeat. Etenim, ſi id fieri non poſſet, eſſet ex eo, quia non poſſet eſſe euidens, Deum reuelare, & loqui abſq; eius viſione: ſed hoc non obſtat: quia, huius propoſitionis, Deus eſt, habetur euidentia demonſtrationis, & tamen Deus non videtur: ergo ſimiliter, hæc propoſitio, Deus hæc reuelauit, poterit per aliquod medium, & lumen eſſe euidens. Quare, & ſi euidens eſſet Deum dicere, Chriſtum eſſe Deum, & hominem; tamen hoc non videretur, ſed eſſet obſcurum, & adhuc remaneret hic ratio fidei, cum euidentia teſtimonij. Quincta concluſio: De facto, talis euidentia non reperitur in nobis, neque in ijs, qui doctrinam reuelatam immediate a Deo acceperunt, fuiſſe arbitramur. De nobis res eſt manifeſta, quia quiſque experitur ſe talem euidentiã non habere, ita vt clare videat Deum in ſe loquentẽ. De alijs, vt breuiter id nunc dicam, quod alibi latius diſputari debet, ideo id mihi perſuadeo, quia poſita tali euidentia, eorum fides, ſi fides cum tali euidentia eſſe poteſt, non fuiſſet magni meriti, quod tamen falſum eſſe videtur: cum in

illis

illis eiuſmodi fuerit fides, quæ multum merebatur. Sexta concluſio: Lumen fidei ex ſe, ſuaq; vi, efficit euidentiam credibilitatis in animis fidelium. Quoniam hoc donum, & a ſacris literis, & a ſanctis ſcriptoribus, vocatur lumen, & lux: quare aliquam euidentiam & claritatem, inſtar luminis, debet producere: ſed vt eſt probatum, non efficit euidentiam veritatis; efficiet igitur euidentiam credibilitatis. Quare, licet intellectus hominis fidelis non videat per hoc lumen principia Theologiæ eſſe euidenter vera; videt tamen eſſe euidenter credibilia. Propterea de hoc lumine aliquādo hæc vaticinatus eſt Iſaias: Surge, illuminare Ieruſalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplēdore ortus tui. Septima concluſio: Conueniens fuit, vt fideles haberent aliquam euidentlam rerum reuelatarum. Nam cum Deus ſua myſteria reuelauerit hominibus, quos rationis fecerat participes, cōgruum ſane fuit, vt ſuauiter ad credendum eos traduceret, ne viderentur temere credere: quod factum eſt, prębendo aliquam eorum, quæ reuelauit, euidentiam. Rationes autem quibus demonſtratur hæc euidentia, afferentur poſtea a nobis inferius libro quarto capite duodecimo. Circa ea, quæ dicta ſunt occurrunt hoc loco dubitationes quædam.

Eph. 2. 2. Cor. 4. Aug. epi. 85.

Cap. 60.

Aug. ad ſimplic. q. 2.



Prima, multis in locis diuinæ ſcripturæ docetur in fidelibus eſſe euidentiam; vt cum dicitut, Omnis qui peccat non vidit eum, nec cognouit eum: Guſtate & videte, quam ſuauis eſt Dominus: Sicut audiuimus, ſicut vidimus in ciuitate, &c. Hæc & alia id genus loca, intelligenda ſunt de quadam euidentia, quæ habetur per guſtum ſpiritualem, quam ſentiunt viri pij, & religioſi: vel etiam de euidentia credibilitatis, non autem de ea, quæ habetur per diſcurſum. Secunda dubitatio, euidenter demonſtratur Deum eſſe, eſſe bonum, ſimplicem, & æternum, at iſta cadunt etiam ſub fidem; igitur de his quę fidei ſunt, haberi poteſt euidentia. Hæc ratio ſolum euincit harum rerum haberi euidentiam, prout per demonſtrationem ſciuntur: non autem, vt probantur ex principijs reuelatis. Tertia dubitatio, lumen theologicum maius eſt, quam lumē fidei, quod eſt in idiota, ergo, licet in idiota non ſit euidentia, tamen in Theologo eſſe debebit, ob maioris luminis vim. Ad hanc dubitationem reſpondentes, duo dicimus. Primum, lumen fidei eſſe longe perfectius, quā lumen theologicum: primo ex parte cauſſæ efficientis: quia illud eſt a ſolo Deo ſupernaturaliter, hoc vero ab homine naturaliter: deinde, quia theologicum pendet a lumine fidei, & illud ſupponit: poſtremo, illud eſt veluti habitus primorum principiorum, hoc vero eſt habitus concluſionum: at habitus principiorum

1. Ioan. 3. Pſal. 33. Pſal. 47.

cipiorum ex Ariſtotele, eſt quid præſtantius, quã habitus concluſionum, igitur. Deinde, dicimus lumen theologicum eſſe quidem maius, & perfectius, quia eſt coniunctum cum lumine fidei, & licet habeat maiorem quandam euidentiam credibilitatis, ac etiam plures concluſiones in principijs videat: tamen ſemper habet obſcuritatem, cum etiam theologus videat per ſpeculum in ænigmate. Quarta dubitatio, habitus theologiæ manebit in patria, ergo non habet obſcuritatem, ſed euidentiam: conſecutio eſt manifeſta: quia in patria, quod eſt obſcurum, ſicuti eſt fides, non manet. Quid de hac re ſentiendum ſit, dicam infra capite decimo, vbi plene propoſitæ ſatisfiet dubitationi.

## *Explicatur ac refellitur opinio quædam de ſubalternatione Theologiæ. Cap. VIII.*

CVM multa, & non ſatis clare, & fortaſſe nõ ad mentem ſancti Doctoris, a domino Caietano de ſubalternatione noſtrę Theologiæ ſub Theologia beatorum, ſuper hoc articulo diſputentur; operæ pretium eſſe duximus, illa planius exponere, vt & quod nos dicturi ſumus, & veritas ipſa percipiatur melius. Quæ igitur a docto viro hic diſputantur, ad tria capita reuocari poſſunt. Primum caput, quo affirmat noſtram Theologiam eſſe perfecte ſubalternatam Theologiæ beatorum, quod ſic explanat. Scientia diſcurſiua in hoc conſiſtit, vt ſit cognitio alicuius rei manifeſta, ſed per aliud principium: ac ſi clare diceres, eſt cognitio concluſionis habita per cognitionem claram alicuius principij noti. Hoc autem bifariam contingere poteſt: vno modo, quando illud principium notum cognoſcitur in illa ſcientia, in qua cognoſcitur concluſio: vt accidit in Geometria, quæ cognoſcit concluſiones per ſua principia propria: altero modo, quando illud euidens principium notum eſt in alia ſcientia, qua ratione Perſpectiua cognoſcit concluſiones ſuas per principia nota in Geometria. Ex hac concluſionum cognoſcendarum varietate oritur duplex ſcientia, altera ſubalternans, altera ſubalternata: illa reducit ſuas concluſiones ad ſua principia per ſe nota, propria: hæc vero ad principia per ſe nota, ſed non ſua, neque nota ſibi. Itaque ſubalternans ex principijs proprijs & per ſe notis procedit ad probandas ſuas concluſiones: ex quibus concluſionibus, ſubalternata, tanquam ex quibuſdam principijs deducit alias particulares concluſiones; ita vt concluſiones ſuperioris, ſint principia inferioris ſcientiæ. Ex hac doctrina tria inferuntur: Primum, cum cognitio concluſionis eatenus ſit ſcientia, quatenus cõtinetur in principio per ſe noto, & ex illo deducitur, fit, vt nunquam ſcientia ſubalternata dicatur ſcientia perfecta, quouſque coniungatur cum ſubalternante: quia cũ principia ſubalternatæ ſint concluſiones ſubalter-

alternantis, nunquam habebit principia nota, niſi cum illa coniungatur. Opus eſt igitur, vt ſubalternata cum ſubalternante copuletur,ſi debet eſſe perfecta ſcientia. Alterum eſt,quod iſta principia ſcientiæ inferioris duobus modis poſſunt eſſe cognita: altero quidem per demonſtrationem,per habitum ſcientiæ ſubalternantis; & hic eſt modus per ſe cognoſcendi huiuſmodi principia: altero vero per fidem,ſeu opinionem accipiendo illa a ſuperiore ſcientia: & hic modus cognoſcendi talia principia eſt per accidens, cum de illis poſſit haberi ſcientia. Quo fit, vt ſubalternata poſſit eſſe ſimul cum ſubalternante, immo debeat eſſe, ratione cognitionis propriæ principiorum:ratione vero cognitionis impropriæ, non ita:quia non habet fidem, ſed demonſtrationem, qua adueniente tollitur fides. Tertium quod infertur, eſt, ad ſcientiam ſubalternatam id tãtum eſſe neceſſarium,vt ſua principia ſint nota in alia ſcientia; quod autem demonſtrentur,id eſſe per accidens,& ratione materię, quatenus ſcilicet demõſtrari poſſunt:quod ſi non poſſent,& tamen eſſent nota in ſuperiore ſciẽtia, adhuc remaneret ſubalternationis ratio. Vt ecce, ſi Geometria non eſſet diſcurſiua, ſed omnes ſuas propoſitiones per ſe notas haberet, adhuc Perſpectiua eſſet ſubalternata Geometriæ. Et hæc de primo capite. Secundum caput,in quo varie diuidit Theologiam. Theologia duplex eſt: vna eſt Theologia ſecundum ſe, altera



altera ſecundum nos: Theologia ſecundum ſe eſt illa ſecundum quam Deus cognoſcitur,quantum cognoſci poteſt: & hæc,eſt ſcientia Dei infinita,ſecundum quam ipſe ſeipſum perfecte cognoſcit:quo pacto a nullo alio cognoſcitur,cum nemo ſit,qui Deum cõprehendere poſſit. Theologia vero ſecundum nos, ſiue noſtra, eſt participata cognitio Dei, quæ reperitur in creaturis: & hæc eſt duplex,altera beatorum,altera viatorum: Illa eſt ſcientia beatifica, quam habent beati, & ſpeciatim articulorum fidei, quos clare vident in eſſentia diuina: hæc eſt cognitio concluſionum deriuatarum ex articulis fidei, quam cognitionem nos viatores habemus. Hæc rurſus duplex eſt; altera eſt ſecundum ſe, quæ abſtrahit ab hoc, quod principia ſint, vel clare, vel obſcure cognita: altera eſt in viatore, quatenus procedit ex principijs per fidem cognitis. Itaq; ex ſententia domini Caietani quattuor ſunt Theologiæ: prima Dei,ſecunda beatorum, tertia theologia noſtra in ſe, quarta eadem theologia, vt eſt in nobis. Ait etiam Theologiam noſtram,ſecundum ſe, eſſe veram ſcientiam, cum ſit cognitio concluſionum ex principijs. Affirmat etiam, eſſe vere ſubalternatam: cum ipſius principia nota ſint in ſcientia beatorum: non quod in ea demonſtrentur: quia, vt dictum eſt, accidit principijs alicuius ſcientiæ,quod demõſtrari poſſint. Vt autem eſt in nobis,eſt imperfecta ſcientia; cum procedat ex obſcuris: eſt tamen

R men

men perfecte ſubalternata, cum eius principia nota ſint in theologia beatorum. Denique ait, horum principiorum, per ſe, eſſe ſcientiam beatam: quia ſcientia beata poteſt eſſe cum ſcientia concluſionum: fides vero eſt habitus per accidens, vt eſt dictum in ſecundo corollario: quo fit vt Theologia, quæ eſt in nobis, ſub hac ratione, non ſit copulata cũ Theologia beatorum. In tertio capite conatur dominus Caietanus oſtendere tres Theologias, eas nimirum, quæ ſunt in creaturis, habere tria obiecta diuerſa, quod omnino neceſſarium eſt ad oſtẽdendum eſſe varias ſcientias, & vnã ſubalternari alteri. Ait ergo Deũ clare viſum eſſe obiectum Theologiæ beatorũ, Deum obſcure viſum eſſe obiectum Theologiæ noſtræ, vt in nobis eſt; Deum deniq; reuelatum, abſtrahendo ab obſcuro & claro, eſſe obiectum Theologiæ noſtræ ſecundum ſe conſideratæ. Et licet in omnibus his Theologijs ratio formalis ex parte rei, vel ratio quæ attingitur in obiecto, ſit Deus, vt Deus: tamen ratio formalis ſub qua, eſt diuerſa: quia ſunt diuerſa lumina, ſub quibus idem obiectum formale cognoſcitur: & hęc ratio ſufficit ad diſtinguendas has ſcientias, ſiue has tres Theologias. Et hæc ex domino Caietano. Hæc, quæ a viro docto diſputata ſunt, ſi quis vellet, hunc in modum labefactare poſſet. Primum, diſtinctio illa Theologiæ noſtræ ſecũdum ſe, & vt eſt in nobis, non videtur vera: nam Theologia ſecundum ſe, vel procedit ex principijs



pijs notis ſecundum ſe, vel non, ſed abſtrahit a noto, & obſcuro: ſi primum dixeris, iam non habebis Deum pro obiecto ſub lumine abſtrahente a claro & reuelato; ſed potius obiectum erit Deus clare cognitus: Si vero ex principijs abſtrahentibus ab vtroque lumine, ſequitur Theologiam ſecundum ſe conſideratam non eſſe ſcientiam perfectam; quia cum abſtrahat a cognitione clara, abſtrahet etiam a ſcientia perfecta. Rurſus, ſequeretur hanc Theologiam eſſe cognitionem quandam ſuperiorem Theologia beatorum, & noſtra: quia illi habent ſciẽtiam concluſionum claram, & nos obſcuram. Quare iſta Theologia, vt eſt in nobis, latius pateret, ſi ab vtroque lumine abſtraheret. Item, ſequeretur Theologiam noſtram imperfectam non poſſe dici ſcientiam: quia non eſſet ſubalternata ſcientiæ beatorũ, quæ eſt cognitio principiorum. Quod ſi dominus Caietanus diceret, Theologiam noſtram ſecundum ſe, eſſe eã, quam habent beati de concluſionibus, verum diceret, & hoc nos ſupra diximus, cum docuimus Theologiam ſecundum ſe eſſe ſcientiam, cum beati concluſiones ſciant, & euidentiam principiorum habeant: ſed tunc, Theologia ſecundum ſe, non haberet pro obiecto Deum ſub lumine abſtrahente a claro, & obſcuro; ſed potius Deum clare viſum. Rurſus, contra eandem Theologiam ſecundum ſe conſideratam, ita vrgeres. Si obiectum huius Theologiæ eſt Deus,

vt abſtrahit a lumine claro, & obſcuro, iſta Theologia conſideraret omnia, quæ ſub iſto lumine continentur, cum hæc ſit eius adæquata ratio: & ita conſideraret omnia, quę vel clare, vel obſcure cognoſcuntur, ac proinde tractaret etiam articulos, quod eſt falſum. Poſtremo, talis diſtinctio, videtur conficta pręter mentem diui Thomæ, qui non loquitur de Theologia ſecundum ſe, ſed de ea quæ eſt in nobis, & vt eſt in nobis. Quare, qui vult diſtinguere Theologiam ſecundum ſe, & vt eſt in nobis, ſic debet Theologari. Theologia ſecundum ſe, & quæ eſt perfecta ſcientia, eſt cognitio concluſionum, quæ reperitur in beatis: & diſtinguitur a ſcientia beatorum, cum ſit tantam cognitio concluſionum articulorum fidei; cuius obiectum, eſt Deus clare viſus, mediante lumine principiorum claro, & perfecto. Verum, vt poſtea latius dicam, non propterea videtur eſſe alia Theologia a noſtra, ſicuti cognitio concluſionum, & principiorum, quæ licet duæ ſint cognitiones; tamen vnam faciunt ſcientiam. Quod autem ſpectat ad id, quod dominus Caietanus de vera ſubalternatione ait, ſequenti capite dicemus.

### *Quid de ſubalternatione Theologiæ ſentiendum ſit. Cap. IX.*

VT quid de ſubalternatione noſtræ Theologiæ ad Theologiam beatorum ſentiendum ſit, plane explicemus, nonnulla notanda nobis



nobis præmittenda ſunt. Primum, ex ijs, quæ docentur in Logica, notandum eſt, quattuor eſſe conditiones, quæ ad veram & perfectam ſubalternationem ſunt neceſſariæ, quamuis a quibuſdam ſolum tres numerentur. Prima conditio, vt ſubalternatæ ſubiectum contineatur ſub ſubiecto ſubalternantis, cum aliqua additione, a qua contrahatur: Vt in Perſpectiua, linea, prout ſub viſum cadit: quam lineam Geometria ſine vlla contractione conſiderat. Itaque ſubalternans & ſubalternata diuerſa habent obiecta, ſed tamé ita diuerſa, vt vnum contineatur ſub alio. Secunda conditio, illa differentia, quæ ſuperadditur, debet eſſe alterius generis a ſubiecto, cui additur: ob quam cauſſam ſcientia de ſpecie non eſt diuerſa a ſcientia de genere, ſed ambæ vnam perfectam conficiunt ſcientiam. Tertia, iſta differentia non debet fluere ab ipſo ſubiecto, cui additur: alias enim ſcientia de paſſionibus, ſeu proprietatibus alicuius ſpeciei, cenſeretur ſubalternata ſcientiæ de ſubiecto, a quo illa paſſio fluit; quod eſt falſum, cum iſtæ duæ notitiæ vnam & eandem ſcientiam conſtituant. Quarta, Scientia ſubalternans debet probare principia ſubalternatæ; ita vt de illis demóſtret propter quid ſint. Exempli gratia, Perſpectiuus ſupponit lineas parallelas non concurrere, quod principium demonſtrat Geometra; quo ſuppoſito, rationem reddit, cur ſi a longe ſpectentur, non videantur æqualiter diſtare. Et hæ ſunt

Lege Ægid. q. 4. prol. Io. de Baſ. q. 6.

Alber. 1. poſt. c. 13. conditiones, quæ ad perfectam ſubalternationem neceſſariæ putantur. Secundum notandum, tria ſubalternationis genera, ſi vniuerſe loquamur, aſſignari poſſunt: vnum ratione finis, cum finis vnius artis inferioris dirigitur ab arte superiore: quo modo ars quæ conficit fręna, dirigitur ab equeſtri, a qua docetur cuiuſmodi fræna eſſe debeant. Ad quam ſubalternationem requiritur, vt vtraque ars ſit actiua: quia ſi ſuperior eſſet ſpeculatiua, non eſſet vera ſubalternatio: & ita militaris ars non eſt ſubalternata ſcientiæ ſpeculatiuæ. Alterum ratione principiorum, cum inferioris ſcientiæ principia probantur a priori in ſcientia ſuperiore. Tertium, ratione obiecti, & in hoc genere, cum adſunt allatæ cõditiones, perfecta conſtituitur ſubalternationis ratio. Vnde colligere licet, duplicem eſſe ſubalternationem: alteram perfectam, quæ habet conditiones iam dictas: alteram imperfectam, quæ eſt, vel ratione directionis quantum ad finem, vel ratione probationis principiorum, quo modo omnes ſcientiæ humanæ ſubalternantur Metaphyſicæ, quæ omnium ſcientiarum principia probat: vel etiam ratione euidentiæ, cum eſt vna & eadem ſcientia, ſed in vno eſt obſcura, in alio vero clara: vt Geometria in magiſtro, & in diſcipulo, cui non eſſent declarata principia: in quo eſſet Geometria imperfecta, & obſcura fide humana fundata: quo modo noſtra Theologia dici poteſt ſubalternata Theologiæ beatorum,

Ariſt. li. 1 Eth. c. 1.



rum, cum vtriuſq; Theologiæ eadem ſint principia, eædem concluſiones, & eadem formalis ratio: ſed in beatis eſt clara, in nobis vero obſcura. Vel denique imperfecta ſubalternatio eſſe poteſt, ratione perfectionis, vt ea ſcientia dicatur ſubalternans, quæ eſt perfectior, ad quam aliæ aliquo modo ordinantur. Tertium notandum, ex doctrina diui Auguſtini, in beatis duplex eſt cognitio: altera quæ dicitur veſpertina, per quá cognoſcunt res ſecundum proprias ſpecies, altera matutina, qua cognoſcunt eſſentiam diuinam, & in ea tanquam in limpidiſſimo ſpeculo vnico intuitu, ſine vllo diſcurſu, & varietate vident creaturas; in qua cognitione vita beata ſita eſt: quæ ſcientia eſt eminentiſſima, per quam principia & concluſiones ſimul cernũtur. Cognitio veſpertina duplex eſt, altera naturalis, per quam cognoſcuntur principia quædam, ex quibus concluſiones colliguntur: quæ in beatis permanet, ſicut notitia naturalis permanſit in dæmonibus: ad quam reduceres eam ſcientiam, quæ in hac vita acquiritur, & in alia perſeuerabit. Altera eſt notitia rerum omnium ſecundum proprias ſpecies quam, vt aliqui volunt, Deus infundit omnibus beatis, ſicuti Adamo, & Salomoni infudit: quam aliqui non putant ponendam eſſe. Verum, quidquid de hac re ſit, beati lumine gloriæ illuſtrati & corroborati, cognoſcunt quædam principia ſupernaturalia in Deo, & ex illis concluſiones deducunt, quas per

Lib. 4. ſuper Gen. ad lit. c. 22.

propriaſ ſpecies cognoſcunt, & hæc cognitio proprie eſt theologia beatorum, per quam ipſi clare intelligunt, quæ nos hic obſcure percipimus. Ex quibus colligere licet, triplicem eſſe in beatis Theologiam, vnam qua omnia in Verbo viſione beatifica vident: aliam, quam hic acquiſiuerunt, quæ remanebit in patria, verum hæc non erit in omnibus: tertiam, quæ, vel infunditur de nouo, aut certe ex principijs ſupernaturaliter, & clare cognitis intellectu beati cōficitur. Hac ſuppoſita diſtinctione, placet hoc loco adnotare, quid dominus Caietanus, de viſione, qua aliquis dicitur beatus, exiſtimauerit, cum id ad hāc materiam in qua explicanda verſamur nonnihil pertineat. Exiſtimauit itaque doctus, & acutus vir, ſcientiam beatam ſolum conſiſtere in cognitione eorum, quę Deo inſunt, hoc eſt in viſione attributorum diuinæ eſſentiæ; non autem in cognitione creaturarum: quo poſito, certum eſt, theologiam concluſionum quæ eſt in nobis eſſe a beata ſcientia diſtinctam, cum noſtra Theologia etiam creaturarum cognitionem includat. Sed tamen dicendum omnino eſt, beatos cognitione beatifica videre etiā creaturas, non vt in ſe ſunt, ſed vt repræſentantur in eſſentia diuina: quoniam beatus non poſſet diuinas perfectiones cernere, niſi etiam creaturas in Deo videret: ſiquidem vna, & maxima eſt Dei perfectio, vt omnium in ſe rerum contineat perfectiones. Quare, omnipotentia, ſapientia, boni-



bonitas, & prouidentia diuinā non viderentur, niſi etiam creaturæ, vt in Deo exiſtunt, cernerentur. Quo fit, vt ſcientia beata, non ſit alterius obiecti, quam noſtra Theologia. Etenim beatus, per ſcientiam beatam cognoſcit concluſiones noſtræ Theologiæ, quod etiam Caietanus fateri debet, vt in materia de videndo Deo latius demonſtrabitur. Nam, cum ad beatitudinem pertineat clara notitia eorum, quæ hic per fidem credimns, cum in articulis nō ſolum quæ ad diuinam naturam pertinent, vt Deum eſſe vnum, omnipotentem, materiæ expertem, &c. ſed etiam, quæ ad creaturas, vt Chriſtum eſſe paſſum, mortuum, ſepultum, & huius generis alia, profecto fatendum eſt, iſta etiam per viſionem beatam in Deo videri: Alias enim, beatus ſolum ea cerneret, quæ ad vnum, vel alterum articulum pertinerent. Quare dicendum eſt, ſcientiam beatificam continere etiam creaturarum cognitionem, vt ſunt in eſſentia diuina. Poſtremo notandum eſt, de hac difficultate fuiſſe varias ſententias. Aliqui enim exiſtimarunt Theologiam noſtram non eſſe perfecte ſubalternatā Theologiæ beatorum; & eſt communior ſcribentium ſententia; & ſpeciatim Ægidij, Scoti, & Durandi. Alij vero, inter quos Capreolus, & dominus Caietanus, contra ſentiunt, & putant eſſe opinionem diui Thomæ. Nos his concluſionibus huic difficultati breuiter reſpondemus. Prima concluſio: Theologia noſtra non eſt vere,

re,& perfecte ſubalternata Theologiæ beatorũ. Primũ, ſcientia ſubalternata debet habere obiectum diſtinctum a ſubalternante: at iſtæ duæ Theologiæ habent formaliter idem obiectum, vt diximus, & poſtea clarius docebitur, ergo. Vnde errat Capreolus dicendo, ideo ſubalternari, quia habent obiecta diſtincta, ſcilicet clarum, & obſcurum, cum iſta conditio non ſit ita intrinſeca, vt faciat diſtinctionem ad ſubalternationem neceſſariam. Deinde, ſcientiæ quarum altera eſt ſubalternans, altera ſubalternata, tractant concluſiones diuerſas, vt patet in Geometria, & Perſpectiua: ſed hæ duę Theologiæ conſiderant eaſdem concluſiones: non erit igitur vere & proprie inter eas ſubalternatio. Præterea, ſubalternãs probat principia ſubalternatæ, ob quam cauſſam priuatim ponitur ſubalternatio vnius ſcientiæ ad aliã, quia vna recipit principia probata ab alia: at Theologia beatorum non probat per aliquam demonſtrationem, & cauſſam articulos fidei, quæ ſunt principia Theologiæ noſtræ; non igitur erit inter eas vera ſubalternatio. Neque videtur valere hoc refugiũ, ſi dixeris per accidens eſt, quod principia demõſtrentur, quia ſi ſubalternans non probaret illa principia, reſpectu illorum non eſſet ſcientia, ſed habitus principiorum, ſiue intellectus: intellectus autem, non facit ſubalternationem. Adde etiam, quod nunquam diuus Thomas dixit eſſe proprie ſubalternatam, ſed eſſe inferiorem, & parti-



participationem quandam Theologiæ beatorũ. Secunda concluſio: Theologia beatorum non eſt proprie ſuperalternata, ſecundum conditiones allatas Theologiæ diuinæ. Quoniam hæ duæ theologiæ nõ habẽt diuerſa obiecta, nec diuerſas rationes formales. Tertia concluſio: noſtra Theologia poteſt aliquo modo dici ſubalternata Theologiæ Dei, & beatorum, ob has cauſſas. Primum, ratione finis: quia noſtræ Theologiæ cognitio ordinatur ad claram viſionem Dei. Deinde, ratione ſcientis, ſeu ratione cognitionis principiorum: cum noſtra cognitio tandem reſoluatur in claram cognitionem beatorum: qui ſe habent tanquam teſtes oculati, ad eam cognitionem, quæ habetur ex auditu: Huc facit illa diuinæ ſcripturæ ſententia qua dicitur, Nos eſſe tanquam diſcipulos Dei: & Chriſtus ea nobis manifeſtauit, quæ ipſe accepit a Patre. Et ideo Angelicus Doctor hanc ſubalternationem explicauit exemplo a diſcipuli & magiſtri doctrina ſumpto. (qõ.14. de ver. ar.10.) Poſtremo, poteſt dici ſubalternata ratione perfectionis, vt ſequenti concluſione dicam. Vltima concluſio: Cognitio beatifica eſt ſcientia eminenter ſubalternans, reſpectu cuiuſcunque ſcientiæ naturaliter acquiſitæ. Nam, omnia omnium ſcientiarũ principia in tali ſcientia habent rationem ſuperiorem, & manifeſtiorem, tanquam in ſuprema ſcientia. Atque de ſubalternatione hactenus.

An

## *An habitus Theologiæ maneat in patria.* *Cap. X.*

QVONIAM vero non ſemel ſuperius diximus, noſtram Theologiam eiuſdem eſſe rationis cum ea, quam beati habent; poſſet nunc aliquis a nobis illud requirere, an hæc noſtra poſt hanc vitam ſit permanſura in patria: ideo hac de re, breuiter tamen, cum hæc diſputatio non multum emolumenti afferat, in præſentia agemus. Fuerunt autem circa hanc difficultatem duæ oppoſitæ doctorum ſententiæ. Quidā animaduertentes huius doctrinę, vt in nobis eſt, obſcuritatem, vel imperfectionem, exiſtimarunt non manere in patria, cum ibi nihil obſcurum & imperfectum ſit futurum. Ita ſenſit, quidam modernus diui Thomæ interpres in hunc articulum: qui in ſuam ſententiam citat Theophilactum, & Capreolum: affirmat tamen cōtrariam opinionem eſſe probabilem. Eandem ſententiam libenter amplecterentur, ac amplecti deberent ij, qui dicerent Theologiam non eſſe ſcientiam, ſed fidem, vel opinionem. Alij vero conſiderantes obſcuritatem & imperfectionem non eſſe intrinſecam huic ſcientiæ contra exiſtimarunt. Hanc ſententiam ſecutus eſt Franciſcus Victoria, Melchior Cano, & quidam alij: quam nos probabiliorem eſſe exiſtimamus. At vero dominus Caietanus in hac difficultate varius fuit.

In 1. Cor. 13. In prol. 1. ſent. Lib. 12. de loc. the. c. 2.



fuit. Nam, licet aliquando dixiſſet permanere; tamen exponens illa verba diui Pauli, Cum venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt, ſententiam mutauit. Vt autem quid ſentiendum ſit aperiamus, notandum eſt primo, hanc difficultatem non eſſe propriā huius ſcientiæ & habitus, ſed etiam idem ſolere quæri de alijs habitibus ſcientiarum & virtutum: cum in alijs etiam poſſit aliquid imperfectionis notari. Cauſſa autem cur aliquis habitus maneat in patria, duplex eſt: altera, vt ibi exerceatur, ſicuti in via exercetur: quam ob rem caritatis, religionis, & aliarum ſimilium virtutum habitus manebunt: altera, ad ornatum, & ad perfectionem, quo modo manebit habitus temperantiæ, & fortitudinis, ſine vllo actu. Notandum deinde eſt, vnde tota huius dubitationis reſolutio, ni fallor, pendet, ſi noſtra Theologia haberet pro ratione formali auctoritatem diuinam, ita vt per eam ſolam crederet, & ſola auctoritas dicentis eſſet ratio aſſentiendi concluſionibus, & non ratio illa, quæ ſe tenet ex parte obiecti, nimirum Deus, vt Deus eſt, vt poſtea dicetur; tunc profecto ceſſare deberet in patria, ſicuti & fides, & ſpes ceſſant: quia quod videtur, & habetur, non creditur, nec ſperatur. Cum itaque ratio per quam probantur concluſiones ſit ipſa diuinitas, vt infra docebitur, quæ ratio perſeuerabit etiā in alia vita, profecto etiam habitus Theologiæ perſeuerare debebit. Et vt rem hanc planius exponam,

1. Cor. 13 Rom. 8.

ponam, ſi ego noui decem, gratia exempli, veritates de attributis diuinis, quibus diſcurrendo aſſentior, per hanc primam rationem formalẽ, quæ eſt diuinitas, vel Deus, vt Deus eſt, quæ ratio per accidens nunc mihi eſt obſcura; cur eadem ratione poſtea clare apparente, non perſeuerabit, ac perficietur habitus? Quare, ſicuti manet eadem caritas, licet hic ſit imperfecta, cum eius formalis ratio permaneat, cur non etiam noſtra permanebit Theologia? Nec eadem eſt ratio de fide, quoniam fides habet pro medio ſolam auctoritatem dicentis, & propterea obſcuritas eſt ei intrinſeca, quæ cum clara viſione manere non poteſt. His notatis, has ſtatuo concluſiones. Prima concluſio: Qui tenent theologiam habere rationem propriam ſcientiæ, non poſſunt, ſi ſibi conſtare volunt, defendere non manere in alia vita, quæ concluſio his rationibus confirmatur. Primum, quoniam ſecundum iſtos, obſcuritas ſe habet per accidens ad habitũ theologiæ: at ſublato eo, quod eſt per accidens, rei ſubſtantia adhuc permanet, igitur. Deinde, iſti docent noſtram & beatorum Theologiam eſſe eiuſdem ſpeciei, ergo vtraque poterit eſſe in patria. Secunda concluſio: Si dominus Caietanus ſibi conſtare vult, debet fateri Theologiam noſtram manere in patria. Quoniam, vt ipſe exiſtimauit, abſtrahit ab obſcuro & euidenti, ergo poteſt eſſe in patria, vbi erit euidentia, ſicuti eſt in via, in qua eſt obſcuritas. Tertia concluſio:



Si Theologia eſſet opinio, vel fides humana, non permaneret in alia vita. Quoniam hi duo habitus nunquam poſſunt peruenire ad perfectionem ſcientiæ; & dicunt intrinſece imperfectionem, igitur in alia vita, vbi nihil eſt imperfectum, non manebunt. Quarta concluſio: Noſtra Theologia perſeuerabit in patria: quod his rationibus confirmatur. Primo auctoritate diui Hieronymi, qui ſcribens ad Paulinum ait, Talem ſcientiam diſcamus in terris, quæ nobiſcum perſeueret in cœlis: idem ſenſit Heinr. de Haſſia: quorum auctoritati adde communiorẽ Theologorum ſententiam. Deinde, confirmatur ex ijs, quæ diximus in altero notando, & in probatione primæ concluſionis. Poſtea, a ſimili de eo, qui haberet ſciẽtiam Perſpectiuam, qui ſi acquireret ſcientiam ſuperiorem per quam fierent ei principia manifeſta, non amitteret Perſpectiuæ habitum. Ad hæc, in patria manent alia dona Spiritus ſancti, quæ pertinent ad intellectum, quamuis in hac vita non habeant euidentiam, cum de ipſorum ratione non ſit obſcuritas, ergo manebit etiam hæc doctrina. Quinta concluſio: Theologia noſtra manebit in patria, non ſolum ad ornatum & perfectionem, ſed etiam ad exercitationem. Hæc concluſio ex ſe manifeſta eſt. Sed, vt quæ diximus adhuc magis confirmentur, quas aduerſarij pro ſe afferunt rationes, eas diſſoluamus. Prima ratio ſumitur ex auctoritate Pauli dicentis, quod eſt imperfe- 1.Cor.13

perfectũ,& ex parte, debere euacuari: at Theologia eſt imperfecta, quod negari non poteſt, igitur: & augetur vis argumenti, quia inter alia quæ ceſſabunt numerat etiam ſcientiam. Pro

Lect. 3. ſolutione huius rationis lege quæ diuus Thomas in explicationẽ huius loci ſcripſit: nos breuiter ſic reſpondemus. Primum, ſi quidquid eſt imperfectũ deberet ſimpliciter deſtrui, ſeu euacuari, neque ipſa caritas maneret, quod eſt contra Paulum. Non eſt igitur iſta euacuatio abſolute intelligenda. Deinde, hic locus, vt ex ſequentibus patet, intelligendus eſt de habitu fidei, qui euacuandus eſt. Neque Apoſtolus affirmat ſciẽtiam debere deſtrui, ſed cum conditione loquitur, ſiue deſtruetur: ac ſi dixiſſet, ſiue aliæ virtutes debeant ceſſare, ſiue non, caritas nõ

Art. 2. ceſſabit. Secunda ratio, formalis & vltima noſtræ Theologiæ ratio, eſt diuina reuelatio, vt diuus Thomas ſentire videtur: at hæc non perſeuerabit, vt eſt manifeſtum, igitur nec Theologia. Quam leuis ſit hæc probatio, patebit clarius infra, cum agetur de obiecto Theologiæ, nunc breuiter dicimus, reuelationem non eſſe rationem per quam ſcimus, nec enim ingreditur ipſas demonſtrationes, ſed eſt ratio ſub qua aliqua de Deo cognoſcuntur: Quare ſe habet ſicuti abſtractio in ſcientijs humanis. Neque enim noſtra Theologia innititur auctoritati dicentis immediate, ſed rationi formali ſui obiecti, vnde aliquid ratiocinando concludit: ob quam cauſſam



ſam eſt omnino a fide diſtincta. Itaque non reducit ſuas concluſiones in reuelationem, vt in rationem formalem; per quam ſuis concluſionibus aſſenſionem præbeat. Tertia ratio, Theologia generatur per aſſenſus ineuidentes; ergo non poteſt eſſe, vbi eſt aſſenſus euidens: cum euidens, & non euidens ſint oppoſita: vnde aſſenſus noſter ineuidens non poterit fieri euidẽs; ſicuti opinio non poteſt fieri ſcientia. Huic argumentationi occurreres, negando conſequentiam; quia habitus generatus ex aſſenſibus obſcuris poteſt manere adueniente claritate, qua non tollitur habitus acquiſitus, ſed obſcuritas aſſenſus. Quare, licet actus quo quis producit aſſenſum non poſſet fieri clarus; tamen non valet argumẽtum ab actu ad habitum: præſertim, cum aſſenſus idem, qui eſt in hac vita, non perſeuerat in alia. Adde etiã, quod idem aſſenſus qui erat obſcurus poteſt fieri clarus, vt ſi Deus ſtatim infunderet lumen gloriæ ei, qui haberet aſſenſum obſcurum. Quarta ratio, quia, vt communiter docetur, beatis infunduntur habitus omnium ſcientiarum, vt omnia cognoſcant per proprias ſpecies: at ſi maneret theologia acquiſita, fruſtra eſſent duæ theologiæ in eodem ſubiecto, ergo non debet manere habitus acquiſitus. Aliqui negarent dari in beatis theologiam aliquam per ſe infuſam: ſed dicerent illam eſſe acquiſitã per proprios actus: ex eo enim, quod vident eſſentiam diuinam, deducunt concluſiones,

nes, ſicuti & nos facimus: quo fit vt iſta theologia, non differat ſpecie a noſtra: & ſi eſt infuſa, per accidens eſt infuſa, cum poſſit alia via acquiri. Sed ſiue infundatur, ſiue acquiratur, non ſunt ibi duæ theologiæ, quia in eo, qui habet nõ infunditur, vel acquiritur alia Theologia, ſed ea quæ acquiſita fuit perficitur.

*Explicatur doctrina diui Thomæ, quæ habetur in articulo tertio, ac etiam non nullæ dubitationes ſoluuntur. Cap. XI.*

OPTIMA methodo ſanctus Doctor in explicanda Theologiæ natura vtitur. Nam, cum primum probaſſet, dari aliquam doctrinam reuelatam, & deinde, eius naturã quærendo, ſcientiam eſſe docuiſſet; optimo iure tertio loco inueſtigat, an ſit vna ſcientia. Quoniam vbi demonſtratum eſt aliquam doctrinam eſſe ſcientiam, ſequitur neceſſario vt explicetur, an ſit vna, an vero plures. Siquidem aliquæ dantur ſcientiæ, quæ in plures diuiduntur partes, vt patet de Mathematica, quæ in multas ſecatur ſpecies. Quærit ergo diuus Thomas in articulo tertio, An ſacra doctrina ſit vna ſcientia. In quo titulo ſunt duo termini notandi, ſcilicet doctrina, & vna. Doctrina, ſupponit pro tota theologica ſcientia: vna, ſupponit pro vnitate ſpecifica, & ſpecialiſſima, vt dominus Caietanus ait. Vt ſit ſenſus, an Theologia ſit vna ſcientia ſpecie





cie ex parte vnius obiecti ſpecifici. Itaque non eſt hoc loco quęſtio de vnitate ex parte habitus; an ſit ſimplex habitus, an vero plures, ex quibus, propter aliquem ordinem, fiat vnus. Ex hoc articulo colliguntur hæ concluſiones: Prima, ſacra doctrina eſt vna ſcientia: quæ concluſio ſic probatur. Primo, quia in libro Sapientiæ capite decimo, de ea fit mentio, quaſi de vna ſcientia; cum dicitur: Dedit illi ſcientiam ſanctorũ. Secundo, ea doctrina quæ habet vnam rationẽ formalẽ ſui obięcti, eſt vna; quia potentiæ & habitus per obiecta formalia diſtinguuntur, & ab eiſdem vnitatem ſumunt, vt viſus a colore: ſed ſacra doctrina habet vnicam rationem formalem: quia omnia ſub hac vna ratione formali, prout a Deo reuelata ſunt, cognoſcit, ergo. Secunda concluſio: Theologia non agit ęqualiter de Deo, & de creaturis; ſed principaliter de Deo, & de creaturis vt ad Deum, tanquam ad principium & finem, reducuntur. Tertia concluſio: Cum ſacra doctrina ſit ſimilitudo quædam & impreſſio diuinæ ſcientiæ, quæ eſt ſimplex & vna rerum omnium, ad omnia poteſt ſe extendere, conſiderando omnia ſub quadam ratione formali vniuerſaliore: ſicuti ſenſus communis conſiderat obiecta aliorum ſenſuum. Et hæc ſunt quæ beatus Doctor in hoc articulo docet: ad quorum declarationem duæ dubitationes explicandæ nobis ſunt. Prima dubitatio, diuus Thomas aſſignans rationem formalem.

Theologiæ, ait eſſe, reuelabile; ſicuti ratio formalis viſus, eſt coloratum: verum hoc ſimile videtur falſum: quoniam non eodem modo ſe habet reuelatio ad Theologiam, ſicuti color ad viſum: quia color ratione viſus, eſt qui videtur: at vero in Theologia, reuelatio, non eſt quæ tractatur; ſed Deus ipſe, vt articulo ſeptimo docetur, igitur. Huic dubitationi reſpondet dominus Caietanus dicendo, in qualibet ſcientia nos poſſe duo animaduertere: alterum, eſt res, quæ primo terminat actum ſcientiæ: alterum, eſt modus cognoſcendi rem illam. Explico, id dicitur terminare primo actum ſcientiæ, vel potentiæ, quod primo in ſcientia attingitur: vt in phyſicis per ſpeculationem attingitur ens, vel corpus mobile. Modus vero cognoſcendi, eſt ratio quædam, quæ ſe tenet ex parte intellectus; qui alio modo rem apprehendit, quam in ſe eſt: & ita rem ſingularem apprehendit vniuerſaliter: & hic modus alius eſt in Phyſica, alius in Metaphyſica, alius in Mathematica, ſecundum diuerſas abſtractiones. Illud quod primo conſideratur, appellat dominus Caietanus rationem formalem quidditatiuam, & rationem obiecti vt res eſt: modum vero, quo cognoſcitur, rationem formalem ſub qua, vel rationem formalem rei, vt eſt ſcibilis. Hac præmiſſa diſtinctione, dicit vnam ſcientiam diſtingui ab alia per rationem utriuſque, ſcilicet per rationem obiecti formalis, & obiecti ſcibilis: ſed tamen magis



gis per rationem obiecti, ut eſt ſcibile: & hæc ratio in Theologia, eſt reuelatio, a qua, & unitatem, & diſtinctionem habet. Diuus ergo Thomas non magis unam, quam alteram rationem ſumpſit, cum utraque unitatem, & diſtinctionē tribuat. Adde etiam, quod non dum egerat de ratione obiecti, ut res eſt; quod eſt Deus, ut Deus, de qua agit in articulo ſeptimo. Vnde colligitur nullam eſſe in diuo Thoma æquiuocationem, quod aliter ſumatur ratio formalis in exemplo de uiſu, aliter uero in ipſa propoſitione quam probat. Secunda dubitatio, non uidetur uerū, quod diuus Thomas affirmat, ideo Theologiam eſſe diuerſam ſcientiam, quia eſt reuelata: nam ſi Deus reuelaret alicui Geometriam, non eſſet iſta ſcientia diſtincta ſpecie a Geometria acquiſita: ſicuti ſcientia per inuentionem non differt ab ea, quæ a magiſtro traditur. Reſpondetur, duobus modis diuinum lumen, ſiue reuelatio poteſt ſe habere ad concluſiones alicuius ſcientię: altero modo effectiue tantum, producendo cognitionem illam; non ſecus, ac ſe habet lumen naturale in ſcientijs naturalibus: & hoc modo non facit diuerſitatem ſcientiæ. Altero uero modo, tanquam medium aſſentiendi, ita ut ſit ratio per quam aliquid ſciatur; & hac ratione lumen reuelatum parit diſtinctionem ſcientiæ: & hoc reperitur in Theologia, non autem in illa Geometria reuelata, in qua concluſiones non ſcirentur per lumen, tanquam per

S 3 me-

medium,ſed per ſuas cauſſas. At uero in Theologia, reuelatio eſt medium ultimum aſſentiendi; quia aſſentimus concluſionibus propter articulos; articulis uero,quia a Deo reuelati ſunt. Quare, cum reuelatio mutet medium cognoſcendi, eſt etiam cauſſa diſtinctionis ſcientiæ. Et hæc ad explicationem huius articuli dixiſſe uolui. Nunc, quoniam hanc totam materiam latius explicaturi ſumus,quid alij de hac re ſenſerint paucis exponamus. Tractant hanc quæſtionem Scholaſtici in prologo ſententiarum: Albertus q.1.art.3.Ioannes de Baſſolis q.6. Capreolus q.3.Gregorius q.3.art.2. Herueus q.5. Ocanus q.3. principali, Gabriel q.8. Henricus art.6.q.2. ex quibus, alij dicunt eſſe unam ſimplicem ſcientiam alij uero docent non eſſe uná ſcientiam, ſed plures, ut poſtea planius explicabitur. Durandus autẽ quæſtione prima,& quarta tres habitus Theologiæ aſſignat:quorum primus eſt, quo aſſentimus articulis fidei: ſecundus,quo res fidei defenduntur: tertius,quo practice ex principijs reuelatis concluſiones deducuntur: aſſeritq; hos habitus habere diuerſa obiecta, & diuerſa media. Primus habitus diſtinguitur ab alijs, quia eſt infuſus: ſecundus a tertio,quia per ſecundum habitum declarantur, & probãtur articuli, qui ratione huius habitus, ſe habent, ut concluſiones: tertius uero accipit articulos tanquam principia, & ex illis concluſiones deducit. At uero Godofredus quodlib.9.





q.1.ait Theologiam eſſe duplicem:alteram practicam, alteram ſpeculatiuam. Dominus Caietanus ſuper hoc articulo tria hac de re docet. Primum, unitatem ſcientiæ, ſi de humanis loquamur, ſumendam eſſe ab abſtractione a materia,& quia tres ſunt abſtractiones, una a materia ſingulari,altera a materia ſenſibili, tertia ab omni materia,ideo datur tres ſcientiæ, Phyſica, quæ conſiderat res ſenſibiles abſtractas a materia ſingulari, Mathematica, quæ conſiderat res quantas non ſenſibiles, & Metaphyſica, quæ res ſine ulla materia ſpeculatur. A uaria ergo abſtractione ſumitur ſcientiarum unitas. Quæ doctrina ſic explicatur. In obiecto ſcientiæ tria conſiderantur: primum, ratio formalis rei, ut res eſt,exempli cauſſa,ſubſtantia, ut ſubſtantia, corpus, vt corpus: alterũ ratio formalis rei, qua res illa cognoſcitur, ut in phyſicis, corpus, uel ens,ut mobile; quæ ratio ſe tenet ex parte obiecti: tertium ratio ſub qua res obijcitur intellectui, utputa, quatenus uniuerſalis,& abſtracta ab hac, uel illa materia. Quare, cum per hanc rationem res ſint ſcibiles, ab hac etiam ratione ſcientia ſuam unitatem habet. Et quoniam in humanis ſcientijs triplex eſt abſtractio, triplex quoque erit humana ſcientia. Ait ſecundo loco, reuelationem in Theologia ſe habere ſicuti ſe habet abſtractio in humanis: & ideo, ut hæc dat unitatem ſcientiæ, ita & reuelatio: quare Theologia ab ipſa reuelatione una dicetur ſcié-

tia. Nam ſicuti abſtractio eſt ratio ob quam res de quibus humana habetur ſcientia, obijciuntur intellectui; ita reuelatio eſt ratio per quam intellectui obijciuntur res diuinæ. Quare, ſicut in Metaphyſica eſt vna abſtractio ſecundum ſpeciem, & proinde vna eſt ſcientia ſpecifica; ita, quia in Theologia vna eſt ratio reuelationis, ipſa quoque erit vna ſcientia ſpecie. Tertio loco ait, habitum huius ſcientiæ eſſe vnum, & ſimplicem: vt clarius ſequenti capite explicabitur.

*Ponuntur nonnulla fundamenta ad explicandam quæſtionem de unitate Theologiæ.*
*Cap. XII.*

AD explicandam hanc quæſtionem de vnitate Theologiæ oportet aliqua, non ſine vtilitate & neceſſitate, ex ijs quæ docentur in philoſophia repetere, quæ quibuſdam notandis explicabuntur. Notandum igitur in primis eſt, id eſſe vnum, quod eſt indiuiſum a ſe, & diuiſum a quocunque alio; & vnitatem, ſecundum quam aliquid dicitur vnum, eſſe indiuiſionem a ſe, & diuiſionem a quocunque alio. Eſt autem vnitas triplex: prima generica, in qua multæ ſpecies inter ſe differentes conueniunt, ob quam vnitatem dicuntur vnum genere: quomodo brutum & rationale ſunt vnum genere in animali. Secunda, eſt vnitas ſpecifica, in qua, quæ numero ſunt diuerſa, conueniunt: vt ſinguli homines

D.Tho. p. p. q. 11.





nes in vna natura humana, quæ eſt vna ſpecie. Tertia, eſt vnitas numerica, ſecundum quam, quodcunque indiuiduum dicitur vnum. Et cum totidem modis aliqua inter ſe differant, totidem etiam modis aliqua dicentur plura: nimirum, numero, ſpecie, & genere. Notandum ſecundum, Vnitas aliter ſumitur in ſubſtantijs, aliter vero in habitibus & ſcientijs: in ſubſtãtijs ſumitur ab eo, quod eſt in re, & a definitione rei: in habitibus vero, ſi loquamur de numerica, ſumitur ab vnitate ſubiecti, in quo habitus reperitur: quo fit vt tot ſint numero Theologiæ, quot ſunt Theologi. Si vero loquamur de ſpecifica, vel generica, hæ vnitates ſumuntur ab obiecto, circa quod habitus & ſcientiæ verſantur, & quod cognoſcunt: & ideo, ſi obiectum eſt vnum ſpecie, ſcientia etiam erit vna ſpecie, ſi vero eſt vnum genere, ſcientia etiam erit vna genere. Priorem ergo vnitatem, videlicet numericam, habet ſcientia, prout quoddam accidens eſt, a ſubiecto: quia accidens, vt ſic, a ſubiecto habet quod ſit vnum numero: poſteriores autẽ vnitates habet, vt eſt tale accidens, quod in aliqua re externa cognoſcenda verſatur. Et hinc eſt, quod ſcientię definiuntur per obiecta, & per fines, cum ab his ſumant vnitatem, & eſſentiã ſuam, vt talia accidentia ſunt. Notandum tertium, duobus modis aliqua ſcientia poteſt dici vna: altero quidem ratione habitus, cum habitus eſt vna ſimplex qualitas: altero vero, quod

ſit vna per aggregationem, & per ordinem ad vnum finem, & ad vnum obiectum; licet ſit multiplex ratione habitus, ſi non ſit vna ſimplex qualitas. Quare, quæſtio hæc de vnitate Theologiæ, intelligi poteſt, & de vnitate numerica, & de vnitate ex parte obiecti, & de vnitate ex parte habitus, an ſcilicet ſit vna ſimplex qualitas. Ceterum, quod attinet ad vnitatem numericã, conſtat apud omnes, tot eſſe numero Theologias, quot ſunt qui tali habitu ſunt præditi; ſed dubium eſt, an ſit vna ſpecie, vel genere, & an ſit vnus ſimplex habitus, an vero multiplex. Et quod attinet ad hanc partem ſunt duæ inter ſe contrariæ ſententiæ. Nam quidam exiſtimant ſcientias eſſe ſimplices qualitates, quæ ſententia his dictis explicatur. Primum, Theologia, vel ſcientia vniuerſe ſumpta, eſt ſimplex qualitas, & habitus. Secundum, hic habitus producitur per primam demonſtrationem, quæ fit in ſcientia. Tertium, aliæ demonſtrationes ſequentes non producunt nouum habitum, ſed ſolum extendunt, & augent illum priorem per primã demonſtrationem productum. Nam, licet per primum habitum ita afficiatur intellectus, vt poſſit aſſentiri omnibus concluſionibus, quæ ſunt in illa ſcientia; tamen, quia vltra hunc habitum neceſſariæ ſunt ſpecies intelligibiles ordinatæ ad vnum obiectum formale, quę habentur per demonſtrationes ſequentes; ideo non poteſt intellectus per habitum illum aſſentiri alijs concluſionibus, niſi fiant aliæ demonſtrationes, quibus quodammodo ille habitus redigatur ad actum. Hanc doctrinam quidam clarius explicantes dicunt, ad intelligendum duo eſſe neceſſaria: primum requiruntur ſpecies intelligibiles ordinatæ ad vnum obiectum formale: deinde, aliqua qualitas, qua his ſpeciebus aliquis recte vtatur ad intelligendum ſine errore. Et hæc eſt vna ſcientia ſpecie quando verſatur circa vnum obiectum ſpecie in ratione ſcibilis. Et quia quęlibet ſcientia totalis habet vnum obiectum ſpecie, propterea totalis ſcientia eſt vna ſpecie. Itaque qui habet habitum vnius concluſionis phyſicæ, eſt diſpoſitus ad hoc, vt poſſit aſſentiri omnibus concluſionibus phyſicis; quia ille habitus verſatur circa res eandem rationem ſcibilem habentes. Quartum, per demonſtrationes ſequentes primus habitus non perficitur intrinſece, ſed extrinſece. Quinctum, habitus ſcientię per primam demõſtrationem eſt intrinſece perfectus. His itaque dictis, prima explicata ſit ſententia. Alij vero putant ſingulas demonſtrationes generare ſingulos habitus, & per vnam demonſtrationem totam ſcientiam non eſſe perfecte acquiſitam, ſed per ſingulas demõſtrationes, quæ in ſcientia fiunt perfecte acquiri. Ex quibus colligere licet, eos qui ſunt in priore ſententia affirmare ſcientias eſſe ſimplices qualitates, qui vero ſunt in poſteriore contra, non eſſe ſimplices qualitates: & rurſus, illos exiſtimare



Henr. Capr. Caiet.

Caiet.

Scot. Ocan. Gabr. Greg. Aut. And. 7. met. 3.

mare per vnam demonſtrationem acquiri perfectam ſcientiam; hos vero per plures. Quartum notandum, Modus intelligendi humani intellectus, vt nos docuit Philoſophus, cognoſcendus eſt per analogiam ad modum quo oculus videt: oculus enim & intellectus in operando in aliquibus conueniunt, in aliquibus vero differunt. Conueniunt quidem, quod ſicuti ad videndum opus eſt potentia viſiua, & ſpecie ſenſibili, qua oculus informatus ſtatim producit viſionem; ita, vt mens humana intelligat, eget intellectiua potentia, & ſpecie intelligibili, qua intellectus poſſibilis affectus, producit intellectionem. Differunt vero, quod oculus vna cum ſpecie ſtatim producit perfectam uiſionem, intellectus autem, ut perfecte intelligat, pluribus operationibus, quibus perficiatur, eget. Ratio huius diſcriminis ea eſt, quod oculus habet a natura perfectam uim ad perfecte uidendum; nõ autem intellectus ad perfecte intelligẽdum, niſi accedat exercitatio, & uſus. Rurſus, in eo differunt, quod ſenſus habet modum certum, & non facile expoſitum erroribus inoperando; intellectus uero non ita, ſed intelligendo facile errat. Quo fit, ut duplici perfectione indiguerit: altera, qua recte teneret modum, qui neceſſarius eſt ad cognoſcendum ſine errore, & hãc perfectionem acquirit per ſcientiam Dialectices: altera, qua recte res ipſas cognoſceret, & hanc perfectionem per uarias ſcientias & artes acquirit.

Lib. 3. de anima.



Quare, ſcientia nihil aliud eſſe uidetur, quam quædam qualitas, ſiue habitus intellectus quo recte diſponitur ad prompte, & delectabiliter intelligendas res. Itaque ſcientiæ eſſentia conſiſtere uidetur in quadam recta diſpoſitione intellectus in ordine ad actus ſuos circa uarias res cognitas. Et ideo illa ſcientia dicetur una ſpecie, quæ reddit habilem intellectum ad cognoſcendum unum obiectum ſpecie & una genere, quæ eſt de uno obiecto genere; quamuis hæc etiam ſpecifica uocari poſſit. Hic habitus, ſiue hæc qualitas duas operationes intellectus potiſſimum perfecit, apprehenſionem, & iudicium. Intellectus enim primum apprehendit res, deinde de illis iudicat, aſſentiendo, uel diſſentiendo. Et ſi de rebus recte iudicat, erit uerus, ſi male, erit falſus: uerum tamen eſt, per ſcientiã priuatim iudicium perfici. Itaque ſcientia erit habitus intellectus ipſum ad iudicandum de rebus apprehenſis perficiens. Notandum quinctum, Ad productionem ſcientiæ tria concurrunt; potentia intellectiua, obiectum cum ſua ſpecie, & medium, quo conficienda eſt demonſtratio: quod medium, partim ſe tenet ex parte obiecti, quia debet pertinere ad naturam obiecti; partim uero ex parte intellectus, quia debet eſſe coniunctum cum intellectu, ad hoc, ut producatur ſcientia. Hæc autem omnia hoc ordine, & modo concurrunt. Intellectus producit operationem, operatio uero & obiectum, per medium

medium producunt demonſtrationem, qua acquiritur habitus: quo fit, ut demonſtrationes quæ habent idem medium, producant eundem habitum; quæ uero diuerſa media, diuerſos habitus. Verbi gratia, ſi quis primum demonſtraret de animali poſſe augeri, quia habet animam nutritiuam, deinde idem probaret de homine, per illud idem medium; tunc non produceretur diſtinctus habitus: quia eodem habitu ſcitur hominem nutriri, & animal. Et quamuis ad producendum actum ſcientiæ requiratur habitus; tamen, ad producendum actum cognitionis ſimpliciter, non eſt opus habitu, ſed potentia intellectiua & ſpecie. Vnde colligitur, habitum ſolum requiri ad perfecte intelligendum, & iudicandum. Notandum ſextum, habitus & ſcientiæ ſpeciem ſuam ſumunt ab obiecto, non quocunque modo conſiderato, ſed ab obiecto ſub ratione formali cognito. Quia de obiecto materialiter ſumpto, poſſunt eſſe plures ſcientiæ: vt de homine, naturalis philoſophia, ſcientia moralis, & medicina: & circa unum pomum, ut eſt corpus, plures uerſantur ſenſus, ſed non ſub una eademq; ratione. Eſt autem in aliqua ſcientia triplex ratio formalis. Prima eſt illa per quam res cognoſcitur, quæ ſe tenet ex parte ſcientis, & iſta eſt medium per quod acquiritur cognitio. Vt ſi quis cognoſceret terram eſſe rotundam per demonſtrationem, & fidem; eadem eſſet res cognita, ſed ratio per quam cognoſcitur,

7. Phyſ. c.3.



eſſet duplex; nimirum fides, & demonſtratio. Alia eſt ratio ſub qua res cognoſcitur, & hæc ſe tenet ex parte ſcientiæ: ſub qua ratione res apprehenditur, & ſecũdum quam paſſiones inſunt in ſubiecto, ac etiam varie res definiuntur. Vt in Phyſica mobilitas, & in Metaphyſica entitas: quia in Phyſica omnia conſiderantur vt mobilia ſunt; & ſecundum hanc etiam rationem omnia definiuntur, & probantur in tali ſcientia. Alia eſt ratio formalis, quæ ſe tenet ex parte obiecti, vt res eſt, quæ terminat actum intelligendi: ad quam habitus ſcientiæ, tanquam ad rem ſcitam relationem dicit. Quo fit, vt vbi eſt diuerſus modus obijciendi, ſit etiã diuerſa ratio obiecti. Vnde, idem color, alio modo ſenſui, alio modo intellectui, alio modo voluntati obijcitur: ac proinde variæ ſunt potentiæ quæ circa colorem diuerſo modo verſantur: at diuerſæ ſpecies coloris, vno & eodem modo ſeſe obijciunt, & eadem ratione ſpecifica, ideoq; vna eademq; potentia percipiuntur. Similiter, res vt res, & res vt quanta, & res vt ſenſibilis, vario modo obijciuntur, tribus ſcientijs, ſcilicet Metaphyſicæ, Mathematicæ, & Phyſicæ. Declaratur hæc doctrina de triplici ratione formali, hoc exemplo. Cognoſcitur hominem eſſe corruptibilem, quia eſt compoſitus ex contrarijs. Hæc cognitio eſt ſcientiæ naturalis quæ conſiderat hominem vt eſt ens, vel corpus mobile: & hæc eſt ratio formalis quæ ſe tenet ex

ex parte ſcientiæ: Ratio formalis obiecti eſt ea per quam paſſio iſta ineſt homini, & quæ attingitur in obiecto: quod ſcilicet ſit compoſitus ex contrarijs, vnde ipſa oritur corruptio. Ratio per quam cognoſcitur, eſt demõſtratio, & medium: quia ſcilicet conſtat ex contrarijs. Vbi illud diligenter animaduertendum eſt, paſſiones fluere a rerum eſſentia quodam ordine, ita vt prima ſit ratio ſecundæ, & ſecunda tertiæ, & ſic deinceps: & quamuis omnes demonſtrari poſſint: tamen præcipua demonſtratio eſt de prima, & de alijs
1. Poſt. c.7. in ordinem ad primam. Octauum notandum: Quamuis vna eademq; ſcientia varias res conſideret: tamen, ſi iſtæ res diuerſæ aliquem ordinem & aliquam connexionem inter ſe habeant, poteſt ex illis effici vna totalis ſcientia, ob has rationes. Primo, ratione principiorum: quia, ſi
L. 1. poſt. tex.43. illæ ſcientiæ, vt ſcripſit Ariſtoteles, ſunt diuerſæ, quæ diuerſa habent principia, quæ ijſdem conſtabunt principijs, erunt ſub hac ratione vna ſcientia. Secundo, propter ordinem ad eundem finem, vt inter alios doctores adnotauit Richar-
Quæſt.3. dus; & ex Ariſtotele libro octauo politico capite primo diſcitur: vbi ait, cum vnus ſit finis toti ciuitati, clarum eſt oportere diſciplinam eſſe quoque vnam. Tertio, propter mutuam dependentiam vnius rei cognitæ ab alia. Nam, quæ in aliqua ſcientia cognoſcuntur, ita ſe habent, vt cognitio vnius pendeat ab altera, & vna præcedat, altera ſubſequatur; ita, vt quæ ſequitur,



fiat nota ex antecedenti, & antecedens ex ſubſequenti magis innoteſcat. Quarto, ob ſimilem rationem, ſecundum quam variæ concluſiones ex ijſdem principijs deducuntur: ſicuti multi homines ob vnam rationem viuendi dicuntur vnum. Itaque, ſicut in noſtro corpore partes diuerſæ, quia ſunt inter ſe connexæ & ordinatæ, vnum efficiunt compoſitum, ita plures notitiæ multarum rerum, quæ continentur ſub vno obiecto, vnam conficiunt integram ſcientiam. Vltimum notandum, Scientia, vt communiter ſcriptores docent, duo includit, videlicet multitudinem ſpecierum intelligibilium inter ſe ſubordinatarum, & qualitatem quandam per multos actus acquiſitam, per quam prompte de re cognita diſputamus. Solet tamen dubitari in quo potiſſimum ſcientiæ ratio ſita ſit, an in illa ſpecierũ ordinatarum multitudine, an vero in illa qualitate: & ſane, ſi in illo ſpecierum ordine ſita eſt, non eſſet ſimplex qualitas. Quare, Franc. Zumel. Quæſt.3. prol.
qui defendunt ſcientiam eſſe ſimplicem habitũ, affirmare debent, potius eſſe illam qualitatem, quam ſpecies; quod doctrinæ diui Thomæ, D.Tho. 1. 2. qõ. 54. ar.4. q.20. de ver. ar. 7.
quidquid ſcribat Capreolus, conformius eſſe videtur. Nam ſpecies ſolum neceſſariæ ſunt ad apprehenſionem: ratio vera ſcientiæ conſiſtit in iudicio, quo de rebus ſcitis fertur ſententia: erit igitur ſcientia, habitus ſiue qualitas, qua de rebus iudicamus. Quod ſi interdum beatus Thomas ipſas ſpecies vocat ſcientiam, Caiet.

id non eſt mirum, cum ad rationem ſcientiæ requirantur. Atque de his notandis hactenus.

### *Varijs concluſionibus docetur, quid de vnitate Theologiæ ſentiendum ſit.* Cap. XIII.

EX ijs quæ poſuimus fundamentis, facile nunc erit hanc quęſtionem de vnitate Theologiæ varijs concluſionibus explicare. Statuo igitur pro huius quęſtionis reſolutione has concluſiones. Prima concluſio: Theologia, quantũ ad entitatem ſuam eſt quędam qualitas, & accidens: & ſub hac ratione, vt accidens eſt, ſumit vnitatem ſuam numericam a ſubiecto, in quo eſt. Hæc concluſio eſt ſatis nota: ideo nihil eſt cur pluribus eam probem. Secunda concluſio: Theologię, ut tale accidens eſt, id eſt, quatenus eſt habitus cognitionis, aſſignanda eſt aliqua unitas. Alias enim eſſet quoddam aggregatum per accidens, quod eſt inconueniens. Vt autem, quo modo hęc doctrina ſit una, intelligatur, per aliquot concluſiones uniuerſe demonſtrabo, docendo qua ratione ſcientiæ a ſuis obiectis ſpecificentur. Tertia concluſio: Ratio formalis per quam, quæ ſe tenet ex parte ſcientis, non facit proprie diſtinctionem ſcientiarum; ſed diſtinguit ſcientiam ab alijs habitibus, nimirum a fide, & ab opinione. Nam, ratio formalis per quã acquiritur ſcientia, eſt demonſtratio: ſed in hac conueniunt omnes ſcientię, ergo per hanc rationem



non diſtinguuntur: ſingulæ enim ſcientiæ demonſtratione acquiruntur. Quod autem hæc ratio diſtinguat ſcientiam ab alijs habitibus, patet, quia parit aſſenſum certum & euidentem; qui excludit fidem, & opinionem. Quare, ſi quis ſciret rem per demonſtrationem, & fidem, non eſſent duæ ſcientiæ, ſed vna, de re vna: diſtinguerentur tamen iſtæ duæ cognitiones, vt fides, & ſcientia. Quarta concluſio: Diſtinctio generica ſcientiarum ſpeculatiuarũ ſumitur ab obiecto, vt obiectum eſt, non autem a ratione formali, quæ attingitur in obiecto, id eſt, a re, vt res eſt, ſeu, non a ratione, quæ, ſed a ratione ſub qua. Primum patet hæc concluſio ex Ariſtotele, qui hac ratione diſtinxit ſcientias ſpeculatiuas in naturalem, Mathematicam, & Metaphyſicam, quærens rationes formales obiectorum, quatenus varia ratione immutant intellectum, ad acquirendos iſtos habitus, quod faciunt per diuerſum modum definiendi, magis vel minus abſtrahendo a materia. Deinde, aliquæ ſcientiæ conſiderant vnam & eandem rem, quę attingitur in obiecto: & tamen illæ ſunt inter ſe genere diſtinctæ; ergo generica diſtinctio non ſumitur ab iſta ratione: conſequentia eſt manifeſta: antecedens patet. Nam Aſtrologus & Phyſicus demonſtrant rotunditatem terræ, ſed ille per diſtantiam ſtellarum, qua æque diſtant ab omnibus terræ partibus: hic vero per grauitatẽ. Iſtæ autem ſcientiæ diſtinguuntur genere, & nõ

6. Met. tex. 2.

per rationem, quę attingitur in obiecto, cum res cognita ſit eadem, ergo per rationem formalé, ſub qua: cui rationi varij reſpondent definiendi modi, & demonſtrationes variæ. Quincta conclusio: Ratio formalis ſub qua non facit diſtinctionem ſpecificam ſcientiæ, ſeu ſcientiæ ſpecificæ non habent diſtinctionem a ratione formali ſub qua. Explico, mobilitas, quæ eſt ratio ſub qua omnia tractantur in Phyſica, non eſt ratio per quam diſtinguantur variæ ſpecies & partes ſcientiæ phyſicæ, exempli gratia, ſcientia de cœlo, a ſcientia de anima. Ratio huius concluſionis eſt manifeſta: quia ſpecificæ ſcientiæ in illa ratione communi conueniunt, ſicuti rationale & brutum in animali; ergo per illam rationem non diſtinguuntur. Sexta concluſio: Diſtinctio & vnitas ſpecifica ſcientiarum, non ſumitur ab abſtractione. Nota, abſtractio duplex eſt: altera realis, ſecundum quam vna res eſt magis abſtracta a materia, quam alia; vt anima ſentiens, quam vegetans, & angelus, quam homo: altera quæ fit per intellectum, quam intentionalem vocares: concluſio intelligenda eſt de vtraque abſtractione. Quod ſecunda non faciat diſtinctionem ſcientiarum patet. Primo, quia abſtractio, eſt ſecunda quædam intentio, & a re ipſa prorſus extrinſeca, ergo non poteſt eſſe ratio formalis diſtinguendi ſcientiam. Secũdo, ratio formalis debet eſſe aliquid per quod res quæ ſcitur conſtituatur in aliqua ſpecie, & ab



ab alijs ſecernatur: at id fieri non poteſt per abſtractionem iſtam, igitur. Tertio, alias duæ ſcientiæ, quæ ſpecie differunt, vt Geometria, & Arithmetica non differrent ſpecie: cum habeant eandem abſtractionem, a materia ſenſibili. Quod ſi dicas, differunt ſecundum magis & minus, cum vna ſit magis vel minus abſtracta, quã alia: id, nihil eſt, quoniam magis, & minus non mutant ſpeciem. Quod autem abſtractio realis nõ faciat diſtinctionem, ex eo fit perſpicuum, quia in phyſica dantur res, quæ ſunt magis, & minus abſtractæ, vt patet in gradibus animarum, quarum vna eſt magis abſtracta, quam alia: & tamen ob hanc rationem ſolam non oritur ſcientiarum diſtinctio: & in Metaphyſica conſiderantur variæ res, quæ varie abſtrahunt: vt Deus, intelligentiæ, tranſcendentia, & prædicamenta. Septima concluſio: Diſtinctio, ſeu vnitas ſpecifica ſcientiarum, ſumitur a re, vt res eſt, ſeu a ratione, quæ attingitur in obiecto. Probatur ex doctrina certiſſima Ariſtotelis aſſerentis ſcientias ſecari vt res; ergo penes res diſtinguuntur. Lib. 3. de ani. t. 38. Deinde, ex eo ſumitur diſtinctio ſpecifica ſcientiæ; vnde ſumitur demonſtrationis diuerſitas: ſed hæc ſumitur a rebus, vt res ſunt, igitur. Maior eſt manifeſta, minor probatur. Vnitas, ſeu diſtinctio demonſtrationis ſumitur ab vnitate & diſtinctione principiorum: ſed hæc ſumitur a formali ratione obiecti; quia ratio formalis obiecti, eſt ipſa definitio, quæ eſt medium, &

 prin-

3. de ani. tex.37. & 10.met. principium demonſtrationes, igitur. Præterea ſcientia, & ſcibile, idem ſunt ex Ariſtotele, ergo vbi eſt diſtinctum ſcibile, erit diſtincta ſcientia: ergo diſtinctio ſumitur a re ſcita. Quare ſcientiam diſtingui ex obiecto formali, & ex principijs, idem eſt: quia principium demonſtrationis eſt definitio, quæ eſt ratio formalis obiecti. Octaua concluſio: Diſtinctio & vnitas ſcientiæ, quæ eſt vnius concluſionis, non ſumitur a ratione formali obiecti, ſed ab vnitate paſſionis, quæ demonſtratur. Nam de eodem ſubiecto ſub eadem ratione formali, & per idem medium, poſſunt demonſtrari plures paſſiones: vt de homine per eius definitionem, quod ſit riſibilis, & diſciplinabilis; ergo vnitas ſcientiæ vnius concluſionis ſumetur ab vnitate paſſionis, quæ probatur. Nona concluſio: Habitus ſcientiæ, ſiue ſit habilitas quædam intellectus, ſiue ſint ſpecies, non videtur eſſe quid ſimplex, & vnum in ratione habitus. Primum, cum aliquis acquiſiuit primam demonſtrationem, aut acquiſiuit totam ſcientiam, aut partem: ſi partem, ergo habitus non eſt indiuiſibilis: ſi totam, ſic arguo:

Lib. 2. de ani. t. 55. Qui habet totum habitum eſt in potentia proxima, vt docet Ariſtoteles, ad diſputandum de tota ſcientia: nam potentia proxima eſt ea, ſecundum quam agens poteſt agere quandocunque vult, & non eget tranſmutatione ad agendum: ergo ſi ex prima concluſione habet quis perfectum habitum, poterit ex ſe ſine alia diſciplina





plina ceteras concluſiones cognoſcere: quod eſt contra veritatem & experientiam. Sed reſponderet aliquis, ideo poſſe ceteras concluſiones cognoſcere, quia eadem eſt abſtractio, & ratio formalis omnium concluſionum; & ita qui cognoſcit vnam, cognoſcit & alteram. Sed contra, nam, ſi hoc eſſet verum, qui cognoſcit principia, cognoſceret etiam concluſiones, & idem eſſet habitus principiorum, & concluſionum: patet ſequela, quoniam eadem eſt abſtractio principiorum, & concluſionum. Rurſus poſſet aliquis dicere, ſecundam concluſionem contineri in prima, & ideo cognita prima, poteſt cognoſci etiam ſecunda: ſed contra, quoniam omnes cōcluſiones continentur in principijs; & tamen qui non acquirit nouum habitum non poteſt cognoſcere concluſiones. Deinde, ſcientia eſt habilitas quædam intellectus circa res cognitas: ſed res cognitæ ſunt diuerſæ; ergo etiam habilitates erunt diuerſæ; & conſequenter etiā ſcientiæ diuerſæ. Confirmatur, in aliqua ſcientia ſunt plura obiecta, plura principia & plures demonſtrationes inter ſe diuerſæ; ergo & diuerſi habitus. Poſtremo, in ſcientia, exempli gratia, Phyſica, poteſt aliquis habere habitum erroneum, circa ſcientiam de cœlo, & habitum rectum circa ſcientiam de anima; ergo qui habet habitum bonum de vna concluſione, per illum non eſt diſpoſitus immediate, circa alias concluſiones. Quare, diuerſi erunt habitus, per

quos diuerſa obiecta cognoſcuntur. Decima conclusio: Vnus eſt ſimplex habitus, quo cognoſcuntur variæ paſſiones de vno, eodemq; ſubiecto. Nam cum illæ plures demonſtrationes ſint ſubordinatæ, pendent ab vno medio, & conſequenter ab vno principio. Sed peteres, cur cognita prima paſſione, non cognoſcuntur aliç? Reſpondetur, id accidere ob imbecillitatem intellectus noſtri, qui non habet tantum luminis, vt poſſit ſimul omnes paſſiones percipere. Vndecima concluſio: Ratio formalis intrinſeca, per quam Theologia diſtinguitur intrinſece ab alijs ſcientijs, non eſt reuelatio, ſiue ratio reuelationis. Nam, per reuelabile, vel intelligitur lumen diuinum nobis infuſum quo reuelantur res diuinæ, vel ratio formalis ſub qua conſiderantur omnia in theologia, vel denique ratio formalis per quam aſſentimus concluſionibus, ſed nullum ex his eſt cauſſa, cur Theologia ab alijs ſcientijs diſtinguatur, ergo. Nam, ſi accipias reuelabile primo modo, eſt ipſe habitus fidei: ſi ſecundo modo, reuelabilitas, non eſt ratio ſub qua probantur concluſiones in Theologia; ſed Deus vt Deus, vt poſtea dicetur: ſi tertio modo, ſequeretur Theologiam acquiſitam eſſe formaliter fidem, ſi ratio aſſentiendi eſſet ipſa reuelatio. Quare, vt arbitror, reuelabilitas ſe habet extrinſece ad diſtinguendam Theologiã ab alijs ſcientijs, ſicuti etiam abſtractio in ſcientijs humanis, quæ, vt diximus, non eſt ratio formalis

Paulus. Sonz. 6. Met. c. 9.

cur



cur diſtinguantur ſcientiæ, ſed ratio extrinſeca ſub qua omnia conſiderantur in ſcientia. Quare, ni fallor, reuelatio reſpectu Theologiæ concluſionum, non eſt ratio intrinſeca vnitatis & diſtinctionis, ſed eſt conditio ſine qua, multa non probarentur de Deo, a nobis, niſi fuiſſent aliqua principia reuelata: ſicuti, non crederemus res fidei, niſi Eccleſia eas proponeret: & non haberemus ſcientias, niſi fieret vniuerſalitas in rebus, quæ eſt ratio quædam extrinſeca, cur res a nobis ſciantur. Ex quibus inferre licet, reuelationem non ſe habere eodem prorſus modo, vt ſe habet abſtractio in ſcientijs humanis. Quia abſtractio, nihil manifeſtat, vt reuelatio, quæ aliquas res manifeſtat, nimirum principia: nec etiam eſt ratio aſſentiendi, ſicuti eſt reuelatio, reſpectu principiorum, & remote reſpectu concluſionũ. Rurſus confirmatur, & explicatur hæc noſtra concluſio. Cum eſt quæſtio, an Theologia ſit vna, nõ dubitatur de cognitione principiorum, ſed de Theologia concluſionum: at reuelabilitas eſt ratio, quæ dat vnitatem rebus creditis, & eſt cauſſa per quam reuelata credimus, non autem eſt ratio formalis obiecti Theologiæ, vt infra docebitur, neque ratio per quam aſſentimus Theologicis concluſionibus, igitur. Quod ſi dicas, quomodo ergo diſtinguitur a Metaphyſica, quç etiam conſiderat Deum, niſi formaliter diſtinguatur per reuelationem? Reſpondeo, diſtingui quidem per reuelationem ratione principio-

cipiorum,& quaſi extrinſece: at vero intrinſece diſtinguitur per rationẽ formalem obiecti, quia conſiderat Deum ſub ratione deitatis, & ſecundum omnia, quæ inſunt Deo, vt Deus eſt: & vt eſt cognoſcibilis non ſolum per creaturas, ſed etiam per lumen ſupernaturale. Duodecima concluſio: Theologia principiorum eſt vna ſecundum ſpeciem. Nam hæc doctrina eſt idem quod fides: at fides eſt vna ſecundum ſpeciem, ergo: ſiquidem ſcriptum eſt, vnus Deus, vna fides, &c. Cõfirmatur,quia ſi quis negaret vnum articulum,aut de eo dubitaret, amitteret totam fidem: quare erit ſimplex habitus. Quod ſi peteres,vnde habeat hanc vnitatem, reſponderem in primis, non habere ex obiecto; quia articuli ſunt multiplices; ſed a ratione formali per quã credimus, quæ vna eſt omnium credendorum: auctoritas, ſcilicet diuina. Habet etiam ex eo, quod hic habitus eſt ſimpliciſſimus,& perfectiſſimus,ac proinde ipſe ſolus præſtat, quod varia lumina humano diſcurſu acquiſita præſtarent. Sicuti ſol, qui tantum lumen, & multo maius præbet, quam omnia alia ſidera præbeant. Ex his quæ hactenus decreta ſunt, ſatis euidenter intelligi poteſt, quomodo Theologia ſit vna: quia,quæ dicta ſunt de ſcientia in communi,facile eſt applicare cuilibet ſcientiæ in particulari. Decimatertia concluſio: Theologia eſt vna ſciẽtia propter rationem formalem ſui obiecti, vt obiectum eſt, nimirum, propter rationem, ſub

qua:



qua: quæ autem ſit iſta ratio, poſtea dicetur. Hæc,& quæ ſequentur concluſiones, probantur ex ijs, quæ dicta ſunt: vnde non eſt opus priuata probatione. Decimaquarta concluſio: Theologia non eſt ſimplex habitus, ſed plures, pro varietate obiectorum partialium ac mediorũ. Vltima concluſio: Theologia dicenda eſt vna ſcientia propter attributionem vnius obiecti, propter vnum finem, & propter eadem principia, iuxta ea, quæ diximus ſupra in vltimo notando. Et hæc pro reſolutione huius difficultatis dixiſſe volui. Marſ.q.2. prol.ar.4.

*Refelluntur rationes pugnantes contra ea, quæ proximo capite decreta ſunt.*
*Cap. XIIII.*

NONNVLLÆ ſunt rationes,quæ contra eas concluſiones, quas proximo capite ſtatuimus,fieri poſſunt; quas nunc afferam & diſſoluam, vt ea quæ diximus adhuc corroborentur magis. Prima ratio: illa ſcientia eſt vna, quæ eſt vnius generis, id eſt vnius obiecti, vt Ariſtoteles docuit: ſed Theologia non eſt de vno rerum genere, cum agat de Deo,& de rebus a Deo factis,& de varijs, ac inter ſe diuerſis creaturis, quæ in vno genere non conueniunt; non ergo erit vna ſcientia. In primis, negatur non eſſe ſcientiam vnius generis,cum ſit de Deo,vt Deus eſt,ad quem omnia,quæ tractantur in hac ſcientia Ariſto. 1. Poſt.t.43.

tia.

tia referuntur. Deinde, non omnia quæ tradun-tur in ſcientia debent eſſe ipſum ſubiectum; ſed ſunt, uel principia, uel partes, uel paſſiones, uel effectus: Quare, licet Theologia agat de multis rebus, agit tamen principaliter de Deo, & de alijs, quatenus Deus eſt ratio cognoſcendi illa, ſicuti lumen eſt ratio cognoſcendi ſenſibilia communia. Nec propterea, quod conſiderat ali-quas creaturas ſecundum proprias rationes for-males, per quas differunt a Deo, non erit una, quia iſtæ rationes ſecundario pertinent ad eius obiectum. Sicuti uiſus non eſt dicendus multi-plex quamuis primum feratur in colorem, tum in uarias ſpecies coloris. Secunda ratio, ſcien-tiæ ſecantur ſicuti res, ut Ariſtoteles docet: ſed Theologia tractat diuerſas res: erunt igitur plu-res Theologiæ. Hoc argumentum pugnat con-tra eos, qui ponunt unum ſimplicem Theologię habitum: quod ſi inferret, nullo modo eſſe unã, negatur conſequentia: quia debet dici una ob cauſſas in extrema concluſione ſuperius recenſi-tas. Tertia, ratio formalis obiecti Theologiæ, non reperitur in omnibus partibus Theologię, ergo non poterit dici una ſcientia ratione prin-cipalis obiecti: antecedens patet; quia ratio dei-tatis, quę eſt ratio formalis Theologię, ut poſtea dicetur, non reperitur in ijs rebus quę pręter Deum in Theologia tractantur, ergo. Reſpon-detur, licet ratio formalis Dei, non reperiatur in creaturis; ſatis tamen eſt, ut creaturę referantur

ad



ad Deum, ut ad principium, & finem, ut Theo-logia poſſit dici una. Neque enim ex ęquo agit de Deo, & de creaturis, nec ſub eadem ratione uniuoce; cum nulla ſit formalis ratio, quę æquę conueniat Deo & creaturis. Et eadem difficul-tas poſſet fieri de Metaphyſica, quę agit de Deo, angelis, & decem categorijs, quibus non eſt ali-qua formalis ratio communis uniuoca. Quarta, hac quarta ratione & ſequentibus probabitur Theologiam eſſe ſimplicem habitum. Theolo-gia eſt una ſcientia; ergo eſt unus habitus: con-ſequentia uidetur manifeſta, a ſpecie ad genus: ſicut ſi diceres, eſt unus homo, ergo eſt unum animal. Huius rationis negatur antecedens; non enim eſt una ſcientia, ſed plures ſcientiæ partiales, ex quibus fit una ſcientia ob iam di-ctas cauſſas: neque eodem modo homo dicitur unus, ut Theologia una. Quincta, Scientia ſumit ſuam diſtinctionem ab obiecto formali: ſed hoc in Theologia eſt unum, ergo ipſa erit una. Hoc argumentum ſolum probat eſſe unam generice, propter attributionem unius obiecti generici: ſed eſt multiplex ratione mul-torum obiectorum partialium, de quibus ha-bentur ſpecificæ ſcientiæ. Sexta, Theologia eſt perfectio intellectus humani: ſed intelle-ctus eſt unus, ergo etiam ipſa erit una. Si quid hæc argumentatio concluderet, probaret, uni-cum eſſe habitum omnium ſcientiarum; quod etiam, qui contra ſentiunt, negarent. Licet

ergo

ergo intellectus ſit vnus: tamen, quia obiecta ſunt varia, circa quæ varie per varias demonſtrationes intellectus diſponitur, ideo variæ ſunt diſpoſitiones, & habitus. Septima, vnicus & ſimplex habitus fidei, habilitat circa omnia credenda: ergo etiam vnus ſimplex habitus unius ſcientiæ circa omnia ſcibilia. Reſpondetur, non eſt eadem ratio: quia fides non acquiritur per cognitionem diuerſorum obiectorum, ut acquiritur ſcientia: quare, cum uaria obiecta uarie concurrant ad diſponēdum intellectum, uarij quoque producuntur habitus. Neque exiſtimare debes, quodcunq; obiectum cognitum eſſe cauſſam diuerſorum habituum; ſed ſolum illa obiecta, quæ uario modo diſponunt. Octaua, omnis forma exiſtens in anima, eſt ſimplex qualitas: ſed ſcientia eſt quædam animæ forma; erit igitur qualitas ſimplex. Maior propoſitio eſt manifeſta, quia cum anima ſit ſpiritualis, recipiet formas ſpirituales, & ſimplices abſque ulla compoſitione. Reſpondetur, iſti uarij habitus non faciunt ueram compoſitioné, ſed ſolum rationem dependentiæ unius ab alio, ut diximus. Adde, quod eadem difficultas poſſet fieri de habitibus diuerſarum ſcientiarū, probando animam non eſſe capacem plurium habituum. Nona, maiorem ſimplicitatem habent qualitates animæ, quam qualitates corporis, ut exempli gratia, quam caliditas & frigiditas: ſed hæ ſunt ſimplices, ergo etiam ſcientia, quæ eſt qua-



qualitas animæ, erit ſimplex. Facilis eſt ſolutio, dicimus ergo ſatis eſſe, ut quælibet ſpecialis notitia ſit ſimplicior, quàm qualitas corporalis: ſed non eſt neceſſe ut totalis habitus ſit ſimplicior. Decima, non ſunt minus ſimplices habitus intellectus, quam habitus uoluntatis: ſed hi ſunt ſimplices, uirtutes enim ſunt ſimplices qualitates; ergo etiam habitus intellectus erunt ſimplices qualitates. Non eſt par ratio de uirtute, & de ſcientia: quia ad acquirendam uirtutem non cócurrit obiectum cum ſua ſpecie, ſed ſola exercitatio, & actus potentiæ. Rurſus, ſub uno etiã genere uirtutis ſunt multi partiales habitus, circa uaria uirtutum obiecta, quæ ſpecie differunt. Vndecima, diximus ſcientias naturales non diſtingui per tres abſtractiones, tanquam per rationes formales: at hoc uidetur eſſe contra Ariſtotelem libro ſexto Metaphyſices, ubi docet Tex. 2.
eſſe tres ſcientias, ob tres diuerſas abſtractiones, igitur. Reſpondetur, Ariſtotelem eo loco, ſolum ex uario modo definiendi & ex uaria ratione formali colligere uarias ſcientias, quod nos etiã ſupra docuimus. Rurſus reſponderes Philoſophum eo loco ſolũ agere de diuerſo modo definiédi & procedendi trium ſcientiarum, & nihil diſputare de unitate ſcientiæ. Quare, ſicuti eſſe abſtractum a ſingularibus, non facit unitatem ſcientiæ, quia omnium ſcibilium una eſſet ſcientia; ita abſtractio maior uel minor non facit diſtinctionem ſcientiarum. Duodecima, habitus diui-

diuinitus infuſi, exempli gratia fides, ſpes, & gratia, ſunt ſimplices qualitates, vt omnes confitentur; ergo etiam habitus Theologiæ, quamuis ſit doctrina quædam naturaliter acquiſita: patet conſequentia, quia Deus in operibus gratiæ operatur conformiter naturæ: vt igitur habitus gratuiti ſunt ſimplices qualitates, ita etiã habitus vi naturæ acquiſiti. Huius argumentationis conſequentia nulla eſt: quoniam habitus naturales acquiruntur per varias rationes, & per varia media, ſiue rationes formales; & ideo varijs actibus, varij producuntur habitus. Decimatertia ratio, quæ eſt contra allatam reſponſionem: ſi diuerſi actus producerent diuerſos habitus, ergo multi actus non perficerent vnum & eundem habitum. Exempli gratia, in danda eleemoſyna, actus in dandis pecunijs, non perficerent habitum, ad dandam eleemoſynam in dando pane, vel frumento: & qui ſolitus eſſet furari pecunias, non eſſet per iſtos actus factus idoneus ad ſurripienda alia bonorum genera; cum actus ſint diuerſi, ac proinde diuerſa vitia. Hæc obiectio facile ſoluitur ex ijs, quæ ſupra ſcripſimus: quoniam iſti actus ſunt circa idem obiectum ſub eadem ratione formali, & ideo ad vnum & eundem habitum pertinent, quem habitum iſti actus repetiti, perficere, & circa obiecta quæ ſub eadem ratione continentur, habilem reddere poſſunt. Decimaquincta ratio: Theologia habet vnum obiectum formale, a





quo ſpecificantur actus, ergo omnes actus erunt eiuſdem rationis & ſpeciei, & ita ad vnum ſimplicem habitum pertinebunt: neç enim actuum & habituum multiplicatio fit per rationes materiales. Quid huic obiectioni ſit reſpondendum iam ex dictis patet: ideo in eius ſolutione immorari nolo. Vltima ratio: quod diximus, & probauimus ſcientias non diſtingui per abſtractionem, videtur eſſe contra omnium Philoſophorum, & Logicorum opinionem, qui vno ore affirmant, ſcientias per varias abſtractiones diſtingui: non igitur quod nos docemus verum eſſe videtur. Primum, quid ſi dicamus eos, qui aliter ſentiunt errare? quod rationes a nobis allatæ, haud obſcure demonſtrant. Deinde, vt ſupra innuimus, abſtractio habet fundamentum aliquod in ipſa ratione formali obiecti: nam prout res ſecundum diuerſam rationem formalem obijciuntur, vt ſunt cognoſcibiles ſecũdum quod ſub ſenſum, vel imaginationem, vel ſub ſolam rationem cadunt, magis & minus dicuntur abſtractæ. Et quoniam per ea quæ a nobis confirmata, & refuta ſunt, quid de vnitate ſcientiarum & ſacræ Theologiæ ſentiendum ſit, ſatis explicatum eſſe arbitramur, ad aliam huius doctrinæ formam explicandam tranſitum faciamus.

*Explicatio articuli quarti diui Thomæ, ac variarum ſententiarum circa hanc difficultatem, An Theologia ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua. Cap. XV.*

INTER alia attributa intrinſeca, quæ de aliqua ſcientia quæruntur, eſt illud, an ſit practica, vel ſpeculatiua: propterea cum diuus Thomas probaſſet ſacram doctrinam eſſe ſcientiam, & vnam ſcientiam, quęrit modo, an ſit practica, vel ſpeculatiua: hoc eſt, an eius finis ſit actio, vel cognitio, ſeu operari, vel ſcire: ad quam quæſtionem ita reſpondet. Prima concluſio: Sacra doctrina vna exiſtens, eſt ſimul practica & ſpeculatiua. Primum, illa ſcientia, quæ ſub vna ratione formali complectitur omnia, quæ ſunt in alijs ſcientijs, eſt ſimul practica & ſpeculatiua: Theologia eſt huiuſmodi; quia cognoſcit omnia ſub lumine diuino; ergo erit ſimul practica & ſpeculatiua: licet humanæ ſcientiæ ſint partim practicæ, partim ſpeculatiuæ. Deinde, Theologia eſt participatio & impreſſio quædã ſcientiæ diuinæ: ſed ſciẽtia Dei eſt ſimul ſpeculatiua, & practica; ergo & noſtra Theologia. Secunda cõcluſio: Sacra doctrina eſt magis ſpeculatiua, quam practica. Primo, quia practica eſt de eo, quod ab homine fit: at Theologia pręcipue agit de Deo, qui facit hominem, igitur. Secundo, quia licet agat de actibus humanis; tamen



tamen de eis agit vt ordinantur ad perfectam cognitionem Dei in beatitudine. Hæc diuus Thomas. Nunc, quid hac de re alij ſenſerint, explicemus. Dominus Caietanus de propoſita diſputatione, ita ſentire videtur. Primum, ait Theologiam eſſe ſpeculatiuam & practicam, non per aggregationẽ, ſed eminenter. Eſt enim vna ſimplex qualitas, quæ eminenter vtranque rationem continet: ſicuti ſol, qui eſt eminenter calidus & ſiccus, cum producat effectus caloris, & ſiccitatis. Deinde ait, non ſolum eſſe eminenter practicam, & ſpeculatiuam, ſed etiam formaliter; ſicuti etiam ſol eſt formaliter calidus, & exſiccatiuus. Poſtremo, ait eſſe magis ſpeculatiuam, quam practicam; non ſolum quia plures ſunt concluſiones ſpeculatiuæ, quam practicæ; ſed etiam, quia magis aſſimilatur ſpeculatiuæ propter dignitatem: veruntamen eminenter tota eſt practica, & tota ſpeculatiua. Durandus autem de hac quæſtione hunc in modũ diſſeruit. Primum, diſtinxit Theologiam in eam, qua cognoſcuntur, quæ continentur in ſacris literis, & in eam, quæ eſt habitus concluſionum, ac demum in eam, qua defenduntur res fidei: vt etiam ſupra docuimus. Et quidem duas priores cenſet eſſe practicas: primam, ob eam cauſſam, quod verſatur circa actionem, & opus meritorium: alteram vero, quoniam deducit concluſiones ex principijs practicis: tertiam ait eſſe ſpeculatiuam, quia defendit, & declarat res fidei:

fidei: & ideo habet pro fine veritatem: quo fit vt ſit ſpeculatiua. At vero Gabriel, Gregorius, Ocanus, & ceteri Nominales, quoniam multos ponunt Theologiæ habitus, quorum alij ſunt practici, alij ſpeculatiui, dicunt eſſe practicam, & ſpeculatiuam per aggregationem. Scotus autem & Richardus dicunt eſſe tantum practicam. Alij, vt Carthuſianus, Capreolus, & diuus Thomas, exiſtimant appellandam eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam, cum ordinetur ad finem, qui eſt viſio beatifica. Alij dixerunt ex obiecto eſſe ſpeculatiuam, cum ſit de Deo, qui effici non poteſt: ex fine vero, qui, ex Auguſtino, eſt gignere, nutrire, & roborare caritatem, eſſe practicam. Denique ſunt qui dicant, non eſſe practicam nec ſpeculatiuam, ſed affectiuam: ita ſenſit diuus Bonauentura, Albertus & Ægidius, quæ ſententia, hoc pacto intelligenda eſt. Quádo aliquid habet plures fines ſubordinatos, quorum vnus eſt propter alium, denominatio ab vltimo & principali fine ſumenda eſt, vt omnibus conſtat; vltimus enim finis ſit præſtantior, cum alij ad ipſum ordinentur. In hac autem ſacra doctrina tres licet aſſignare fines, quorũ primus eſt docere & illuſtrare intellectum circa res diuinas; & hic ordinatur ad ſecundum, qui eſt, homines bonos efficere; & hic refertur ad tertium, qui eſt magis principalis, & hic finis eſt amare Deum. Nanque caritas in via maior eſt fide, & alijs omnibus virtutibus, vt conſtat ex Paulo, prima

Quæſt. 4. Quæſt. 2. Quæſt. 3. Quæſt. 2. Quæſt. 3. Diſ. 1. q. 3 Quæſ. vl.

Lege Ioã. Baſſ. q. 8. vbi late.



prima ad Corinthios capite decimo tertio. Ex quibus colligitur Theologiam debere denominari ab hoc præcipuo, & vltimo fine, qui eſt caritas. Et cum caritas nihil aliud ſit, quam quædam voluntatis affectio in rem amatam, propterea hæc doctrina appellanda erit affectiua, ſeu caritatiua, non autem practica, vel ſpeculatiua. In ſumma, alij volunt eſſe me re ſpeculatiuam: alij ſolũ practicam: alij formaliter vtrunque: alij eminenter vtrunque: alij denique affectiuam. Et hæc ſunt fere theologorum in hac quæſtione placita.

Aug. li. 1. de doctr. Chriſt. c. 35. & 36.

## *Ponuntur notanda quædam ad explicandam ſcientiæ practicæ, & ſpeculatiuæ naturam.* *Cap. XVI.*

PROPOSITÆ difficultatis explicatio ex recta intelligentia naturæ ſcientiæ practicæ & ſpeculatiuæ pendet: propterea, vt hæc quæſtio clare exponi queat, quid praxis, & quid ſpeculatio ſint, fuſius explanare oportet: ad quod efficiendum, quædam notanda proponam. Notandum primum: Praxis, & practica, ſunt voces a Græcis acceptæ, quibus tanquam ſuis iam vtuntur Latini: ductæ a verbo πράττω, vel πράττομαι, quod agere, & in magiſtratu eſſe & elaborare, vt aliquid efficiatur, ſignificat. Praxis, Latine ſonat, actionem, & executionem. Hinc practicus, latine actuoſus, in rebus agendis verſatus, &

Bud. ĩ Cõ. linguæ græcæ.

ad res humanas tractandas aptus. Actio autem eſt operatio, quæ nihil poſt functionem relinquit: ſicuti effectio, eſt operatio illa poſt quam reſtat aliquod effectum,& opus. Et ſicuti actio, & effectio differunt,ita agere & facere, & apud Gręcos, πράττειν, & ποιεῖν, quod eſt facere,& operari, ita, vt aliquod opus poſt factionem relinquatur: & ideo Deum Factorem non autem actorem mundi nominamus. Quare facultas practica erit illa, quæ in actione verſatur. Verum hæc nomina & verba ſæpe confunduntur, & vnum pro altero capitur. Hinc eſt, quod practicum, aliquando ſumitur pro actione, & ea operatio proprie dicitur practica, vt poſtea dicemus, quæ a voluntate pendet: aliquando pro opere extrinſeco: aliquando vero communiter,pro actiuo, & factiuo. Et hoc modo ſumitur practicum in hac quæſtione,quatenus diſtinguitur a ſpeculatiuo, quod neque ad actionem,neque ad effectionem ordinatur. Notandum ſecundum: Duo ſunt humani intellectus munera; alterum eſt contemplari & cognoſcere res omnes. Nam, vt eleganter dixit Epictetus apud Arianum, ἐςὶ γὰρ φιλοθεώρον τὸ ζῶον ὁ ἄνθρωπος. id eſt,homo eſt animal contemplationis veri appetens: & M. Tullius dixit, vitam hominis eſſe contemplari. Alterum eſt, vt reliquas hominis actiones,tanquam conſultor,dirigat,ac regat. Etenim humanus intellectus debet eſſe ſimilis, quãtum fieri poteſt intellectui diuino, cuius eſt

**Ariſtot. 2. Met. t. 3. Plat. in Gorg.**

parti-



participatio quædam: intellectus autem diuinus non modo contemplatur, ſeq; ipſum intelligit, ſed etiam omnia effecit, dirigit, atque gubernat.: Humanus itaque intellectus,non ſecus, ac oculus ſe habere debet; qui non ſolum ſibi, ſed etiam alijs membris videt. Ratione primi muneris, intellectus ſpeculatiuus, ratione vero poſterioris,practicus nominatur. Operationes autem quas intellectus dirigere poteſt, vel ſunt propriæ, quia, cum ſit potentia immaterialis poteſt ſeipſum in ſeſe reflectere, & ſeipſum quodammodo docere: vel ſunt operationes voluntatis,vt electio, & appetitio: vel a voluntate bene affecta pendent,vt exercere iuſtitiam fortiter pro religione pugnare,& caſte viuere: vel ſunt operationes externæ, quæ a bonitate voluntatis non pendent, ſed ab habitu artis, vt bene exerceantur: quæ ſunt in duplici differentia. Aliæ enim ſunt quæ nullum relinquunt opus, vt ſaltare, & ſermocinari; ad quas referri poſſunt actiones ſenſus. Aliæ quæ aliquod relinquunt opus,vt ædificare, texere, & fabricare. Ex quibus colligitur,homini,qui has omnes operationes imperfecte a natura exercet, plures artes neceſſarias fuiſſe, quibus ad eas recte exercẽdas iuuaretur. Colligitur etiã, quædam habituum diſtinctio,quod alij ſint cognoſcitiui, alij vero directiui. Notandum tertium, habitus directiui ſunt in duplici differentia: alij dirigunt operationem, ſeu actionẽ ſpeculatiuam, in quo

 genere

genere eſt ſola Logica, quæ dirigit intellectum in cognitione ſcientiarũ: qua ratione actus ſpeculationis poteſt vocari practicus, cum ab alio dirigatur. Sed ſub hac ratione tam Logica, quã actus ſpeculatiuus improprie praxis nominantur. Vel dirigunt alias operationes diſtinctas ab operationibus intellectus, quod ſpeciatim ratio practici requirit: qua ratione, nec Logica, nec ſcientiæ poſſunt dici practicæ; ſed omnes habitus, qui dirigunt alias operationes dicentur practici. Si autem iſtarum operationum perfectio, ſiue ſint interiores, ſiue exteriores, pendeat a voluntate, & ab electione, talis directio pertinet ad moralem ſciẽtiam, quæ, ſaltem in communi, dirigit humanas operationes, vt honeſte fiant: vel ad prudentiam, quæ ſuppoſita volutate bene affecta, per virtutes proxime dirigit hominem ad efficiendum opus honeſtum, quo is qui agit nominatur bonus: & hæc directio ſpeciatim ab Ariſtotele appellatur praxis. Si vero perfectio operationum non pendeat a voluntate, ſed a ſolo habitu intellectus, & a ratione, ita vt opus poſſit appellari bonum, etiam ſi is, qui agit in genere moris ſit malus; talis directio fit ab habitu artis. Quare, habitus canendi dum dirigit cantilenam, facit bonum cantatorem & bonam cantilenam, ſed non bonum hominem. Vt autem hoc melius explicetur, animaduertendum eſt, duobus modis aliquem actum ab habitu intellectus dirigi poſſe: vno modo quantũ ad vſum, altero

L. 2. Phyſ.
Li. 6. Eth.



altero vero quantum ad ſpecificationem actus. Tunc dirigitur actus priore modo, quando regulatur ſecũdum circunſtantias extrinſecas temporis, vel loci, vt actio hoc vel illo tempore, hoc vel illo loco fiat: & hac ratione poſſunt dirigi, ſeu regulari omnes actus, etiam intellectus, & ſenſus: quæ directio proxime pendet a prudentia. Nam prudens docet quando & vbi, & quantum ſit ſpeculandum, ſeu videndum. Tunc dirigitur poſteriore modo, quãdo dirigitur circa obiectum quantum ad modum intrinſecum, vt hoc, vel illud fiat: & hæc directio non pertinet ad prudentiam, ſed ad alios habitibus, qui bene diſponunt potentias circa ſua obiecta. Si ſumatur directio primo modo, omnes actus poſſunt dici praxis, cum a prudentia & a voluntate imperante pendeant: ſi vero altero modo, non omnes erunt practici: vt patet in actibus ſenſuũ, qui quoad ſpecificationem, & modum intrinſecum non poſſunt ordinari, cum a natura circa ſuum obiectum ſint determinati. Ex his colligere licet, tria eſſe habituum genera: alij ſunt ſpeculatiui, quibus diriguntur, & perficiuntur operationes ſpeculatiuæ: alij actiui, qui dirigunt operationes morum: alij effectiui, qui dirigunt alias actiones externas. Vel ſi ſumamus praxim in communi, vt includit omnem directionem, alij erunt habitus ſpeculatiui, alij vero practici. Infertur deinde, praxim duobus modis poſſe accipi: vno modo pro actu intellectus diri-

dirigente operationem, altero modo pro ipſa operatione, quæ dirigitur. Et licet Ioannes Bachonus putet praxim eſſe ipſum actum intellectus dirigentem: tamen potius dicendum eſt eſſe ipſam operationem directam: actus vero intellectus dicitur practicus, quia praxim ordinat. Quod ſi praxis primo modo ſumatur, reperitur etiam in intellectu, qui diuiditur in practicum & ſpeculatiuum. Si vero altero modo, quo proprie praxis ſumitur; tunc, actus & habitus voluntatis & aliarum potentiarum dicentur practici, quia ab intellectu diriguntur, & quoad finem, & quoad media. Colligitur etiã praxim duobus modis ſummi poſſe, vno modo large, pro quocunque actu ordinante, vel ordinato, ſiue ſit actus intellectus, ſiue voluntatis, ſiue alterius potentiæ, dummodo ab alio ordinetur, quo modo Logica, vt dicebamus, poteſt dici practica, quia dirigit actus omnium ſcientiarũ, & actus ſcientiarum practici, quia ab alio ordinantur, ſub qua ſignificatione aliqui male accipiunt, praxim: alio modo ſtricte, pro actu ordinato ab intellectu, ita vt non ſolum procedat a diſtincto habitu, ſed etiam a diſtincta potentia. Quare, ea cognitio dicetur practica, quæ ordinat alium actum diſtinctũ ab intellectu & productum a potentia ab eodem intellectu diuerſa. Quo etiam loco breuiter admonuerim practicum nõ ſolum dici id, quod fit, ſed etiam id, quod actione practica aliquo modo attingitur.

Greg. q. 4.

Notandum quartum, in quo explicandum eſt in quo priuate habitus practicus, & ſpeculatiuus differant, & conueniant. Conueniunt autem potiſſimum in hoc, quod vterq; habitus aliquid cognoſcit: ſicuti enim ſpeculatiua ſcientia cognoſcit ſuum obiectum, ita etiam ſcientia actiua, ſiue ars, ſuum. Verum hic animaduertendum eſt, in practica duplicem eſſe cognitionẽ, alteram ſpeculatiuam reſpectu ſui obiecti, per quam eius naturam & proprietates cognoſcit: alteram practicam, quæ continet cognitionem præceptorum, & mediorum, quibus acquiritur finis, & hæc eſt ipſa praxis: quæ duplex eſt, altera vniuerſalis, vt ſi in morali philoſophia aliquis doceat fortiter agendum eſſe, ad idq; faciendũ viam oſtendat: altera particularis, cum applicãtur præcepta ipſi actioni: vt, cum docetur hoc tempore, & loco, & modo agendum eſſe, quæ directio potiſſime ab experientia pendet: & in hoc ſita eſt completa ratio practici, ſcilicet in ipſa particulari directione operis faciendi; quæ directio excludit omnino ſpeculationem: ſicuti ſpeculatio formaliter conſiſtit in ſola cognitione abſque directione, ſeu ordine ad directionẽ operis. Ex quo inferre licet cognitionem practicam eſſe duplicem: alterã qua cognoſcitur obiectum operabile, & modo operabili: alteram qua dirigitur actus ipſe quantum ad vſum, & circunſtantias particulares: & illa prima cognitio, primo facit diſtinctionem inter cognitionem practicam

cticam & ſpeculatiuam. Quia, ſi in aliquo eſſet cognitio de obiecto operabili, quæ poteſt reduci ad praxim, licet is nollet eam ad praxim reducere, adhuc illa cognitio potius cenſeretur practica, quam ſpeculatiua: etiam ſi de illo obiecto aliquæ haberentur demonſtrationes, vt patet in philoſophia morali, in qua multæ repeériuntur demonſtrationes: quæ tamen ratione obiecti & finis eſt practica. Differunt autem his modis. Primum ex parte obiecti, quia obiectum habitus ſpeculatiui non eſt aliquid operabile, ſeu factibile, id eſt, non eſt aliqua arte &

Ariſt. lib. 6. Met. in princ.

operatione effectum: vel ſi eſſet de aliquo factibili, non eſſet de eo, vt factibile eſt, ſed ſolum, vt cognoſcibile. Vt ſi quis ſolam notitiam ſpeculatiuam de domo haberet; quo etiam modo haberi poteſt ſcientia de virtute in philoſophia morali. Differunt etiam ex parte obiecti,

Ariſt. 6. Eth. c. 5.

quia ſcientia eſt de obiecto neceſſario, praxis auctem, ſeu habitus practicus, eſt etiam de obiecto contingenti. Deinde, ex parte finis,

Lib. 3. de ani. t. 49. Li. 2. Met. t. 2. & 3.

quia finis habitus ſpeculatiui eſt ſola cognitio, finis practici præter cognitionem, eſt ipſa operatio. Quo loco animaduertendum eſt, alium eſſe finem ſcientiæ, ad quem ipſa per ſe ordinatur, alium vero ſcientis, qui ſcientiam ad aliquem alium finem ſibi propoſitum ordinare poteſt: a quo fine non eſt ſumenda ſcientiæ ratio.

D.Tho. 1. Eth. lec. 3.

Differunt præterea ex modo cognoſcendi, & ex modo tractandi, quia ſcientia practica procedit

modo



modo compoſitiuo, ſpeculatiua vero modo reſolutiuo: practica non ſolet conſiderare cauſſam rei. ſpeculatiua maximæ: practica dirigit actionem, & ideo eſt actuoſa, ſpeculatiua ſolum cognoſcit, & nullam actionem dirigit. Quo fit, vt practica diuidatur iuxta operationes quas dirigit, ſpeculatiua vero iuxta res, quas cognoſcit. Item differunt in hoc, quod habitus practicus acquiritur, & perficitur actione; ſpeculatiuus ſola mentis agitatione. Poſtremo differunt ratione principij, vnde originem habent, quod alio notando planius explicabo. Notandum quinctum: vt in homine, vt ſupra diximus, ſunt tria operationum genera, nimirum operatio ſpeculatiua, operatio moralis, ſiue actiua, quę a volũtate bene affecta pendet, & operatio effectionis, ſiue artis; ita tria ſunt genera habituum per quos iſtæ operationes diriguntur, & recte exercentur, qui habitus diuerſa habent principia. Nam, principium ſpeculationis ſunt res ipſæ: quia ab ipſis hauritur cognitio; quæ debet eſſe conformis ipſis rebus, quæ ſunt menſura noſtræ ſcientiæ. Et propterea veritas quæ eſt in intellectu, dicitur eſſe adæquatio rei & intellectus.

Ariſt. li. 2. de cœl. t. 70. 72. 10. Met. t. 3. D.Tho. 2. cęl. lec. 2.

Huc pertinent axiomata illa: "vt res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci: Ex eo quod res eſt, "vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa. Quare, ſi res non eſſent, ſcientiæ non exiſterent. At vero principium actiuæ, & practicæ operationis eſt in nobis; ſed differenter. Nam principium

actionis

actionis moralis eſt electio a prudentia regulata: & ita nos ſumus principium agibilium, quorum menſura eſt recta ratio, ſeu prudentia: & illud dicetur verum & bonũ opus morale, quod eſt recte rationi congruum. Principium aliarũ humanarum actionum, quarum perfectio non pendet a voluntate, ſiue relinquãt aliquod opus, ſiue non, eſt ars, a qua diriguntur & perficiuntur: quarum perfectio pendet a conformitate, quam debent habere cum arte: & ita illa dicetur bona, ſeu perfecta domus, quæ eſt conformis regulis artis, ſeu ideæ artificis. Et ex his patet differentia illa vltimo loco poſita inter ſcientiã practicam, & ſpeculatiuam ex parte principij. Patet etiam quomodo artes poſſunt diuidi iuxta varia principia, fines, & media. Rurſus conſtat practicam ſciẽtiam ſpeciatim eſſe eam, quæ dirigit actiones extra intellectum: quæ duplex eſt: altera practica actiua, quæ dirigit operationes moris: altera, quæ dirigit operationes artis; quæ practica effectiua poteſt appellari. Denique ex his quæ notata ſunt, poſſunt colligi hæ definitiones praxis. Praxis vniuerſe ſumpta, eſt operatio a ſpeculatione diſtincta: vel eſt quælibet operatio humana apta dirigi ſecundum rationẽ, ſecundum circumſtantias, & finem: & ſub hac ratione omnis operatio etiam ſpeculatiua poteſt dici praxis. Nam ſpeculatio poteſt fieri in malum finem; ergo poteſt regulari a recta ratione. Rurſus, Praxis eſt operatio directa a cognitione intellectiua.

Ariſt. l. 6. Met. c. 6. & lib. 10. Eth.

Et ſic excluduntur operationes intellectus, & includuntur omnes aliæ operationes, etiam quæ eliciuntur a voluntate: quod dixerim cõtra Henricum, qui nomine praxis, vult ſolum contineri actus imperatos a voluntate: quoniam etiam actus a voluntate producti & electiones debent ab intellectu ordinari. Hæc autem directio non ſolum eſt ratione electionis mediorum, ſed etiam ratione finis, quantum ad vſum: quod dixerim contra aliquos, qui putant praxim non eſſe ratione finis. Rurſus hæc praxis poſſet ſic deſcribi. Praxis eſt actus extra intellectum ab ipſo quoad ſpecificationem ordinabilis: quæ definitio ſatis patet ex dictis. Itaque, vt hoc caput concludamus, practica ſciẽtia ea eſt, quæ proxime & per ſe praxim ordinat & ad praxim refertur: illa vero ſpeculatiua, quę ad ſpeculationem proxime diſponit.

Quodlib. 14. contra quẽ Scot.

Ocan.



### *Varijs concluſionibus docetur, quid in propoſita quæſtione tenendum ſit.* Cap. XVII.

EX ijs, quæ a nobis paullo fuſius, non tamen ſine neceſſitate, adnotata ſunt, quæſtionem alias ſatis obſcuram, facile explicari poſſe arbitramur: ad cuius maiorem declarationem, nũc aliquot concluſiones proponemus, quibus, quid in hac controuerſia ſentiendum ſit, perſpicue docebimus. Prima concluſio: Ex tribus potiſſimum rebus, ex obiecto, fine, & modo cognoſcendi,

ſcendi, ſeu procedendi aliqua ſcientia dicitur practica, vel ſpeculatiua. Ex obiecto quidem, quoniam reperiuntur obiecta quædam, quæ ſola ſpeculatione attinguntur: vt materia prima, cœli, & id genus alia, quorum cognitio non poteſt ad actionem referri. Similiter alia ſunt obiecta, quæ non ſolum contemplatione, ſed etiam operatione, ſiue elicita, ſiue a voluntate imperata attinguntur; ac proinde rationē ſcientiæ practicæ conſtituunt. Ceterum non eſt neceſſe, vt quodcunque obiectum ſit tantum ſpeculabile, vel tantum practicum: quia dantur obiecta, quæ & ſpeculatione, & actione attingi poſſunt, vt Deus qui fide, ſpe, &, caritate attingitur. Ex fine vero, quia cum omnis humana operatio ſit ad aliquem finem, omnis noſtra cognitio inde, vel contemplationis, vel actionis rationem ſumet. Quod etiam ſumatur ex modo cognoſcendi, patet; quia de re, quæ alias ſub effectionem cadit, poſſumus modo ſpeculatiuo diſputare. Ex his, primum colligere licet, de vna & eadem re poſſe eſſe ſcientiam practicam, & ſpeculatiuam, ſiue res ſub contemplationem, ſiue ſub actionem cadat: præſertim ſi finem operantis & modum operandi ſpectemus. Colligi deinde poteſt, ſcientiam de obiecto, quod ſub actionem, vel effectionem nullo modo cadit, eſſe ſolum ſpeculatiuā, quæ vero eſt de re actioni, vel effectioni ſubiecta eſſe ſolum practicam, ſi tamen modo practico tractetur, id eſt, ſi doceatur

D.Tho. ſuper Boet. q. 5. ar. 1. 1. p. q. 14. ar. 16.





ceatur qua ratione res illa fieri, debeat. Neque enim ſi Deus daret nobis facultatem producendi res phyſicas, ideo phyſica eſſet doctrina practica. Poſtremo, colligi poteſt habitum practicum, & ſpeculatiuum debere eſſe inter ſe diſtinctos ſecundum entitatem: qua ratione aliqui diſtinguunt ſcientiam in practicam & ſpeculatiuam: quę tamen diſtinctio magis ſumenda eſt ex obiecto, vel ex fine, quam ex eorum entitate. Quoniam, ex Ariſtotele, potentiæ & habitus ex obiecto & fine diſtinguuntur. Adde etiam, quod cum aliæ ſcientiæ diſtinctiones ab obiectis ſumantur, hæc etiam inde ſumi debet. Secunda concluſio: Finis ſcientis non facit practicum, vel ſpeculatiuum, ſed finis ſcientiæ proprius. Siquidem ſpecies ab eo, quod eſt rei proprium, non ab eo, quod ei conuenit per accidens ſumenda eſt: alias enim ſi a fine ſcientis ſumeretur diſtinctio, eadem ſcientia millies in practicam & ſpeculatiuam conuerteretur. Tertia concluſio: Quod aliqua doctrina dicatur practica, vel ſpeculatiua originaliter magis habet ex obiecto, quam ex fine. Quoniam ſi obiectū ex ſe cadat ſub actionem, non poteſt non cadere: & ſimiliter quod ex ſe cadit ſub ſpeculationem, non poteſt cadere ſub effectionem. Quarta concluſio: Complete & perfecte talis diſtinctio ſumitur ex fine. Quoniam id, quo vnum magis diſtinguitur ab alio eſt magis diſtinctiuum, & conſtitutiuum illius, quā id, quod

Nomin.

Lib. 2. de anima.

minus: ſed ſcientia magis ſumit hanc diſtinctionem a fine, quam ab obiecto, igitur: minor, patet, quia de vna & eadem re poteſt eſſe ſcientia practica & ſpeculatiua, vt de triangulo: de quo vna ſcientia ſolum ſpeculatiue, alia vero practice agit. Quod ſi dicas, eam doctrinam quæ ſpeculatur triangulum, nō conſiderare triangulum niſi vt ſub ſpeculationem cadit; hoc eſt dicere, nō habere pro fine opus, & ideo diſtinctio a fine ſumenda erit. Idem patet, ex hac hypotheſi, ſi quis haberet facultatem producendi roſam, de qua haberet ſcientiam ſpeculatiuam, ſi vellet roſam producere. Quincta concluſio: Vt aliqua ſcientia ſit ſimpliciter, & exactiſſime practica, debet eſſe de re factibili, & modo factibili, & ad operationem referri. Hoc eſt debet dare regulas & modum, quo proxime res fiat. Quare, aliquis habitus poteſt dici practicus, vel ex obiecto præciſe, cum cōſideratur modo non factibili, licet ſub factionem cadat: vel ex eo quod conſideratur etiam modo operabili, non tamen cum intentione operandi: vel tertio ex obiecto, & modo operandi, & ex fine, ſiue ex intentione efficiendi. Ex his intelligi licet an moralis philoſophia ſit practica, vel ſpeculatiua. Nam, ſi ſpectemus modum agendi, cum agat de virtute modo ſpeculatiuo, nec det regulas proxime ad operandum accommodatas, vt prudentia facit, ſpeculatiua vocari poterit. Et ideo Ariſtoteles inter habitus ſpeculatiuos eam repo- Lib.6. Eth.

ſuiſſe



fuiſſe videtur. Si vero obiectum, quod eſt aliquid factibile, & finis ſpectetur, erit practica. Sexta concluſio: inter ſcientiam practicam & ſpeculatiuam, non datur alia, quæ ſit quaſi alterum membrum huius diuiſionis, vt Alexander & Albertus dicunt, quam ſcientiam affectiuam vocant. Verum tamen eſt, ſcientiam practicam poſſe diuidi in praxim naturalem, & in praxim voluntariam, quæ pendet ab electione, vel in praxim ſupernaturalem, quæ pendet a uoluntate caritate affecta. Septima concluſio: Probabile eſt Theologiam, vt eſt in nobis eſſe ſimpliciter practicam. Tum quia argumenta, quę contra afferuntur facile ſolui poſſunt: tum etiā, quod maior Theologorum pars videtur id ſentire, vt patet ex ſententijs ſupra allatis. Quare, licet in Theologia multę ſint concluſiones ſpeculatiuę, tamen, quia ad amorem, & actionem ordinantur, dum ſumus in hac vita, tota Theologia dicetur ſimpliciter practica: vt patet etiā in philoſophia morali in qua, licet ſint multę demonſtrationes: tamen quia ad actionem referuntur ſcientia practica nominatur. Octaua concluſio: Theologia non eſt practica & ſpeculatiua eminenter ſimul & formaliter. Eſt hæc concluſio contra opinionem domini Caietani: Qui in re difficili contra opinionem communē, nullo alio vſus eſt argumento, quam exemplo, & quidem falſo. Nam exiſtimauit ſolem eſſe formaliter, & eminenter calefactiuum, & exſic- Ariſt. 2. Eth. c. 2.

 cati-

ſiccatiuum, cum ſolum eminenter ſit talis. Deinde, eſſe formaliter in aliquo, eſt eſſe in illo in propria natura, & eſſentia; ſicuti eſt albedo in corpore albo, & humanitas in homine; eſſe vero eminenter, eſt eſſe in virtute, vt argentum in auro: at implicat eſſe in aliquo in propria, & in impropria eſſentia; ergo implicat eſſe ſimul in aliquo formaliter, & eminenter. Quare Theologia non erit formaliter, & eminenter practica & ſpeculatiua. Poſtremo, quoniam differret eſſentialiter a ſeipſa: etenim practicum & ſpeculatiuũ, vt ex dictis conſtat, ſic differunt. Nona concluſio: Si quis teneat Theologiam eſſe ſimplicem habitum, vt videntur tenere omnes Thomiſtæ, poteſt defendi Theologiam ſecundum ſubſtantiam eſſe eminenter practicam, & ſpeculatiuam. Primum, Deus, qui eſt Thologiæ obiectum, continet rationem practici & ſpeculatiui: ergo Theologia partim erit practica, partim ſpeculatiua. Conſequentia eſt nota, antecedens patet: quia Deus, vt Deus, continet rationem eſſentiæ, rationem cauſſæ efficientis, & finalis: duæ rationes priores ſunt ſpeculatiuæ, & ſpeculatione attinguntur, tertia vero eſt practica, quia per praxim tendimus in Deum, tanquã in finem. Quare etiam Theologia, quæ eſt ſcientia de tali obiecto, erit eminenter practica & ſpeculatiua. Deinde idem confirmatur ratione diui Thomæ, quę ſic accipienda eſt. Scientia, cuius medium eſt eminenter practicum & ſpeculatiuum, eſt eminenter practica & ſpeculatiua: at medium Theologiæ eſt reuelatio diuina, per quam aſſentimus concluſionibus, tam practicis, quam ſpeculatiuis; ergo erit eminenter practica & ſpeculatiua. Siquidem omnia credimus, quia Deus dixit: Verum hæc ratio patitur aliquam inſtantiam, vt patet ex ijs, quæ ſupra diſputata ſunt. Rurſus poſſet ſumi ratio a Theologia beatorum, cuius participatio quædã eſt Theologia noſtra: ſimiliter ab habitu fidei, qui eminenter eſt practicus & ſpeculatiuus. Decima concluſio: Si Theologia ſecundum ſuam ſubſtantiã eſt eminẽter practica, & ſpeculatiua: tamen ſecundum ſuos actus eſt formaliter practica & ſpeculatiua: quæ doctrina ſic intelligẽda eſt. Si quis teneat Theologiam eſſe ſimplicem habitum, poterit ſuſtinere ab hoc ſimplici habitu produci actus formaliter practicos, & ſpeculatiuos. Poteſt enim eſſe, vt ab vna facultate quæ eminenter continet multa, oriantur varij actus formaliter diuerſi: ſicuti ab vno intellectu, qui non eſt formaliter practicus, nec ſpeculatiuus, ſed virtualiter vtrunque, proficiſcũtur actus formaliter practici & ſpeculatiui: ſimiliter ab vna anima rationali, quæ eminenter continet tres animas, oriuntur actus formales omnium animarum, vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & rationalis. Quod autem a tali habitu oriantur actus practici, & ſpeculatiui formaliter, patet: Quia horum actuum alij ſunt proxime ordinati ad

opus, alij vero ad ſpeculationem. Verum, quid nobis probabilius videatur, his ſequentibus cõcluſionibus exponemus. Vndecima concluſio: Theologia principiorum, quæ eadem eſt cum habitu fidei, eſt ſimul practica, & ſpeculatiua eminenter, quantum ad ſuam ſubſtantiam; quãtum vero ad actus, eſt formaliter vtrunque. Nam, cum lumen fidei, ſit quid ſimpliciſſimũ, & quid ſupremum, quod continet virtute inferiora, per quod omnibus concluſionibus, tum practicis, tum ſpeculatiuis aſſentimur, fides procul dubio erit eminenter practica & ſpeculatiua, & eius actus formaliter practici, & ſpeculatiui: vt patet ex ijs quæ paulo ſupra diximus. Duodecima concluſio: Theologia concluſionum eſt partim practica, partim ſpeculatiua formaliter. Nam, cum Theologia, vt ſupra probatum fuit, contineat plures habitus, qui ſunt formaliter vel ſpeculatiui, vel practici, erit profecto partim practica, partim ſpeculatiua formaliter. Quod ſi diceres, repugnat vt idem ſit formaliter practicum, & ſpeculatiuum, cum iſta duo ſint differentiæ oppoſitæ: id nihil nos commoueret, quia nos non dicimus eſſe vnam ſimplicem qualitatem, ſed plures qualitates, ex quibus fit vna per aggregationem. Eſt autem hæc doctrina practica & ſpeculatiua, tum ratione principiorum, quæ partim ſunt practica partim ſpeculatiua: tum ratione obiecti, cum in ea conſiderentur multa obiecta practica, vt patet ex dictis. Po-





ſtrema concluſio: Licet Theologia noſtra ſit partim practica & partim ſpeculatiua: tamen magis debet dici ſpeculatiua, quam practica. Primum quidem, quia adæquatum Theologiæ obiectum, Deus ſcilicet, habet magis rationem ſpeculationis, quam praxis; cum habeat duas rationes ſpeculatiuas, & vnam practicam, vt ſupra diximus. Deinde, quoniam Theologia non eſt immedieta regula operandi, ſicuti nec ipſa philoſophia moralis, quæ ſolum ſpeculatiue modum agendi docet. Præterea, ſicuti in ſcientijs practicis concluſiones ſpeculatiuę referuntur ad praxim, quia illarũ finis, eſt praxis; ita, cum huius doctrinæ finis ſit vita æterna, quæ potius eſt ſpeculatio, quam praxis, quæ in hac doctrina ſunt cõcluſiones practicæ, eæ ad ſpeculationem ordinabuntur, ac proinde magis erit dicenda ſpeculatiua, quam practica. Nam omnes practicæ concluſiones ordinantur ad munditiam cordis, & hæc ordinatur ad videndum Deum, cum ſcriptum ſit; Beati mundo corde, quoniã ipſi Deũ videbunt. Quod ſi quis velit dicere eſſe potius practicam, ſi ſpectemus finem hominis in hac vita, qui eſt amare Deum, non admodum refragater. Non tamen concederem finem in alia vita eſſe proprie practicum, etiam ſi diceremus magis poſitum eſſe in amore, quam in viſione Dei: quod tanquam probabile optime defendi poteſt. Atque per has concluſiones huic difficultati ſit ſatis factum.

Mat. 5.

*Afferuntur, ac ſoluuntur nonnullæ dubitationes circa quæſtionem proximo capite explicatam. Cap. XVIII.*

QVAMVIS ex allatis fundamentis, & concluſionibus omnia fere, quæ fieri poſſunt contra ea, quę docuimus, argumenta facile ſolui queant: tamen priuate nonnulla attingemus, vt quæ diximus adhuc intelligantur melius. Poſſet ergo aliquis contra poſitas concluſiones huiuſmodi afferre dubitationes. Prima dubitatio, habitus ſcientię ſuam rationem formalem ſumit ab obiecto: at obiectū Theologiæ, Deus nimirum ipſe, continet eminenter rationem practici & ſpeculatiui: ergo etiam Theologiæ habitus erit eminenter practicus & ſpeculatiuus. Hæc ratio aliquid concluderet, ſi Theologia eſſet vnus ſimplex habitus, & ſolum Deum haberet pro obiecto: ſed cum conſtet ex pluribus habitibus, qui verſantur circa obiecta practica, vt patet in ea parte Theologiæ, in qua agitur de humanis actibus, & de virtutibus: propterea non eſt neceſſe, vt ſit eminenter practica & ſpeculatiua, ſed formaliter vtrunque, pro ratione partialium obiectorum, & habituum. Secunda dubitatio: ſcientia, cuius principium eſt practicum, eſt practica: at doctrina reuelata, ſeu habitus fidei eſt practicus; quia ideo ſit reuelatio
2. Tim. 3. ex diuo Paulo, vt homo Dei ſit perfectus, & ad omne



omne opus bonum inſtructus, igitur Theologia, quæ ex tali principio fluit, erit ſolum practica. Et diuus Iacobus, fidem ſine operibus mortuam eſſe dixit. Huc etiam pertinent innumeræ ſacræ ſcripturæ & ſanctorum patrum auctoritates, quibus demonſtrari poſſet totam philoſophiam Chriſtianam ad actionem referri. Hāc obiectionem hunc in modum diſſolueres: homo ille, qui eſt miniſter Dei futurus, vt ſunt ſacri doctores, debet eſſe inſtructus ad quodcunque opus bonum: inter alia autem opera bona continentur actus ſcientiæ ſpeculatiuæ, quos recenſet Apoſtolus, vt ſunt docere, arguere, corripere: quod ſi velis per opus bonum intelligere tantū virtutis opus, dicimus hanc doctrinā eſſe etiam vtilem ad hoc genus operum quatenus vniuerſe operationem dirigit. Negarem itaque habitum fidei eſſe ſolum practicum; cum, vt ſupra diximus, ſit eminenter practicus & ſpeculatiuus; & ad principia, tum practica, tum ſpeculatiua inclinet. Quod ſi hic peteres, ſi fides, quæ eſt habitus principiorum, eſt eminenter vtrunque, cur non etiam habitus Theologiæ, qui inde deducitur? Iam ſupra diximus, non eſſe parem rationem fidei, & noſtræ Theologiæ; quia illa non acquiritur per actus noſtros, ſed a Deo infunditur, hæc vero maxime: vnde non eſt par vtriuſque ratio. Tertia dubitatio contra id, quod diximus, Theologiam eſſe formaliter practicā: nam illa ſcientia eſt formaliter practica, quæ eſt proxima

Cap. 1. Rom. 13. 1. Tim. 1. Auguſ. in Ench. c. 1. Lib. 1. de doct. chr. c. 53. Greg. homil. 10. in Ezech.

proxima regula operis, & per hoc intrinſece practicum diſtinguitur a ſpeculatiuo: ſed Theologia non eſt huiuſmodi, igitur. Quod Theologia non ſit talis, patet, quia per ſolum habitum Theologiæ non dirigitur quis ad bene agendũ, cum is, qui eſt hac doctrina præditus poſſit non recte viuere: cum ad honeſte agendum requiratur voluntatis rectitudo, quæ non habetur a Theologia. Hæc argumentatio ſolum probat Theologiam non eſſe practicam in particulari, quaſi particulariter actiones humanas dirigat, quod eſt munus prudentiæ, & quorundam donorum Spiritus ſancti: ſed non concludit quin ſit formaliter practica, præſertim ratione partialium obiectorum, & particularis finis quarundam partium huius doctrinæ, quas non ſolum vt ſpeculemur, ſed etiam vt operemnr diſcimus,
Li.2. c.2. vt Ariſtoteles de philoſophia morali dixit. Ideo
Prou. 10. de hac doctrina legimus, Sapientia eſt viro prudentia, prudentia autem rationem directiuam importat. Quarta dubitatio: an ratio practici actus poſſit reuera reperiri in actibus intellectus, quod nos ſupra negare viſi ſumus. Circa hanc dubitationem non conueniunt inter ſe doctores: nam Scotus, Capreolus, & Caietanus, ſolum appellant praxim actum extra intellectum ab habitu practico intellectus ordinatum: alij vero ſunt, qui putant praxim poſſe etiam eſſe in actibus intellectus. Nos de hac re ita ſtatuimus. Primum, ſi praxis ſumatur pro actu dirigente,



certum eſt in actibus intellectus eſſe praxim: quia actus prudentiæ ſunt practici, & lex quæ formaliter ad intellectum pertinet, eſt praxis, & intellectus practicus producit ſuum actũ, qui non eſt ſpeculatio. Deinde, ſi praxis ſumatur pro actu directo, prudentia poteſt dirigere omnes actus internos & conſequenter, etiam ipſum actum ſpeculandi, qui tunc diceretur praxis, ſed tamen impropriè, cum ſemper maneat in ſua natura, & ſit ſpeculatio: & idem dicas de alijs actibus intellectus, qui non ſunt ſpeculatio. Poſtremo, magis proprie praxis dicetur quicunque alius actus ab arte, ſiue a prudentia regulatus. Quincta dubitatio: ſi Theologia eſſet ſcientia ſpeculatiua maxime id ei conueniret, vt dici ſolet, quia habet pro fine viſionem beatificam, quæ eſt ſpeculatiua: at probabilius eſt finem huius doctrinæ eſſe amorem, qui in actione conſiſtit, igitur. Facilis eſt ſolutio: quoniam in vtroque eſſentialiter beatitudo ſita eſt: licet dubitari ſoleat, quid ſit præſtantius, amor an cognitio: adde etiam quod amor in patria non eſt proprie praxis.

## *Explicatur doctrina articuli quincti diui Thomæ: ac etiam varij recenſentur auctores, qui pro defenſione doctrinæ Chriſtianæ ſcripſerunt. Cap. XIX.*

ET ſi Deus optimus maximus ob ſuam erga humanum genus miſericordiam, menſam omni

Pſal.22. omni ciborum genere refertam, & eleganter inſtructam coram hominibus parauerit: tamen tanta eſt hominum ignauia, atque peruerſitas, vt non modo ad hanc menſam non accedant, ſed potius eam deſpiciant, ac vili pendant: de qua paruipenſione aliquando Deus conqueſtus eſt. Et quod deplores, non modo noſtræ religionis hoſtes, ſed etiam ij, qui Chriſtum ſe noſcere profitentur, male de hac menſa, hoc eſt de ſacra doctrina ſentiunt, nec eam venerantur, vt deberent, nec cognitu dignam putant. Et quod ego me audiuiſſe memini, quidam dicebat potius ſe velle integrum Ariſtotelem legere, quam vnum pſalmum recitare: alius pluris Franciſcũ Petrarcham faciebat, quam Dauidem, quem etiam feliciorem poetam appellabat. Quantum etiam hæretici male ſacram Theologiam tractent, poſtea dicemus. Quare, non erit inutile, cauſſam diuinam defendentes, de dignitate, atq; præſtantia ſtudij ſacrarum literarũ aliquid hoc loco diſputare: plura qui volet, noſtrum opuſculũ, quod Fons vitæ & ſapientiæ inſcripſimus legat. De hac re diuus Thomas in articulo quincto tractans, An ſacra doctrina dignior ſit alijs ſciẽtijs, hæc docet. Prima concluſio: Sacra doctrina eſt dignior alijs ſcientijs. Primo, quia Prouerbiorum nono introducitur hæc doctrina tanquam domina, quæ mittit ancillas ſuas, hoc eſt alias ſcientias, vt vocarent populos ad arcem, & mœnia ciuitatis, id eſt, ad hanc ſupremam, & excel-

Lege lib. Fons vitę & ſapientiæ. c. 1. & 2. Lib. de inter hom. c. de menſa.

Lege Diony. Areopag. epiſt. ad Titũ.



excellentem ſcientiam. Venite comedite panẽ meum, id eſt, ſacram doctrinam, quæ tanquam panis, nos nutrit, & confirmat, nobiſque neceſſaria eſt. Secundo, Sacra doctrina eſt nobilior tam ſcientijs practicis, quam ſpeculatiuis, ergo eſt nobilior alijs ſcientijs. Quod ſit nobilior ſpeculatiuis patet: quia vna ſcientia ſpeculatiua eſt nobilior altera, vel ex obiecto, vel ex certitudine: at Theologia eſt vtroque modo nobilior ergo. Quod præſtet alijs ratione certitudinis patet; quia aliæ ſcientiæ nituntur lumini creato, cui poteſt ſubeſſe falſum: hæc vero lumini diuino, cui non poteſt ſubeſſe falſum. Eſt etiam dignior ratione obiecti; quia aliæ ſcientiæ, vel agunt de creaturis, vel de Deo ſecũdum ea, quæ humanum captum non ſuperãt, hæc autem agit etiam de ijs, quæ ratione humana attingi nequeunt. Eſſe practicis digniorem, ſic probatur. Inter practicas illa eſt nobilior, quæ non ordinatur ad finem alterius, ſed potius aliæ ad finem ſuum, vt patet de equeſtri, ad quam ordinatur quæ fræna conficit: at ad finem Theologiæ ordinantur omnes practicæ, cum eius finis ſit beatitudo, ad quam omnis humana actio ordinatur, ergo. Secunda concluſio: Theologia ſecundum ſe eſt certiſſima, licet reſpectu noſtri, propter debilitatem humani intellectus, ſit incerta; veruntamen minima rerum altiſſimarum cognitio deſiderabilior eſt, quam cognitio aliarum rerum maxima. Tertia concluſio: Vtitur Theologia

Ariſt. li. 1. de anima. c. 1.

Ariſt. li. 2. Eth. c. 1.

Ariſt. lib. de part. c. 1.

logia alijs ſcientijs, non propter ſe, ſed propter nos: quia ſine illis hanc percipere nõ poſſumus: quæ ſua principia immediate a Deo habet. Circa hanc diui Thomæ doctrinam hæc ſunt breuiter notanda. Primum, quæ de Deo cognoſcuntur per lumen ſupranaturale, ex ſe, non eſſe digniora, quam ea, quæ naturaliter cognoſcuntur ſecundum ſe: quia quæ in Deo ſunt, omnia æqualiter digna ſunt: ſed reſpectu noſtri poſſunt appellari digniora, quæ vim naturæ ſuperant. Deinde notandum eſt, illam propoſitionem, eam artem eſſe nobiliorem, quæ non ordinatur ad finem alterius, non eſſe veram, ſi ſimpliciter ſumatur: quia ars, exempli gratia, fingẽdi vaſa, non ordinatur ad equeſtrem, & tamen, equeſtris eſt nobilior. Eſt igitur vera in illis artibus, quæ ſunt inter ſe ſubordinatæ, quarum illæ ſunt nobiliores, ad quas aliæ referuntur; quo modo Theologia, quatenus eſt practica, ſe habet ad alias ſcientias. Poſtremo, animaduertendum eſt, eandem propoſitionem eſſe intelligendam de fine ſcientiæ per ſe, non de fine ſcientis: quia poſſet aliquis ordinare Theologiam ad finem aliquem, qui eſſet inferior fine aliarum practicarum. Et hæc de articulo diui Thomæ. Hanc quæſtionem Chriſtianam doctrinam defendentes olim tractarunt ſancti patres. Cyrillus contra Iulianum apoſtatam: Gregorius Nazianzenus in orationibus contra eundem: Theodoretus de curandis græcanicis affectionibus, Theo-

Orat. 2.



Theophilus contra Autolycum, Origenes contra Celſum, Euſeb. Cæſarien. in lib. de præpar. & demonſtrat. Euangelica, & alij, quos inter diſputandum citabo. Inter vituperatores Chriſtianæ philoſophiæ ſpeciatim impius Iulianus, vt eſt apud Cyrillum, dicebat Galileorum, id eſt Chriſtianorum, quos per ignominiam Galileos appellabat, doctrinam, eſſe hominum figmentum malignitate compoſitum, & nihil diuinum cõtinere: his & alijs ſimilibus probris eam proſecutus eſt. Damnarunt etiam quidam alij, referente Nicephoro: vt Porphyrius, Lybanius ſophiſta, & ante hos Marcellus Gallata. Refertque illud priuatim de Iuliano, hæc ad ſuos Antiſtites, quos ad Idolorum cultum excitabat, ſolitum de hac doctrina ſcribere: ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων, id eſt, legi, cognoui, damnaui. Cui quidam ex noſtris, communi nomine, ita reſpõdit. Ανέγνως, ἀλλ᾽ οὐκ ἔγνως: εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως, id eſt, Legiſti, ſed non cognouiſti; ſi enim cognouiſſes, non damnaſſes.

### *Attinguntur nonnulli loci, quibus chriſtianæ doctrinæ præſtantia demonſtrari poteſt. Cap. XX.*

QVAMQVAM in laudem huius diuinæ doctrinæ longa poſſet haberi oratio: tamen ne introductionis terminos tranſiliamus, breuius quã res tanta dici poſſit, quoſdam

Lege totũ lib. Fõs vitæ & ſapientiæ.

dam potius locos attingendo, quam eos tractando, hunc latiſſimum campum percurremus. Dicimus ergo doctrinam chriſtianam, & ſcripturarum, ſacræq; Theologiæ ſtudium eſſe præſtātiſſimum, & digniſſimum, in quo pręclara ingenia cum laude & gloria verſari poſſint, ac debeant. Hoc pronunciatum nõnullis capitibus, quę breuiter attingam, facile demõſtrabitur. Et primũ a pręclaris & illuſtribus nominibus, quibus hęc doctrina a ſacris ſcriptoribus nuncupata fuit. Appellatur enim lumen, lucerna, & lux, quia lumen & lucem pręb et, oculoſq; illuminat. Aqua, quia refrigerat, ardores concupiſcentię reſtinguit, & ſordes lauat: qua qui carent, appellantur nubes ſine aqua. Vinum, quia exhilarat, & diuino amore inebriat. Panis vitę & intellectus, quia corroborat, vireſq; debilitatas inſtaurat: quem panem quotidie boni filij petũt, ſed nõ eſt qui frangat eis. Lac, quia, vt eſt panis & cibus pro adultis & perfectis, ita eſt potus & ſuccus ſuauiſſimus pro infantibus & imperfectis. Margarita, ob myſteriorum dignitatẽ, & doctrinę excellentiam: quę margarita nõ eſt proijcienda ante porcos, hoc eſt ante homines improbos, & indignos, qui diuina legant. Menſa, ob ciborum ad omnem guſtum accommodatorum varietatem: quam menſam impie deſpiciunt, ac euertunt hęretici. Pluuia, quia e cœlo defluit, & hominum mentes irrigat, & fœcundat. Sunt etiam alia multa & pręclara nomina, quibus

Pſal. 18. Eccli. 15. Pſal. 1. Sap. 9. Cant. 4. Mat. 19. Eccli. 15. The. 4. 1. Cor. 3. 1. Pet. 2. Mat. 7. Pſal. 22.



quibus huius diuinæ ſcientiæ oſtenditur excellentia, quæ breuitatis cauſſa omitto. Deinde, quanti facienda ſit hæc cœleſtis diſciplina colligitur ex materia in qua verſatur, cum Deũ non ſolum naturaliter, ſed etiam per reuelationem cognitum, & maxima myſteria, vt incarnationis, ſacramentorum, gratiæ, iuſtificationis, & id genus alia pro ſubiecta habeat materia, & præterea nobiliſſimas creaturas, Homines & Angelos. Quarum rerum, vel minima cognitio, eſt multo amabilior, ac iucundior, quam aliarum rerum maxima. Sumit etiam ſuam præſtantiam a ſubiecto, in quo inhæret, nimirum ab intellectu humano; qui, ſi huic ſcientiæ operam ſit daturus omni humana ſcientia, & liberali arte inſtructus eſſe debet. Veluti Phyſiologia, Mathematica, Metaphyſica, Aſtrologia, legum ſciẽtia, hiſtoria, oratoria facultate, alijſq; bonis diſciplinis. Si eius formã ſpectes inuenies eſſe ſcientiam, & ſapientiam, quæ & ſpeculationem & actionem continet. Si efficientem cauſſam primariam conſideres, quid poteſt eſſe hac doctrina præſtantius, cum ſit a Deo proxime reuelata? Si cauſſam iuuantem, auctores fuerunt viri ex omni hominum genere illuſtriſſimi, Moyſes, Dauides, Salomones, Iſaiæ, Petri, Pauli & Ioannes, vt ceteros miſſos faciam. Propterea diuus Paulus hanc doctrinam deſcribens dixit, non eſſe ſapientiam huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui abolentur, ſed ſapientiam Dei in

Supra li. 1. c. 2. Heb. 1. 2. Pet. 1.

 myſte-

myſterio, quæ ſt recondita, quam præfiniuerat Deus ante ſæcula, quam per ſpiritum ſuum reuelauit. Finis, eſt omnium præſtantiſſimus, Dei ſcilicet & ſui cognitio, Dei & proximi amor, & ſummæ ac immenſæ veritatis ſpeculatio. Indicant præterea huius doctrinæ præſtantiam, ac dignitatem eius effectus mirabiles, quos recenſere ac explicare ſi vellem nimis longum facerē, Sat igitur erit, ſi vnum attingam locũ, vbi multos conglobauit Dauid. Lex Domini animas conuertit, ſapientiam dat paruulis, corda lætificat, oculos illuminat, & ſuis cultoribus maxima & æterna præmia donat. Huc etiam pertinet totus pſalmus cẽteſimus decimuſoctauus. Poſſem hic pœne innumeros percenſere fructus & vtilitates, quæ ex hoc ſtudio colligantur, ni alio loco hac de re iam diſputaſſem. Ad huius diuinę ſcientię dignitatem demonſtrandam id etiam facit, quod ſummi viri omni tempore, apud omnes nationes in hanc vnam ſcientiã incubuerunt. Et vt omittam veteres Hebręos, ex noſtris, Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanaſius, Baſilius Dydimus, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Hilarius, & innumeri alij, qui fuerunt viri pręſtanti ingenio ornati, & multos libros ad hanc doctrinam declarandam & amplificandã ſcripſerunt; qui etiam ſummopere, varijs ſententijs, & ſermonibus celebrarunt, varijſq; ſimilitudinibus eius pręſtantiam explicarunt: dum eam

Pſal. 18.



eam ingenti & ornatiſſimo palatio, agro fertiliſſimo, prato floridiſſimo, cõuiuio elegantiſſimo, ligno paradiſi, mannæ, ac alijs præſtantiſſimis rebus compararunt. Omitto hoc loco huius ſcientiæ antiquitatem, veritatem, integritatem. conſtantiam, & permultas alias rationes, quas in medium poſſem afferre, & ſolum quę Sapiẽs in libro ſuæ ſapientiæ de hac ſapientia dixit, in pauca verba confero. Tanti itaque omnium hominum ſapientiſſimus Salomon hanc ſapientiam fecit, vt illam regnis & ſedibus præpoſuerit, diuitias ei collatas nihil eſſe putauerit, & omne aurum arenam, & argẽtum lutum, ſi huic doctrinæ conferatur, eſſe dixerit. Eſt hæc diuina ſapientia ſpecioſior ſole, ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata reperitur prior: cũ eius lumen extingui nequeat. Eſt hæc doctrina candida, ſyncera, non inquinata, lucida, caſta, precioſa, locuples, auro deſiderabilior & melle dulcior. Eſt hæc doctrina omnium bonorum mater, omnia ſecum animi & corporis bona affert, cum ſit theſaurus infinitus, quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei. Tanta eſt huius veræ ſapientiæ vis atque facultas, vt nulla dicendi facundia explicari poſſit: ſiquidem omnia innouat, omnia nouit, omnia poteſt: in animas ſanctas ſeſe transfert, amicos Dei facit, os mutorum aperit, linguas infantium diſertas reddit, prophetas conſtituit, & denique attingit a fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia

Pſal. 18.

 ſuaui-

ſuauiter. Merito igitur Salomon hanc amauit a iuuentute, hanc ſibi in ſponſam quæſiuit. Hi fuerunt Salomonis amores, hæ delitiæ, hæc oblectamenta: huius pulcherrimæ omnium ſcientiarum reginæ amore ſe capi ſiuit: cum hac ſponſa conquieſcere voluit: cuius facies decora, vox dulcis, conuictus ſuauis, ſermo iucundus, & diſertus. Eius, qui hanc ſapientiam abijcit, vita eſt infelix, ſpes vacua, labores ſine fructu, & opera inutilia. Tanta itaque huius ſapientiæ præſtantia, tot vtilitatibus, tantoque tanti regis exemplo excitati, ad eius conſecutionem omnibus animi viribus, omni ſtudio, cura, atque cogitatione contendamus; cum facile inueniatur ab ijs, qui diligunt illam: & præoccupet eos, qui ipſam concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. Et ne longius quam vellem hic excurrat oratio, ad eum librum, quem de laudibus diuinæ ſcripturæ, ſtudijque theologici anno ſuperiore in lucem dedi, qui Fons vitæ & ſapientiæ inſcribitur, lectorem reijcio. Concludamus itaque hanc doctrinam eſſe omnium ſcientiarum digniſſimam vtiliſſimam, & maxime neceſſariam, ita vt nulla alia dignitate, vtilitate, & neceſſitate ei comparari queat. Quæ autẽ contra afferri rationes ſolent, ſequenti capite ſoluentur.

Sap. 3.

Refel-



### *Refelluntur nonnullæ rationes, quibus ſacræ doctrinæ operam dandam non eſſe probatur. Cap. XXI.*

TAM & ſi ita certum ſit, hanc doctrinam, eſſe omnium digniſſimam, ac maxime neceſſariam, quam quod certiſſimum: tamen, non deſunt rationes aliquot, quibus contrarium, aliquo pacto homines erga hãc doctrinam parum bene affecti, probare nituntur: quas nunc afferam & diſſoluam. Prima ratio, illa non eſt præſtantiſſima doctrina, in qua excellens ingenium cogitur ſuccumbere, ac dicere, Ipſe dixit, ſed ea in qua poteſt libere vagari, inueniendo noua, confutando vetera, veritatem magis ac magis illuſtrando; quod nemo ſane mentis negaret: atqui in Theologia hæc præſtare non licet; quia ſtandum eſt ijs, quæ decreta ſunt, nec aliquid oportet addere, aut imminuere, vt ipſamet diuina ſcriptura docet; nõ igitur erit ſcientia præſtãtiſſima. Hæc ratio facile ſoluitur: fatemur quidem principia eſſe credenda, nec eis, quantum ad ſubſtantiam, aliquid eſſe addendum: quod tamen non fit ſine maxima vtilitate, & merito, quod credentibus promittitur: & Deo credere præſtantius eſt, quam humanæ rationi, quæ eſt admodum imbecilla, fidere. Deinde, circa principia poteſt quoduis feliciſſimum ingeniũ multum vagari, ea cognoſcendo, declarando, appa-

Apoc. 22.

 rentes

rentes contradictiones remouendo,& impugnatores refellendo, ac varias concluſiones, ex quibus conflatur ſcholaſtica doctrina, eruendo: in qua doctrina innumeræ tractantur ac diſputantur quæſtiones, in quarum finitione feliciſſima ingenia ſe exercere poſſunt. Feliciſſimum illud, ac admirabile Origenis ingenium ſuper paruo canticorum libello duos & triginta libros conſcripſit. Ioannes Picus Mirandulanus in pauca primi capitis Geneſeos verba ſeptem libros exarauit: quidam alius duos & viginti annos verſatus eſt in explicatione primi capitis Iſaiæ. Secunda ratio, Illa eſt præſtantiſſima ſcientia ratione noſtri, quæ noſtræ intelligentiæ eſt accommodata, ac proportionata: cuiuſmodi profecto non eſt hæc doctrina, quod non modo Patres affirmant, ſed etiam ipſa diuina auctoritas aperte docet. Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia credetis? Et Dauid, Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, id eſt, maior eſt, quam quod a me percipi poſſit, & non potero ad eam, id eſt, non potero eam conſequi. Quid? quod Ariſtoteles dixit, intellectũ humanum ſe habere ad diuina, tanquam oculum veſpertilionis ad diem. Varijs modis hæc calumnia deleri poteſt: primum; ſi quid hoc argumentum probat, ſolum noſtræ intelligentiæ imbecillitatem demonſtrat; ſed de dignitate huius ſcientiæ nihil detrahit: Sicuti de dignitate Metaphyſicæ nihil detraxit Ariſtoteles, cũ allatam

Ioan. 3. Pſal. 138. L. 2. Met.



allatam pronunciauit ſententiam. Deinde, ſolum probat non eſſe accommodatam intellectui lumine fidei carenti: quo lumine qui eſt præditus, huius doctrinæ capax eſſe, & in lumine lumen videre poteſt. Et regius propheta, quia credidit locutus eſt. Quare, is quo cum loquebatur Dominus, ideo non poterat ſpiritualia percipere, quia non dum erat hoc diuino lumine illuſtratus, ac ſpiritualiter renatus. Tertia ratio, Illa eſt digniſſima ſcientia, quæ perficit nobiliſſimam humani intellectus operationem, cuiuſmodi eſt tertia operatio, qua diſcurrimus, & ratiocinamur, & ratiocinando veritatem attingimus: at vero hæc ſcientia potius perficit apprehenſionem, cum in ea aliorum dictis acquieſcamus, nec iudicium noſtrum interponamus: igitur. Facile hæc ratio ex iam dictis ſoluitur: tũ quia in hac quoque ſcientia licet ratiocinari, ac de rebus dubijs iudicium ferre: tum etiã, quod perfectio intellectus potius a re cognita pendet, quam a modo, quo rem attingit. Adde etiam, ſi placet, quod non eſt improbabile, tertiam operationem eſſe ignobiliorẽ prima, qua rem ſimpliciter apprehendimus. Quarta ratio, ea eſt ſciẽtiarum digniſſima, quæ eſt ordinata, & cum methodo, & eloquentia tradita: quod de ſacra doctrina affirmare non licet: quam ob cauſſam quidam nõ admodum libenter in ea verſantur, cum in ea ordinem ac ſtylum meliorem, qualis eſt in libris Ariſtotelis deſiderent. Multa petit hoc

Pſal. 35. Pſal. 115.

hoc argumentum, ad quod multis reſponderi
poſſet, ſed rem breuiter perſtringam. Quod atti-
net ad ordinem, nemo ſanę mentis ſerio affirma
re auderet, eam doctrinã eſſe inordinatam, quã
totius ordinis auctor Spiritusſanctus dictauit:
quod ſi hunc ordinem nõ percipimus, id noſtræ
attribuamus ignorantiæ. Deinde, qui in hac do-
ctrina explicanda ſunt verſati, qui finem ad quẽ
eſt ſcripta norunt, ordinem in ea inueniũt. Cum
Iſa.55. ergo aliæ ſint viæ Domini, aliæ hominum, non
debemus diuinam doctrinam regulis metiri hu
manis. De eloquentia, qui diuinarum ſcriptu-
rarum eloquentiam, vniuerſe loquendo, non vi-
det, is certe, quid ſit eloquentia, & in quo ſita
ſit, ignorat: quod nos alio opere, fauente Deo,
latius demonſtrabimus. Fatemur tamen, ſi ipſas
Orig.lib. verſiones inſpiciamus, in eis non eſſe verborum
periar. elegantiam, quod non ſine cauſſa factum fuiſſe
exiſtimare debemus. Quincta ratio, ex eo po-
tiſſimum aliqua doctrina dignitatem ac nobili-
tatem ſumit, quod certitudinem habeat, vt ex
Lib. 1. de Ariſtotele diſcitur: at iſta ſacra doctrina, vt eſt
ani. c.1. in nobis, non habet certitudinem, ſed eſt dubi-
tationi ſubiecta, igitur. Quod ſi dicas, eſſe cer-
tam ſecundum ſe, hoc nihil eſt, quia facimus cõ-
parationem inter hanc & alias ſcientias, vt in
nobis ſunt. Et quod hæc doctrina, vt in nobis
eſt, non ſit certa, ipſe diuus Thomas in reſpon-
ſione ad primum argumentum aperte docere
videtur: vbi primum ait, nihil prohibere eſſe
ſecun-



ſecundum nos minus certum, quod ſecundum
ſe certum eſt: deinde dubitationem quæ acci-
dit circa articulos fidei, dicit oriri ob debilita-
tem intellectus humani: quare affirmare vide-
tur, hanc doctrinam ex parte noſtri non eſſe cer-
tam: non erit igitur perfectiſſima ſcientia ex
parte certitudinis. De certitudine huius doctri-
næ latius a nobis inferius diſputabitur, cum de
eius principijs agemus: nunc breuiter dicimus,
quod poſtea multis rationibus confirmabitur,
hanc doctrinam etiam ratione certitudinis, &
ratione noſtri ſuperare omnes alias ſcientias:
quod ſi in quibuſdam talem non producit effe-
ctum, id eſt in cauſſa, quod ij fidei lumine non
vtuntur, vt vti deberent: cum ex ſe ſit aptum
ad efficiendam in omnibus huiuſmodi certitu-
dinem, ob quam omnis humana ratio, & de-
monſtrationes etiam ipſæ, ab ijs, qui huius do-
ctrinæ lumen percipiunt, negliguntur. Nec di-
uus Thomas hic contrarium docet, ſed ſolum
vniuerſe ait, ob imbecillitatem intellectus hu-
mani, poſſe fieri, vt non habeat eam certitudi-
nem, quam ex ſe habet. Quod autem diuus
Thomas contrarium non doceat, patet ex ijs,
quæ in ſecunda ſecundæ quæſtione quarta, arti-
culo octauo, hac de re ex profeſſo docuit.

*Expli-*

*Explicatur doctrina articuli ſexti diui Thomæ: agiturq; de nomine, & definitione ſapientiæ. Cap. XXII.*

HOc grauiſſimum ſapientię nomen, ſemper inter mortales plurimi factũ fuit: ac proinde eam libenter ſectantur, & amplectuntur facultatem, quæ tanto nomine digna eſſe iudicatur. Quod nomen, cum maximam quandam perfectionem, ac dignitatem ſecum afferat, non eſt profecto cuique ſcientiæ, vel arti temere tribuendum. Ideo, quamuis ſacra doctrina omnibus ſcientijs, tum practicis, tum ſpeculatiuis antecellat; non dum tamen exploratum eſt, an ei ſapientiæ nomen & natura conueniat, quod nunc examinandum proponitur, vt huius doctrinæ forma magis explicetur. De qua re ſanctus Doctor, primum quid ſit ſapiens docet: deinde, quot modis quis dicatur ſapiens manifeſtat: poſtea ſapientis actus numerat, poſtremo propoſitæ quæſtioni reſpondet: cuius doctrinæ ſumma hæc eſt. Sacra doctrina eſt ſimpliciter ſapientia: cum alias ſcientias ordinet, & de illis iudicet, vltimumq; finem conſideret, & de altiſſimis cauſſis agat. Et licet ſua principia ſupponat; non tamen ea ab aliqua ſcientia humana accipit, ſed a diuina: Nec eius eſt aliarum ſcientiarum probare principia, cum ex alio lumine procedat, ſed ſolum de illis iudicare. Neque eſt eadem cum ſapientia, quæ eſt donum Spiritus ſancti: quia illa iudicat per modum inclinationis, hæc vero per modum cognitionis. Hæc breuiter ex diuo Thoma: quæ latius deinceps a nobis explicanda ſunt. In hoc autem capite primũ quot modis vſurpetur hoc nomen, Sapiens, aperiemus: deinde varias ſapientiæ definitiones, & diuiſiones afferemus. Sapiens, in primis dicitur is, qui perfectiſſime cognoſcit omnia diuina, & humana, omni modo, quo cognoſci poſſunt: qua ratione ſolus Deus eſt ſapiens. Ita ſapientis nomen accepit Auguſtinus libro ſeptimo de Trinitate capite primo, & Socrates apud Platonem in Phœdro, vbi ſic ait; Sapientis nomen, o Pœhdre, magnum, ſolique Deo conuenire videtur: Philoſophi vero, aut ſimilis alicuius cognomine, cuiuſmodi viros, quales modo deſcripſimus, conuenientius modeſtiusq; nuncuparemus. Quod Pythagoram feciſſe narratur: qui cum a Leonte Phliaſiorum principe interrogaretur, quis nam eſſet, non ſe ſophon, id eſt, ſapientem, ſed philoſophon, id eſt, ſapientiæ amatorem, modeſtiæ cauſſa, nominauit. Dicitur deinde ſapiens is, qui ſcit omnia & maxime quę ſunt in rerum natura ſuprema & pręſtantiſſima; & qui de omnibus alijs ſcientijs per ſupremas cauſſas iudicat: & deniq; is, qui intellectum primorum principiorum, & ſcientiam concluſionum habet: cuiuſmodi eſt Metaphyſicus. Hanc ſapientis notionem probauit Ariſtoteles ex Homero, qui ſic cecinit:

Et dial. 5. de rep.

Cic. lib. 5. Tuſc.



Is

*Is nec foſſor erat, nec erat robuſtus arator,*
*Aut alia re aliqua ſapiens.*

Euſt. in li. 6. Eth. Ac ſi dixiſſet, vt Euſtratius exponit, non quodam modo, vel aliqua re, vt ij qui artibus excellunt, ſed qui omnia nouit. Item, ſapiens ſecundum communem hominum opinionem, is dicitur, qui eſt in aliqua arte peritiſſimus: quo pacto Polycletus ſapiẽs ſtatuarius nominabatur, quod eſſet in ſtatuis cõflandis peritiſſimus. Et qui hac ratione ſapientes nominantur, non ſunt ſimpliciter ſapientes, ſed ex parte, & in re aliqua. Item, ſapiens is vocatur, qui aliquam ſuperiorem artem tenens, artibus inferioribus imperat, easq; ad ſuos fines ordinat: quo modo artis militaris peritus dicetur ſapiens, quia artem equeſtrem, & alias, quæ ad bellum recte gerendum referũtur, ordinat, & dirigit. Similiter architectus, qui inferioribus artificibus ad rectam domus constructionem vtitur, illisq; aliquid præcipit. 1. Cor. 3. Ad quod alludens Apoſtolus, dixit: Vt ſapiens architectus fundamentum poſui. Hinc fit, vt is etiam, qui prudẽtia eſt ornatus, cum omnes ſuas actiones ſecundum varias circumſtantias in finem honeſtum ordinet, ſapiens appelletur. Huc facit illud Prou. 10. Sapientia eſt viro prudentia, id eſt, prudentia viri eſt quædam ſapientia, Lib. 4. de leg. Cap. 7. quæ longa experientia comparatur. Hoc modo nomen ſapientis accepit Plato, cum artem gubernandi remp. ſapientiam appellauit. Quam opinionem in ſexto Ethico refellit Ariſtoteles: cuius



cuius confutatio vera eſt, ſi Plato de ſapientia ſimpliciter locutus eſt, quod non crediderim. Præterea, ſapiens is dicitur, qui eloquentiã profitetur, & ſola verborum elegantia delectandi cauſſa, delectatur: qui apud Græcos olim ſophiſta nominabatur: cuius naturam libro de Oratore eleganter pinxit Cicero. Huc facit illud Pauli: Non veni, ἐν σοφίᾳ λόγυ, id eſt, in ſapientia ſermonis. Denique, ſapiens is dicitur, qui ea quæ cognouit, ad honeſte viuendum traducit, & ſimul eſt doctus, ac ſtudioſus. Hoc modo Apollinis iudicio ſolus Socrates ſapiens appellatus fuit, quod vna cum cognitione, rectam viuendi rationem coniunxerit: quod qui non fecerunt, inſipientes & ſtulti a Paulo ſunt appellati: & hoc modo ſapientis nomen paſſim apud Platonicos vſurpatur. Ex his patet, quot etiam modis ſumatur ſapientia, & quotuplex ſit: quæ hunc in modum commode diuidi poteſt. Sapientia, alia diuina, alia humana: illa rurſus duplex, alia æterna & infinita, ipſa nimirum cognitio Dei, qua ſe & alia omnia perfectiſſime cognoſcit, quæ communis eſt tribus perſonis diuinis; ſed ſolet Filio attribui, qui dicitur ſapientia Patris: quia per modum cognitionis a Patre manat: alia eſt diuina participata, quam Deus nobis reuelauit; quæ ab Auguſtino greco vocabulo, θεοσέβεια, id eſt, Dei cultus nominatur. Humana duplex, altera ſecundum quid, cognitio ſcilicet perfecta alicuius artis, altera, ſimpliciter, quam

Plato in Theat.

Lege li. 1. de arte di cẽdi diſp. 1.

Lucian. Cicer.

Rom. 1.

Aug. lib. 14. de Tri. c. 1.

Lact. Fir. lib. 3. c. 8.

quam ſtatim deſcribemus: quæ ſi cum honeſta viuendi ratione copuletur, erit ſapientia conſummata, atque perfecta. Cum ergo ſapientia varie ſumatur, varie etiam definita fuit. Vt autem eius vis atque natura facilius percipiatur, quas proprietates Ariſtoteles ſapiētię tribuit, eas nunc recenſebo. Ariſtoteles ergo in primo ſuæ ſapientiæ libro, dixit, ſapientiam, ſeu ſapientem debere ſcire omnia, non ex parte: & cum omnia dixit, excluſit ſingularia, quæ certa cognitione a nobis comprehendi nequeunt: debet cognoſcere difficilia & a ſenſibus remota, quia cognoſcere ſenſibilia nō eſt ſapientis: habet ſapientia maiorem certitudinem eorum, quæ nouit, quam habeant aliæ ſcientiæ: aſſignat cauſſas cuiuſlibet quæſtionis: eſt gratia ſui, libera: & denique eſt dignior alijs, & alias ordinat, deq; alijs iudicat. Ex quibus conditionibus talem conflares ſapientiæ deſcriptionem. Sapientia eſt quæ omnia difficilia per cauſſas etiam altiſſimas certiſſime tanquam architectonica nouit. Voco architectonicam, qua voce demōſtratur eſſe cauſſa ſui, & alias ordinare, quæ duo munera architectonicæ arti conueniunt. At ex ſexto Ethico talem licet colligere ſapientiæ deſcriptionem. Sapientia eſt rerum præſtantiſſimarum ſcientia & intellectus. Auguſtinus hunc in modum ſapientiam finiuit. Sapientia eſt rerum diuinarum, atque humanarum ſcientia: quam definitionem a Cicerone libro primo de officijs accepit.

Cap. 2.

Li. 1. Eth.

Cap. 7.

Lib. 14. de Trin. c. 1.



pit. Alibi hoc pacto deſcripſit: Sapientia eſt animæ modus, vt neque excurrat in nimium, neque infra, quam plenum eſt, coarctetur. Quibus verbis definiuit ſapientiam, quæ in moribus eſt ſita. Lactantius Firmianus, hac ratione: Sapientia eſt ſcientia cum virtute coniuncta. Sed vt adhuc melius ſapientiæ naturam euoluamus, quid ſapientia ab alijs habitibus cognitionis, qui ſunt in intellectu differat, ſequenti capite explicabimus.

Lib. de vita beata.

Li. 3. c. 8.

## *Qua ratione ſcientia & ſapientia inter ſe diſtinguantur.* Cap. XXIII.

IN humana ratione, ex Ariſtotelis doctrina in Ethicis, quinque reperiuntur cognitionis habitus, quos aliqua ratione inter ſe differre, cum tanquam diuerſi numerentur, neceſſe eſt. Hoc autem loco nobis ſpeciatim demonſtrādum eſt, quo nam pacto ſapiētia ab alijs diſtinguatur, & maxime a ſcientia & intellectu: quæ res apud ſcriptores eſt valde dubia, atque incerta. Quod diſtingui debeant ex eo conſtat, quod ſapientia ſeorſim ab illis numeratur, & definitur. Cōtra vero, quod non debeat diſtingui, primum patet ex doctrina Ariſtotelis dicentis ſapientiam eſſe intellectum & ſcientiam honorabiliſſimorum in natura: igitur ſapientia idem eſt, quod intellectus & ſcientia. Deinde, omnis noſtra perfecta cognitio, aut per certā luminis naturalis apprehenſio-

Li. 6. Eth. c. 3.

henſionem, quo modo a nobis cognoſcũtur prima principia, & hic eſt intellectus, vel per demonſtrationem, & hæc eſt ſcientia: ergo ſapientia, non eſt quid diuerſum ab intellectu, & ſcientia, quia cum non ſit quid conflatum ex intellectu, & ſcientia, erit profecto alterum ex his. Facit etiam hoc loco dubitationem, quod Ariſtoteles ait, ſapientiam, quæ eſt habitus acquiſitus per demonſtrationem, eſſe ſuperiorem habitu principiorum, cum nihil eo poſſit eſſe ſuperius: quoniam, in primo poſteriorum, intellectus dicatur eſſe quid melius, quam ſcientia. Circa hãc difficultatem ſunt hi dicendi modi. Primus eorum, qui exiſtimant ſcientiam, proprie loquẽdo, ſolum includere notitiam cõcluſionis: intellectum vero cognitionem principiorum, quod vera ſint: at vero ſapientiam in hoc conſiſtere, vt dicat notitiam, qua cognoſcitur cõcluſionem eſſe veram, propter veritatem principiorum. Itaque, cum ad demonſtrationem tres concurrant notitiæ inter ſe formaliter diſtinctę, illa tertia, per quam ſcimus concluſionem eſſe veram propter principia, & quod principia ſint concluſionis cauſſa, proprie ſapientia nominatur: vt ſapientia nihil aliud ſit, quam ſcire, quod principium ſit cauſſa concluſionis. Quidam aliter loquentes eandem opinionem introducunt, dicendo ſapientiam eſſe ſcientiam & intellectum materialiter, formaliter vero diſtingui, cum non ſit principiorum & concluſionum notitia, ſed illa

Cap. 3.



illa tertia cognitio, qua intelligitur, hoc, eſſe propter illud. Secundus dicendi modus, qui his dictis explicatur. Primum, ſapientia dupliciter accipi poteſt: vno modo, vt eſt ſciẽtia quædam, quæ res conſiderat per altiſſimas cauſſas: altero modo pro quodam habitu perfectiſſimo, & ſupremo, qui ſub vna ratione formali ſe extendit ad cognitionem, tum principiorum, tum concluſionum: qui habitus eſt eminenter intellectus & ſcientia. Secundum, ſi ſapientiæ nomen ſumatur primo modo, ſapientia ab alijs ſcientijs, ſolum differt ſecũdum perfectionem, quaſi perfectiſſima ſcientiæ ſpecies: qua ratione diceres hominem differre a brutis, tanquam perfectiſſimum animal. Tertium, ſapientia ſecundo modo ſumpta, differt ab alijs ſcientijs, tanquam ſpecies contenta ſub alio diuerſo genere: quo fit, vt & ſpecie, & genere ab alijs differat: quod ſi eſſet verum, eſſet intellectu facile, quomodo ſapientia eſſet quid altius habitu intellectus. Tertius dicendi modus eſt eorum, qui dicunt ſcientiam eſſe genus ad ſapientiam, ita vt ſapientia ſit ſpecies quædam ſcientiæ: ſed tamen, quia conſiderat aliquid ſpeciale, & maximum, ideo hoc nomen ſortita eſt. Quartus, qui affirmat Metaphyſicam eſſe ſapientiam, quia non ſolum verſatur circa communiſſima principia ſcientiæ, ſed etiam circa prima principia eſſendi, id eſt, circa Deum & intelligentias: aliæ vero circa principia magis ſpecialia: quæ ſententia

tentia non explicat propoſitas difficultates, vt poſtea dicam. Quinctus, qui affirmat ſapientiã non eſſe intellectum, vel ſcientiam: ſed ex ſe, ſolum comprehendere modum quendam particularem ſcientiæ, quatenus poteſt particulariter arguere contra negantes principia, quod non conuenit intellectui, vel ſcientiæ. Sextus modus domini Caietani, qui explicatur his dictis. Primum, ſcientia & ſapientia dupliciter conſiderari poſſunt: primo modo, quatenus ſunt habitus acquiſiti per demonſtrationem: altero, vt ſunt virtutes quædam perficientes intellectum, vt poſſit iudicare de rebus. Secundum, ſi primo modo conſiderentur, ſcientia & ſapientia non diſtinguuntur inter ſe; ſi autem altero modo diſtinguuntur: quia alio modo perficitur intellectus iudicando de rebus per cauſſas altiſſimas, quod facit per ſapientiam; alio modo iudicando per cauſſas inferiores, quod facit per ſcientiam. Et hoc pacto conſiderauit Ariſtoteles ſcientiam & ſapientiam, quando eas inter ſe diſtinxit. Tertium, ſapientia differt a ſcientia, non vt ſpecies a ſpecie, ſed vt proprium a communi, & ſicut perfectum ab imperfecto: cum ſapientia ſit quædam perfectiſſima ſcientiæ ſpecies, quam, regulam, & deam aliarum ſcientiarum appellat Ariſtoteles. Septimus modus, qui parum, aut nihil a ſexto differt, eſt eorum qui dicunt, ſcientiam generatim accipi pro habitu acquiſito per demonſtrationem: quæ deinde diui-

In 1. lib. poſt. c. 10.

Li. 6. Eth. c. 8.
L. 1. Met.
Domin. Ban.



diuiditur in ſapientiam, & ſcientiam ſpeciatim ſumptam: ita vt ſapientia ſit ſcientia per cauſſas altiſſimas, ſcientia vero, vt a ſapientia diſtinguitur, cognitio per cauſſas inferiores. Ad quod explicandũ afferunt ſimile de diſpoſitione, quæ generatim ſumpta, cõplectitur ſub ſe habitum, ſpeciatim vero, diſtinguitur contra habitum. Quid autem ſit hac in re ſentiendum, nos ſequentibus concluſionibus aperiemus. Prima concluſio: Sapientia diſtinguitur aliquo modo a ſcientia. Eſt concluſio certiſſima ex communi doctrina, & ſpeciatim ex ſententia Ariſtotelis non vno in loco; atque ex ijs quæ diuus Thomas ſcripta nobis reliquit: quare, nihil eſt cur pluribus probetur. Secunda concluſio: Sapiẽtia non eſt habitus genere diſtinctus a ſcientia. Hanc concluſionem probat efficaciter ratio illa ſupra dubitandi cauſſa allata: qua probabatur omnem habitum, aut eſſe a natura tributum, cuiuſmodi non eſt habitus iſte, vel per demonſtrationem acquiſitum, vt eſt habitus ſcientiæ, ergo non datur in nobis iſte tertius habitus, qui ab vtroque abſtrahat. Huc facit, quod Ariſtoteles nullam aliam videtur agnoſcere ſapientiã, niſi diuinam Philoſophiam, ſiue Metaphyſicã, quę per demonſtrationem acquiritur, ac propterea eſt ſcientia quædam. Tertia concluſio: Scientia, non eſt genus ratione ſapientiæ, ita vt ſapientia, ſit ſpecies ſcientiæ. Nam ſi eſſet vere genus non diſtingueretur contra ſapientiam, vt com-

Li. 6. Eth.
1. Meta. c. 1. & 2.
1. 2. q. 57. ar. 2. & q. 66. ar. 5.

communiter ab omnibus diſtinguitur. Quarta concluſio: Sapientia non eſt illa tertia notitia, vt prima opinio ſupra citata, exiſtimauit. Primum, ex Ariſtotele, ſcientia, ſiue ſcire, eſt rem per cauſſam cognoſcere, & quod illius ſit cauſſa: quare, illud, quod illius ſit cauſſa, non ad ſapientiam, ſed ad ſcientiam pertinet. Deinde, ex iſta opinione ſequeretur, cognitionẽ de quocunque imperfectiſſimo ente, ſi per demonſtrationem haberetur, eſſe ſapientiam; cum in omni demonſtratione, opus ſit cognoſcere, quod principia ſint concluſionis cauſſa. Quincta cõcluſio: Sapientia diſtinguitur a ſcientia, ſpeciatim ſumpta in hoc, quod ſit perfectior quædam ſcientia: tum quia conſiderat omnem rationem entis, ſcientia vero aliquam partem tãtum: tum etiam quod ſcientia ſua ſupponit principia, ſapientia vero omnium ſciẽtiarum principia probat, & ideo dicitur ſcientiarum caput. Sexta concluſio: Sapientia in eo videtur eſſe ſuperior habitu primorum principiorum, quod tantam vim habeat, vt poſſit, non ſolum aliarum ſcientiarum principia probare, ſed etiam ſua explicare, & contra impugnatores ea defendere: at vero habitus primorum principiorum, ſiue intellectus, hoc tantum pręſtat, vt per eum principijs aſſentiamur. Quod ſi peteres, vnde habeat ſapientia, ſiue Metaphyſica, vt poſſit etiam ſua principia explicare, ac defendere; dicerem, habere ex eo, quod pro obiecto habeat omne ens,

L.1. Poſt. c.2.

Ariſt. lib. 1. poſt.

Li.6. Eth. c.7.

cuius



cuius diſtincta & perfecta cognitio habetur ſolum per ſapientiam, quæ entis rationem & paſſiones, & modos omnes conſiderat, & nihil eſt, quod eam fugiat. Et cum ratio entis reperiatur perfectiſſime in Deo totius entis fonte, hinc eſt, vt per rationes omnes rerum omnium quæ ſunt in Deo de rebus omnibus iudicare poſſit. Non ergo cenſendum eſt eſſe verum, quod aliqui dicunt, ideo ſapiẽtiam eſſe ſuperiorem intellectu, quod per ipſam aſſentiamur principijs, quod eſt proprium intellectus, vel prima principia demonſtremus, cum demonſtrari nequeant. Septima concluſio: Sapientia dicitur eſſe ſcientia, & intellectus, non ex parte habitus, ſed ex parte eorum, quæ cognoſcuntur. Nam Metaphyſica, quæ eſt ipſa humana ſapientia, non ſolum conſiderat ea, quæ ex principijs deducuntur, ſed etiã ipſa principia: aliter tamen, quam particulares ſcientiæ, quæ ſolum ea conſiderant, quatenus obijciuntur vt vera, abſque vlla inquiſitione: at vero ſapientia, ea conſiderat, vt aliquo modo poſſunt probari, & vt poſſunt eſſe concluſiones. Probat autem, per cauſſam ſupremam, vel efficientem, vel finalem, vel exemplarem, vel a poſteriori. Itaq; ſapientia conſiderat principia, vt ſunt ſubiectum quoddam, de quo aliquid probatur: quo fit, vt ſit ſcientia & intellectus, ex parte rerum conſideratarum, cum conſideret principia, & res omnes ab omni materia ſeiunctas per altiſſimas cauſſas; non autem ex parte

Z 3 habi-

habituum: cum in nobis, vt eſt probatum, non ſit vnus habitus, qui formaliter, ſit intellectus & ſcientia. In Deo autem & beatis reperitur talis ſapientia, cum ſub eadem ratione, & principia, & concluſiones per altiſſimas cauſſas cognoſcant. Vltima concluſio: Sapientia differt ab arte & prudentia: ab arte quidem, quia ars verſatur circa ſingularia, & eſt in intellectu practico, ſapientia vero contra: ob eaſdem etiam rationes differt a prudentia. Ex his quæ diximus facile ſolui poſſunt, dubitationes initio huius capitis factæ: propterea illis omiſſis, ad alia explicanda tranſitum faciamus.

### *An ſapientiæ ratio noſtræ Theologiæ proprie conueniat. Cap. XXIIII.*

EXPLICATA ſapientiæ natura, conſequens eſt vt videamus an eius ratio ſacræ Theologiæ conueniat: & quod nullo modo ei congruat, his rationibus demonſtrari poteſt. Primũ, a deſinitione ſapientiæ: ſapientia eſt, quæ iudicat de omnibus per altiſſimas cauſſas: at Theologia non agit de omnibus rebus: igitur non poteſt iudicare omnia; ac proinde non erit ſapientia. Deinde, ſapientia conſiſtit in ſola contemplatione veritatis, vt Ariſtoteles in primo Metaphyſico docet: at Theologia eſt etiam practica, cum dirigat actiones humanas in finem ſupernaturalem: igitur non erit ſapientia. Poſtea, Theologia, vt ſupra eſt probatum, eſt vere ſcientia, igitur non poterit eſſe ſapientia: quia cum ſcientia & ſapientia habeant duas rationes formales diſtinctas, earum ratio vni, & eidem rei conuenire non poterit. Præterea, ſi Theologia eſt ſapientia, erit ſapientia quædam diuina, cum diſtinguatur a Metaphyſica, auctore diuo Thoma, quæ eſt ſapientia humana: at ſapientia diuina conſiſtit in obſeruatione mandatorum Dei, & in timore diuino, vt ex ſacris literis diſcitur, igitur non conueniet ei ratio ſapientiæ ſuperius aſſignatæ. Ad hæc, ſapientia, ex Ariſtotele, eſt quid eminentius, & præſtantius habitu primorum principiorum: at Theologia non eſt quid præſtantius fide, quæ eſt habitus principiorum in Theologia, igitur. Denique, cum Theologia, vt eſt manifeſtum, non dirigat omnes ſcientias, neque probet principia aliarum ſcientiarũ; immo cum ipſa egeat auxilio aliarum, & maxime Metaphyſicæ, non erit maxime ſapientia, vt diuus Thomas docet. Circa hanc difficultatem Conrradus Coellinus in ſuis commentarijs in articulum ſecundũ quæſtionis quinquageſimæſeptimæ, primæ ſecundæ, dixit Theologiam nõ eſſe ſapientiam. At vero Bartholomæus Medina in eundem locum contrarium docuit, & eſt cõmunis opinio; & ſine dubio ipſius diui Thomæ. Vt hæc dubitatio enucleetur, notandum eſt, hoc nomen ſapientia, in diuinis literis interdum vſurpari pro quodã dono Spiritus ſancti,

Cap. 2. Art. 1. Deut. 4. Iob 28.

quo, qui ſunt ornati, vt iuſti omnes, de rebus iudicant omnibus per modum inclinationis, iuxta
1.Cor.11. illud, ſpiritualis iudicat omnia, & ipſe a nemine iudicatur: interdum ſumitur pro vera Dei cognitione, quæ per fidem habetur, cum operibus iuſtitiæ coniuncta, quæ timor Dei ſolet appellari: quo modo accepit Iob, cum poſt longam in-
Cap.28. ductionem, quærendo quid eſſet ſapientia, tandem concluſit. Et dixi homini, Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia. Denique alijs in locis ſumitur pro ea doctrina, qua libri ſacri, & diuina oracula exponuntur, ac fideles inſtruuntur, quod eſt Theologiæ munus. Ita accipitur apud Dauidem, cum dicitur, Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: &
Cap.39. in Eccleſiaſtico, cum dicitur: Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & quæ ſequuntur: & multis alijs in locis. Itaque hæc etiam doctrina nomine ſapientiæ in ſacra pagina vocatur. Deinde animaduertendũ eſt, quod ſicuti Theologia, & Metaphyſica quatenus ſunt ſciẽtię quædam, tum ratione principiorum, tum obiecti, ac etiam mediorum quibus ad probandas ſuas concluſiones vtuntur, differunt; ita etiam neceſſario differre debent, prout vtraque ſapientia quædam eſt, quantũ ad ſapientię proprietates. Hinc eſt, vt Metaphyſica cum ſit eiuſdem ordinis cum alijs ſcientijs, ordinis ſcilicet naturalis, habeatq; principia naturaliter cognita, poſſit, & debeat iudicare de principijs alia-



aliarum ſcientiarum, ac etiam ea probare. At vero cum Theologia noſtra alijs vtatur & initatur principijs, ſitq; alterius ordinis, nõ aliarum ſcientiarum principia, ſed ſolum ſua tractare, & explicare debet. Rurſus, cum Metaphyſica ſit ſcientia quædam diſtincta, & clara de ente, ſuaq; principia explicet, & defendat, poteſt eſſe quid præſtantius & perfectius habitu principiorum, quo ſolum ſimpliciter principia creduntur. At vero, cum Theologia non clare percipiat, quæ cognoſcit, habeatq; principia cognita per habitum ſupernaturalẽ, ideſt per fidem, quę eſt donũ Dei, non eſt neceſſe, vt ſimpliciter ſit habitu principiorum præſtantior: quamuis, vt ea defendit, & explicat, poſſit ſecundum quid præſtantior cenſeri. Item, cum noſtra Theologia ſit participatio quædam diuinæ ſapientiæ, qua Deus nõ ſolum cognoſcit, ſed etiam operatur, idque ei competit ob ſuam ſummam perfectionem, hinc eſt quod non ſolum conſiſtat in contemplatione, ſed etiam in actione: quo fit, vt tanquã perfecta quædam ſapientia, hominem omni ex parte perficiat, in quo proculdubio ſuperat ſapientiam humanam, quæ ſola contemplatione, ob ſuam imperfectionem contenta eſt. His ita notatis, has pono concluſiones. Prima concluſio: Sacra Theologia eſt vere ſapiẽtia: quod ſic probatur. Primum ex communi Theologorum opinione, quæ hoc docet. Deinde, Theologia eſt ſcientia per altiſſimas cauſſas, veluti per exẽplarem.

plarem extrinſecam, id eſt, per Deum ipſum, in quo ſunt omnium rerum rationes; ſua explicat, ac etiam eo modo quo poteſt probat principia; & aliarum ſcientiarum errata corrigit, & emendat: erit igitur vera ſapientia. Quod autem omnes humanas ſcientias emendet, poſſet pluribus demonſtrari, diſcurrendo fere per omnes ſcientias recenſendo earum errata, quæ per hanc ſapientiam corriguntur: ſed vno vel altero erimus contenti exemplo. Corrigit Metaphyſicam, dũ docet Deum non eſſe infœcundum: plures eſſe intelligentias, quam ſint cœlorum orbes: Phyſicam, dum ait falſum eſſe, ex nihilo nihil fieri: accidens non poſſe eſſe ſine ſubiecto: a priuatione ad habitum nõ poſſe dari regreſſum: Moralem philoſophiam, dum falſos fines homini propoſitos reijcit; & multos alios errores refellit. Poſtremo, omnes proprierates, quas Ariſtoteles tribuit ſapientiæ, huic conueniunt doctrinæ, erit igitur ſapientia. Nam, Theologia ſcit omnia diuina, atq; humana, quantum ſciri poſſunt: ideo in libro ſapientiæ de ea dicitur: Scit enim illa omnia, & intelligit. Cognoſcit maxime difficilia, & quę ſunt ab omni ſenſu remotiſſima, vt quæ ſunt ſupernaturali lumine reuelata: ideo Dauid, qui ea erat ornatus, dicere potuit: Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Habet maiorem certitudinem eorum quæ nouit, quam quæuis alia ſcientia, vt alio loco plane demonſtrabimus: cauſſas etiam cuiuſcunque

Cap. 9.

Pſal. 50.



cunque quæſtionis, quantum ad ipſam pertinet, exponit: & huc pertinent, quæ de hac doctrina ſapientiæ capite ſeptimo, dicuntur: eſt maxime libera, & gratia ſui: omnium denique digniſſima, & tanquam aliarum regina, omnes ſcientias & artes in verum finem dirigit, corrigit, eisq; vtitur. Cum itaq; ei omnes ſapientiæ proprietates conueniant, erit nomine ſapientiæ digna. Secunda concluſio: Theologia eſt maxime ſapientia. Quoniam eſt ſapientia ſimpliciter, & iudicat omnia per ſummas & maximas cauſſas, & per rationes æternas, & exemplares, quæ ſunt in mente diuina: quo fit vt nulla maior mortalibus ſapientia communicari poſſit. Atque his concluſionis huic difficultati ſatisfactum ſit. Argumenta in contrarium allata facile ex dictis ſoluuntur: primũ, qua ratione diſſolui poſſit, ſatis ex dictis patet, & idcirco nihil eſt, cur aliquid priuate reſpondeamus. Neque ſecundum vrget, quoniam perfecta ſapientia debet perfecte hominem perficere, & in contemplatione, & in actione: vnde ſcientia, quæ ſolum ſpeculatur eſt imperfecta, cum poſſe agere, & agere, ſit maxima quædam perfectio. Et ideo ſapientia diuina, quę eſt perfectiſſima, ſimul eſt ſpeculatiua & practica. Tertium, quo modo ſolui queat, ex iam dictis manifeſtum eſt; poteſt enim vnus & idem cognitionis habitus appellari ſapientia, & ſcientia, ob diuerſas rationes. Quartum ſoluitur eodem modo, ſicuti & ſecundum.

dum. Qua ratione quincta ratio explicanda ſit patet ex ijs, quę diximus in quincta & ſexta conclusione capitis ſuperioris. Poſtremũ hunc in modum ſolueres, dicendo non pertinere ad hanc ſcientiam dirigere omnes alias, niſi quatenus earum errata emendat: neq; eget alijs ſcientijs, quaſi ipſa ſit imperfecta, ſed illis tanquam domina & regina vtitur. Et hæc de hac diſputatione dicta ſint: ac etiam de omnibus ijs, quæ de forma ſacræ Theologię in hac prima huius libri parte nobis diſputanda erant. Nunc ad materialem Theologię cauſſam explicãdam tranſitum faciamus. Hęc autem cauſſa explicatur, dum de eius obiecto diſputatur; de quo ſanctus Doctor in articulo ſeptimo ſermonem habet.

*De obiecto Theologiæ; quæ fuerint hac de re ſcriptorum ſententiæ. Cap. XXV.*

QVAM difficilis, atque incerta ſit de obiecto ſacrę doctrinę diſputatio, vel ex eo intelligi licet, quod varię hac de re, atque omnino diuerſę fuerunt Theologorum ſententię, quas, vbi articuli ſeptimi diui Thomę ſummam attulero, diligenter, ac fideliter explicabo. Quæ igitur beatus Doctor tradit, ad has concluſiones breuiter reuocantur. Prima concluſio: Deus, vt Deus, eſt Theologiæ obiectum. Primum probatur hæc concluſio a definitione nominis: quia hoc



hoc nomen Theologia, ſignificat ſermonem de Deo. Deinde illud eſt obiectum alicuius ſcientiæ, quod primo ab ea conſideratur, & cuius ratione omnia conſiderantur: ſed Deus in Theologia principaliter conſideratur, & alia omnia vt ad Deum aliquo modo referuntur, igitur. Poſtremo, idem eſt obiectum ſcientię & principiorum: at principiorum Theologiæ, id eſt articulorum fidei obiectum, eſt Deus, igitur. Secunda concluſio: licet de Deo neſciamus quid ſit: tamen ex cognitione & definitione alicuius attributi ipſius, poſſumus probare, tanquam per effectum aliquid de Deo. Tertia concluſio: alia quæ tractantur in Theologia præter Deum, tractantur ſub vna & eadem ratione formali obiecti, & vt ad Deum referuntur. Et hæc ſunt quæ breuiter docet diuus Thomas. Quod autem ad opiniones aliorum attinet, primum eas vniuerſe recenſebo; deinde ſpeciatim explanabo. Quidam ergo ita de obiecto Theologiæ ſentiũt, vt ei nullum certum obiectum aſſignent: alij dicunt eſſe aliquid creatum, alij increatum, alij quid medium. Ex ijs qui dicunt eſſe aliquid increatum, nimirum Deum optimum maximum, alij aſſignant obiectum cum aliqua limitatione, alij vero ſine vlla limitatione. Denique, quod attinet ad rationem formalem, alij vnam, alij aliam ei tribuunt, vt mox ſingulas opiniones recenſendo, planius dicemus. Fuit igitur prima opinio eorum, qui putarunt hanc ſcientiam

tiam non habere vnum definitum obiectum, ſed plura pro varietate, ac diuerſitate concluſionum, quæ in hac facultate demonſtrantur; ita, vt tot ſint obiecta, quot ſunt concluſiones, quæ in ea probantur. In qua ſententia fuit Gabriel, in prologum primi ſententiarum; quam libenter ij, quos Nominales vocant, amplectuntur. Huius ſententiæ fundamentũ illud eſſe videtur, quia ſcientiarum habitus variantur pro diuerſitate concluſionum, quibus varia reſpondent obiecta. Secunda ſententia fuit Durandi in eundem prologum; qui, vt alias diximus, tres diſtinguit Theologias; quarum vna eſt habitus, quo cognoſcuntur ea, quæ ſunt in ſacris literis: altera eſt habitus, quo declarantur, ac defenduntur quæ in ſacra ſcriptura continentur: tertia, eſt habitus concluſionum elicitarum ex ijs, quæ in ſcriptura habentur. Prima & tertia habent pro obiecto opus meritorium: quoniam in his duabus Theologijs omnia conſiderantur, quatenus ordinantur ad opera, quibus meremur: at vero ſecundæ Theologiæ obiectum eſt Deus, vt eſt ſaluator. Tertia ſententia Hugonis, qui putauit ſacræ doctrinæ ſubiectum eſſe opus reſtaurationis, ſeu reparationis. Vt autem id melius intelligatur, animaduertendum eſt, ſacros Theologos ſolere Dei opera in tria genera diſtribuere; in quorum primo continentur opera creationis, vt eſt mundi molitio & gubernatio: in ſecundo, opera reſtaurationis, quibus hominem per

Quæſt. 9.

Quæſt. 5.

Lib. 1. de ſac. c. 2.



peccatum lapſum, inſtaurauit, vt eſt Verbi incarnatio, paſſio, & deſcenſus ad inferos: in tertio opera retributionis, vt eſt glorificatio, & quæ ad beatitudinem pertinent. Vult igitur citatus auctor, ſecundi generis opera eſſe ſacræ Theologiæ obiectum. Quarta opinio Magiſtri ſententiarum, qui exiſtimauit ſubiectũ in Theologia, eſſe res & ſigna, iuxta ea, quæ Auguſtinus libro primo de doctrina Chriſtiana ſcripta nobis reliquit. Nanque in Theologia, aut agitur de rebus; vt ſunt Deus, Angeli, virtutes, &c. aut de ſignis, vt de ſacramẽtis, & de figuris, quę ſunt futurorũ ſigna. Quincta, Linconien. qui exiſtimauit, credibile, eſſe ſubiectam huic ſcientiæ materiam: quod in ea omnia conſiderentur vt ſunt credibilia per diuinam reuelationem: ſed alij, aliam huic doctori opinionem tribuunt. Sexta, Alberti, qui ait, ſi ſubiectum vniuerſe ſumatur, eſſe res & ſigna, vel credibile, ſi vero proprie & ſtricte, eſſe Deum, vt eſt principium & finis, iuxta illud: Ego ſum alpha & omega. Septima, cuius meminit Ægidius Romanus, quæ affirmat ens diuinum eſſe huius doctrinæ ſubiectam materiam. Eſt autem ens diuinum quadruplex: vnum per eſſentiam, ſcilicet Deus ipſe: ſecundum per participationem, vt ſunt dona, & virtutes infuſæ: tertium per vnionem, vt eſt Chriſtus: poſtremum per ſignificationem, vt ſunt ſacramenta. Hæc igitur omnia, quæ aliquid diuinitatis habent, conueniunt in vna ratione

L. 1. ſent. d. 1.

1. ſen. d. 1. ar. 2.

Apoc. 1.

tione cōmuni entis diuini, quod eſt huius ſcientiæ obiectum. Octaua ſententia, quam olim docuit Angelicus Doctor, quæ quodcunque ſcibile per diuinam reuelationem eſſe Theologiæ ſubiectum, affirmat: quoniam quidquid eſt in Theologia eſt ſcitum per Dei reuelationem. Nona, Caſſiodori, qui voluit Chriſtum myſtice conſideratum, hoc eſt tanquam Eccleſiæ caput cum ſuis membris eſſe ſubiectā Theologiæ materiam. Decima, ſeraphici doctoris, aſſerentis illud eſſe obiectum in ſcientia ad quod reducuntur omnia, quæ in ea tractantur. Id autem quod in ſcientia tractatur, reducitur ad vnum, quod tribus modis explicatur. Vel enim reducitur ad vnum tanquam ad principium, ſicuti in Geometria omnia reducuntur ad punctum: vel ad vnum integrale; quo modo in eadem ſcientia omnia reuocantur ad corpus: vel ad vnum vniuerſale; cuiuſmodi eſt quantitas in eadē Geometria. Ad rem, obiectum primo modo ſumptum in Theologia eſt Deus: ſecundo modo Chriſtus: tertio modo, ipſum credibile, ſeu res & ſigna. Vndecima, Ægidij Romani, qui ſcripſit Deum eſſe Theologiæ obiectum, non abſolute conſideratum, ſed vt eſt principium inſtaurationis, & conſummator glorificationis, id eſt, vt eſt redemptor, & ſaluator. Duodecima, Dionyſij Carthuſiani in prologum ſententiarum, qui affirmat Deum eſſe Theologiæ ſubiectum, ſed ſub hac limitatione, quatenus eſt perfectus. Decima

q. 1. prol.

In prol. q. 1.

Quæſt. 4.



Decimatertia, doctoris ſubtilis in eundem Magiſtri prologum, qui ait Deum eſſe ſubiectum, ſed ſub ratione infinitatis: cum per Deum, omnes intelligant ens infinitum; quaſi hæc ſit eius natura, ſecundum noſtrum intelligendi modū. Poſtrema ſententia, omiſſis alijs, ſi quæ ſunt, eſt diui Thomæ, & quorundam aliorum, quæ aſſerit, Deum, vt Dus eſt, eſſe ſacræ Theologiæ obiectum. Quid autem per Deum, vt Deus eſt, intelligere debeamus clare inferius a nobis explicabitur, & hæc de opinionibus.

Quæſt. 3.

Richar. Capr. Caiet. Ban.

## *Explicatur natura, proprietates, ac partes ſubiecti adæquati alicuius ſcientiæ.* *Cap. XXVI.*

CVM hanc noſtram inſtitutionem nō ſolum ſcribamus ijs, qui in ſcholis Dialecticæ, & Philoſophiæ ſunt valde exercitati; quibus quæ hoc capite explicanda propoſuimus, ſicut nonnulla alia ſuperius explicata, nota ac manifeſta ſunt; ſed etiam ijs, qui vel iſta alias non audiuerunt, aut non bene perceperunt, aut certe eorum non recte meminerunt, propterea, ne qui minus in ſcientijs humanis ſunt verſati, aliquid a nobis quod ſit ad propoſitā difficultatem recte percipiendam neceſſarium, requirere poſſint, de rebus propoſitis ex Dialectica aliqua repetendo, breuiter tamen agemus. Cum igitur conſtet, omnem ſcientiam & artem aliquod habere ſu-

Aa bie-

biectum in quo verſetur, id varijs nominibus a varijs ſcriptoribus ſolet appellari. Primo, dicitur Genus ſcibile, quo modo aliquando appellauit Ariſtoteles: ea fortaſſe de cauſſa, quia ſciẽtia conſiderat ſpecies eius rei, quam tractat: vt ſcientia de animali, animalis ſpecies: & ideo res ſubiecta genus ſcibile vocatur. Secundo ab Auerroe, dicitur compoſitum; ea, vt arbitror ratione, quia ſubiectum habet aliquid quod eſt veluti materia, & aliquid quod eſt veluti forma; vt paullo poſt dicetur. Tertio, dicitur ſubiectum, & græce τὸ ὑποκείμενον, ſimilitudine ſumpta ab ijs, quæ ſubijciuntur artibus: quia, vt gratia exempli, fabro tignario ſubijcitur lignum circa quod verſatur, ita id, quod in aliqua ſcientia conſideratur, ei cognoſcendum ſupponitur: vel quia in eo, tanquam in ſubiecto ſunt paſſiones, quæ in ſcientia probantur. Quarto, nominatur materia, & ſubiecta materia, a Græcis ὑποκειμένη ὕλη: metaphora ducta ab artibus, in quibus eſt aliqua materia, in qua ars verſatur, quam tractat, vel ex qua aliquid efficit. Quinto, vocatur obiectum, trãſlatione ſumpta a ſenſibus: cum ea, quæ ſub ſenſum cadunt, & quæ a ſenſibus percipiuntur, obiecta, quod eis quaſi percipienda obijciantur, vt color viſui, & ſonus auditui, nuncupentur: pari ratione, quod in aliqua ſcientia cognoſcendum intellectui proponitur, eius obiectum eſſe dicitur: qua appellatione recentiores ſcriptores paſſim vti ſolent. Ex quibus

Li. 1. poſt. c. 23.

D. Tho. opuſ. 31.

Ariſt. l. 1. Eth. c. 3.



quibus appellationibus tres poſteriores ſunt vſu frequentiores. Sunt etiam, qui finem, ſiue terminum appellent, exiſtimantes idem eſſe materiam, ſiue obiectum, & finem in aliqua ſcientia; ita vt ſanitas poſſit dici obiectum medicinæ, ſicuti & finis: verum, iſti in eo, quod finem cum obiecto ſcientiæ confundunt, grauiter errant, cum iſta duo ſint valde inter ſe diſſociata, quod etiam quiſque facile intelligeret. Solent quidam aliquid diſcriminis inter ſubiectum & materiam aſſignare; ſed iſta ſubtilius examinare, nihil ad noſtrum inſtitutum attinet. Concludamus igitur his fere nominibus, id quod in ſcientia conſideratur, appellari. Nunc, quibus modis ſcientiæ ſubiectum diuidi ſoleat, doceamus. Scientiæ duplex poteſt aſſignari ſubiectũ, ſiue materia: alterum, vt ſcientia eſt quoddam accidens, & ſic ei aſſignatur ſubiectum in quo ineſt, & cui inhæret: & hoc nihil aliud eſt, quam intellectus in quo inſunt ſciẽtiarũ habitus; ſicut potentia videndi eſt in oculo: alterum, in quo verſatur, & quod contemplatur, quod nominibus ſupra recenſitis nominatur: & de ſubiecto hoc modo ſumpto eſt inſtituta hoc loco diſputatio. Illud primum ſolet appellari ſubiectum inhęſionis, hoc vero ſubiectum conſiderationis, ſeu attributionis. Subiectum hoc modo ſumptum triplex eſt in aliqua ſcientia, adæquatum, ſeu totale principale, & partiale. Totale, ſeu adæquatum obiectum illud eſt, quod adæquate

Supra. li. 1. c. 2.

Auer. 2. Poſter. com. 33.

A a 2 conti-

continet ea, quæ tractantur in ſcientia, ita vt nec excedat, nec deficiat, ſed ſit penitus ſciētiæ æquale: ſicuti coloratum eſt obiectum adæquatum ſenſus videndi. Rurſus obiectum adæquatum, vel, vt alij loquuntur, adæquationis, ſic explicari ſolet: Illud eſt obiectum adęquatum alicuius ſcientiæ, cuius principia, partes, ſpecies, & paſſiones per ſe tractantur in ſcientia, ita vt quidquid tractatur ſit aliquid ex dictis, aut ad iſta aliqua ratione referatur: dixi, per ſe, quoniam ſi quæ in ſcientia tractantur per accidens, non eſt opus vt ſint aliquid illorum trium: Et tale obiectum nominibus iam explicatis, priuate nominari ſolet. Principale obiectum in ſcientia, eſt pars, ſiue ſpecies præcipua, & nobilior illius generis, quod primo conſideratur: vt in ſcientia de animali: ea pars, quæ agit de homine: & in ſcientia de inſtrumentis ſciendi, demonſtratio, ſeu mauis, definitio; & in Metaphyſica, ſubſtantia erit pars principalior, quam accidens. Partiale obiectum, eſt aliqua pars obiecti adæquati, quæ conſideratur in aliqua parte ſcientiæ, ſeu id quod conſideratur per ſe in ſcientia, præter obiectum adæquatum. Vt in phyſiologia, elementum, ſeu corpus ſimplex, corpus mixtum, anima, &c. Vnde fit, vt omne obiectum principale, ſit etiam partiale, ſed non contra. Rurſus, ſubiectum, ſiue obiectum diuidi ſolet in obiectum materiale, & in formale: quæ diſtinctio hoc modo intelligenda eſt. In

obiecto



obiecto cuiuſcunq; ſcientiæ duo poſſumus conſiderare, alterum, eſt res ipſa quæ cognoſcitur a ſcientia, ſeu ab arte tractatur: alterum eſt ratio ſub qua, vel ſecundum quam res illa tractatur. Exempli gratia in Medicina, res conſiderata, eſt humanum corpus; ratio vero ſub qua tale corpus conſideratur a medico, eſt quatenus per artem poteſt curari: in quo medicus differt a philoſopho naturali, qui conſiderat corpus humanum, vt eſt mutationi obnoxium. Id igitur quod in ſcientia cognoſcitur, & in arte tractatur, dicitur res conſiderata, ſeu obiectū materiale: ratio vero ſecundum quam conſideratur, dicitur modus conſiderandi, ſeu ratio formalis, & obiectum formale: non quod ſint duo diſtincta obiecta, ſed in vno perfecto obiecto duo conſiderantur: alterum quod habet rationem materiæ, alterum quod habet rationem formæ: ad ſimilitudinem alicuius corporis naturalis, quod conſtat ex materia & forma. Vt enim corpus conflatur ex duplici parte, materiali, & formali; ita obiectum ſcientiæ conſtat ex re cōſiderata, tanquam ex materia, & ex modo & ratione conſiderandi, tanquam ex forma: cum res conſiderata ſit ex ſe interminata & indifferens, quæ poſſit a diuerſis ſcientijs tractari; modus vero conſiderandi, tanquam forma quædam, rem illam determinet, & ad certam ſcientiam contrahat. Ex quibus colligitur de vna & eadem re materialiter cōſiderata, poſſe eſſe varias

Auer.

Aa 3 ſcien-

ſcientias, quæ inter ſe diſtinguuntur, quod rem illam vario modo conſiderent. Vt ecce, de homine agunt philoſophus moralis, naturalis, medicus, & Theologus, ſed ſub diuerſa ratione, formali: ſimiliter circa cœlum verſantur Phyſicus & Aſtrologus, ſed non eodem modo. Quando autem quæritur de obiecto alicuius ſcientiæ, nõ quæritur de materiali, quia per illud vna ſcientia non diſtinguitur ab alia, ſed de formali. Quo fit, vt errent ij, qui in aſſignando obiecto alicui ſcientiæ, ſolum aſſignãt materiale, cum debeant aſſignare formale: vt ſi quis diceret Medicinæ obiectum eſſe humanum corpus, & nihil aliud adderet. Et cum ſit multo difficilius aſſignare formale, quam materiale, hinc eſt, quod ſcriptores in eo aſſignando ſępe ſunt inter ſe diſcordes: vt patet in hac quęſtione de obiecto Theologię. Illud etiam hoc loco animaduerſione dignum eſſe videtur, rationem formalem conuenire primo & per ſe, obiecto adæquato ſcientiæ, quæ ratio reperitur etiam in partibus; ſed non eſt neceſſe vt in omnibus reperiatur eadem ratione; ita vt directe in omnibus ſit partibus. Exempli gratia, ſi in philoſophia naturali ponatur pro obiecto adæquato corpus, ſub hac ratione formali, vt eſt mobile; eſſe mobile, conuenit huic obiecto per ſe directe, & etiam ſpeciebus eius; non autem neceſſe eſt vt conueniat principijs corporis mobilis, vt ſunt materia & forma, quibus non competit primo, & per ſe, ac directe, eſſe



eſſe mobile. Denique, obiectum ſiue materia ſolet diſtingui in materiam proximam & remotam: materia remota eſt quam ars, vel ſcientia præſupponit, proxima circa quam verſatur: vt in Logica, materia remota ſunt res, ens vero rationis, quod fundatur in rebus, materia proxima. Et de his obiecti diſtinctionibus hactenus, de quibus ſubtilius diſſerere, non eſt hic locus. Nunc pauca de conditionibus, quas obiectum adæquatum habere debet, dicamus. Ad conſtituendum alicuius ſcientiæ obiectum nonnullas Philoſophi, & Dialectici conditiones requirunt, quarum prima eſt, vt omnia contineat, quæ in ſcientia tractantur, vel in recto, vt ſunt eius ſpecies, vel in obliquo vt ſunt partes, & principia. Vnde ſcientia de animali continet in recto animalis ſpecies, de quibus directe prædicatur, vt cum dicitur, Homo eſt animal: at vero partes, indirecte, de quibus in obliquo prædicatur: vt cum dicitur, Animal conſtat ex corpore. Itaque id, quod primo alicuius ſcientiæ obiectum continet, ſunt ipſius partes: & ob hanc conditionẽ obiectum appellatur compoſitum. Rurſus debet continere, aut tractare paſſiones, ſeu proprietates illius obiecti; vt ſcientia de animali, proprietates animalis: ob quam cauſſam vocatur, ſubiectum. Poſtremo, ſpecies, quæ appellantur partes ſubiectiuæ, vt patet in allato exemplo, de ſcientia animalis: & ob hanc conditionem appellatur genus. Illud itaque cenſetur

D.Tho.in prol. ſen.

 obie-

obiectum in ſcientia, cuius principia, ſiue cauſſæ, paſſiones, & ſpecies in illa ſcientia conſiderantur. Secunda conditio, obiectum adæquatum debet eſſe huiuſmodi, vt omnia quæ in ſcientia conſiderantur aliquo modo ad ipſum referantur; ita vt obiectum ſit id, quod primo & per ſe conſideratur, & cetera in ordine ad illud, tanquam primo intentum. Tertia conditio, obiectum debet eſſe tale, vt diſtinguat illam ſcientiam, cuius eſt obiectum, ab alijs ſcientijs: ita vt ſcientia poſſit dici vna, quia tractat de vno obiecto: cum obiecta reſpectu habituum & potentiarum ſint veluti quædam formæ, a quibus res habet eſſe, vnitatem, & diſtinctionem. Quarta, ac poſtrema conditio, debet continere omnia adæquate, eo modo, quem ſupra expli-

D.Tho.q. 4.prol.

cuimus. Ex his colligere licet, illud appellari obiectum formale in ſcientia, quod habet omnes cōditiones dictas: illud vero materiale, quod quidem certe in ſcientia conſideratur, ſed nō eſt id, cuius ratione omnia conſiderantur, vel non omnia continet, vel nō diſtinguit, aut non adæquat ſcientiam. Vnde, in philoſophia naturali res ſenſibiles dicentur obiectum materiale, quia in tali ſcientia huiuſmodi res conſiderantur, ſed tamen non ſub hac ratione formali, vt ſenſibiles ſunt, ſed vt mobiles. Ex quibus facile perſpicitur nonnullas ex numeratis ſententijs erraſſe in aſſignando Theologiæ obiecto, cum aſsignauerint ſolum obiectum materiale: vt res & ſigna, opera



opera inſtaurationis, Chriſtum, &c. quæ res, & ſi in Theologia tractentur tanquam materia ei ſubiecta; tamen nō tractantur, vt talia ſunt, ſed ſub alia ratione formali, vt poſtea dicetur. Atq; ex his, quod ſit obiectum in aliqua ſcientia, & quæ obiecti partes, ac conditiones ſatis manifeſtum eſſe arbitror.

### *Ponuntur nonnulla fundamenta ad explicandam quæſtionem de ſubiecto ſacræ Theologiæ. Cap. XXVII.*

EXPLICATA natura, atque proprietatibus obiecti adæquati, ac totalis alicuius ſciētiæ; neceſſe eſt ad ſtatuendum, quod nam ſit chriſtianæ Theologiæ ſubiectum, vt quædam notanda proponamus. Notandum itaque primo eſt, cum auctores dicunt illud obiectum eſſe, cuius principia, paſsiones, & ſpecies conſiderantur in ſciētia, id dupliciter intelligi poſſe: primum quidē, quod habeat partes & principia realiter inter ſe diſtincta, ex quorum coitione aliquid vnum efficiatur, vt ex materia & forma, compoſitum, & ex elementis, miſtum: quæ appellantur principia eſſendi: vel quod habet aliquid, vnde intellectus poſſit ſumere initium cognitionis, & per illud probare aliud, tanquam per rationem priorem, rationem poſteriorem: quod ſolet appellari, principium cognoſcendi. Ad conſtituendam veram ſcientiam, non eſt neceſſe vt ſubiectum

ctum ſemper habeat principia eſſendi, ſed ſatis eſt vt habeat principia cognoſcendi, id eſt, aliquas communes rationes, per quas probentur alia, quæ de illo ſubiecto, demonſtrantur, & in ſcientia tractantur. Alias enim ſequeretur nullam ſcientiam poſſe dari de Deo, de ente, de intelligentijs, de decem naturis, & de primis principijs rerum naturalium, cum hæc omnia, nullis componantur principijs: quamuis omnia entia creata dicantur ſaltem componi ex actu & potentia, quæ non eſt compoſitio partium inter ſe diſtinctarum. Maneat igitur certum, ſatis eſſe in aliquo ſubiecto aſsignare cognitionis principia, id eſt, rationem aliquam, quæ ſit veluti medium ad probanda ea, quæ in ſcientia probanda ſunt. Quod diximus de principijs, dicendum eſt etiam de paſsionibus, hoc eſt, non eſſe neceſſariũ vt paſsiones ſint realiter diſtinctæ, vt ſunt ex quorundam ſententia in rebus compoſitis; ſed ſatis eſt vt diſtinguantur ratione, & vt vna paſsio ſit ratio alterius. Nam ens, ex communi philoſophorum ſententia, ſuas habet paſsiones, quæ de ipſo probantur: & tamen ab eo non diſtinguuntur realiter. Idem dicas de attributis diuinis, quorum vnum eſt ratio alterius, & eſt idem realiter cum illo. Denique, cum dicitur, obiectum eſſe illud, cuius ſpecies in ſcientia conſiderantur, non eſt ita accipiendum, vt ſolum vera ſcientia poſsit eſſe de eo obiecto, & de eo genere, quod ſub ſe veras habet ſpecies; quoniam

ſcientia



ſcientia non ſolum eſt de genere vniuoco, quod proprie habet ſpecies, ſed etiam de genere analogo, quod proprie loquendo ſpecies non habet. Vnde Metaphyſica eſt vera ſciẽtia, quamuis ens, quod eſt eius obiectum, nõ ſit genus vniuocum ad ſuas partes, quæ ſunt omnino inter ſe variæ, ac diuerſæ, quæ tamen in vna communi ratione analoga conueniunt. Idem dicas de ſacræ Theologiæ obiecto, quod, licet non ſit vnum genus vniuocum, & plura inter ſe diuerſa contineat, vt ſunt præcipua Dei opera, virtutes, Verbi incarnatio, & ſacramenta: tamen, iſta omnia ſub vna communi ratione conſiderantur, vt ad Deum referuntur: & hæc de primo notando. Notandum eſt ſecundo loco, rationem formalem, qua obiectum alicuius ſcientiæ ab alijs ſeiungitur, fieri per aliquam additionẽ, ſeu reſtrictionem: quæ additio duobus modis fieri poteſt: vno modo ex parte obiecti, ſiue rei; cum obiecto additur aliquid, quod ſe tenet ex parte rei cognitæ: ita vt tale additum determinet actum cognoſcendi circa rem cognitam. Vt cum dicimus, oculum videre pomum, vt coloratum; vel aliquem cognoſcere hominem vt ſapientem, quæ limitatio reſtringit cognitionem ad ſolam hominis ſapientiam. Et hac ratione nonnullæ ex ſententijs allatis reſtringunt, ac ſpecificãt Theologiæ obiectum: vt illæ quæ dicunt, Deum, vt eſt perfectus, vel vt eſt redemptor, vel vt eſt inſtaurator, eſſe obiectum. Altero modo fit additio,

tio,

tio, ſiue reſtrictio ex parte cognitionis noſtræ, cum aliqua additur ratio ſub qua res illa a nobis cognoſcitur: vt exempli gratia in Metaphyſica, limitatio illa, qua dicitur Metaphyſicum conſiderare ens, vt abſtrahit ab omni materia. Quæ limitatio non attingit ipſum obiectum, intrinſece aſſignando rationem formalem per quam Metaphyſicus agit de natura entis, ſed ſolum indicat ens eſſe obiectum illius ſcientiæ, non quomodocunque, ſed abſtracte conſideratum, non quod abſtractio illa ſit ratio per quā Metaphyſicus de ente diſputat. Quare, ſolum ſe tenet ex parte cognoſcentis, qui abſtrahendo ab omni materia de entis natura diſſerit. Idem patet in ſcientia naturali, cuius limitatio ex parte cognoſcentis eſt, quod abſtrahat a materia ſignata, ſeu ſingulari: at vero limitatio, quæ ſe tenet ex parte obiecti, eſt, vt conſideret ens, ſiue corpus, vt in ſe habet rationem, ac vim motus. Ex quo intelligi licet, reuelationem in Theologia non eſſe rationem, quæ ſe teneat ex parte obiecti, quaſi determinet ipſum Theologiæ obiectum, ſed tenet ſe ex parte ſcientiæ, ſiue cognoſcentis, quia Theologus Chriſtianus ſpeciatim Deum cognoſcit ſecundum ea, quæ reuelata ſunt de Deo, & de rebus diuinis: atq; de ſecundo notando, hæc ſufficiant. Notandum tertium: ratio entis prima, ac ſumma, quæ nihil aliud eſt, quam quædam ratio communiſſima, in qua omnia quæ ſunt, conueniunt, cum ens ſignificet id, quod eſt, in



in quo omnia creata, & increata, perfecta, & imperfecta conueniunt, triplicem poteſt habere cōſiderationem, in ſe, in ente creato & finito, & in ente infinito. Si ratio entis conſideretur primo modo, vt conuenit enti in ſe conſiderato, in qua ratione, vt diximus, omnia conueniunt, abſtrahendo ab omni ente, nihil aliud includit, dicitve, quam, eſſe, & id quod eſt, eſſe extra nihil, nudam nimirum rei alicuius exiſtentiam, per quam, id quod eſt, differt ab eo, quod non eſt. Si vero conſideretur ſecundo modo, vt iſta ratio applicatur enti finito & creato; dicit quandam exiſtendi rationem participatam, finitam, ac limitatam; cum omnes creaturæ ſint participationes quædam entis; cum ratio entis communicata ſit creaturis a Deo, his clarius, illis vero obſcurius. At, ſi ratio entis conſideretur vt applicatur Deo, non contrahitur, nec limitatur: quoniam in Deo, qui eſt fons, vnde emanat omne ens, & omnis ratio entis, reperitur ſine vlla limitatione, & contractione, cum Deus ſit infinitum, & illimitatum ens: ideo de ſe ait, Ego ſum qui ſum: alia enim a Deo diuerſa, non ſunt, cum ex ſe non ſint, & non ſint ipſum eſſe, vt Deus eſt, nec totum habeant eſſe, vt Deus habet. Nec propterea, quod Deus in ſe omnem rationem entis continet, ſequitur eſſe quoddam ens commune, & quaſi genus, quod de omnibus creaturis prædicetur, vt aliqui falſo putarūt, quos diuus Thomas opuſculo de ente & eſſentia merito redarguit.

Ariſt. lib. de cœlo.

Exod. 3.

Cap. 4.

guit. Nam, licet Deus ſit ens illimitatum, atq; infinitum, complectaturq; omnia: non tamen eſt quid commune, & vniuerſale per abſtractionem, ſicuti genus, vel ſpecies, quo modo, quod eſt commune, de pluribus prædicari poteſt. Cõcludamus igitur in ratione entis, quæ in Deo reperitur contineri omnium rerum quæ ſunt, aut eſſe poſſunt rationes, perfectiſſimo modo, abſq; vlla imperfectione: ita vt in cognitione huius entis, omnia cognoſcere liceat: quod ſi nobis in hac vita non contingit, id ob noſtri ingenij imbecillitatem accidit: quoniam nec infinitas rationes quæ ſunt in Deo, nec plures ſimul, ſed vnam poſt aliam, cognoſcimus: ita vt in illis cognoſcendis ſit aliquis modus, cum etiam a parte rei ſit aliquis attributorum diuinorum, ſine vlla tamen compoſitione, ordo, quatenus vnum eſt alterius ratio. Vt ecce, ideo Deus eſt æternus, quia immutabilis: & immutabilis, quia caret omni potentia: caret autem omni potentia, quia ſimpliciſſimus & purus actus eſt. Quare, illa ratio, per quam aliam rationem, ſeu aliud attributum de Deo probamus, eſt veluti principium & ea quæ probatur, eſt veluti paſſio. Ex hoc fundamento nonnulla colligere licet: & primũ, rationes entis in ſe, & in Deo conſideratas, eſſe ſimpliciſſimas, illimitatas, & infinitas: cum hoc tamen diſcrimine, quod ratio entis, quæ eſt in Deo eſt infinita poſitiue, cum Deus ſit ens actu infinitum: ratio vero entis in ſe conſiderati, eſt infi-



infinita negatiue. Colligitur ſecundo, Deum eſſe ens per ſuam eſſentiam, & eſſe cauſſam, ac finem omnium entium; cum in eo, tanquam in prima & perfecta entis ratione omnia contineãtur entia: Ideo diuus Ioannes omnia quæ facta ſunt, in ipſo vitam fuiſſe dixit. At vero in ratione entis in communi, conueniunt omnia, vt in quadam vniuerſalitate ab intellectu abſtracta. Quo fit, vt cum Theologia tractet hoc ens, quod eſt Deus, omnium etiam rerum cognitionem quodammodo ſibi adſciſcat, & omnia aliqua ratione conſideret. Tertio colligitur quanta ſit huius ſcientiæ dignitas & excellentia, cum pro obiecto id habeat, quod in ſe omnes rerum rationes continet: ac proinde in hac vna maxime ſcientia deberet humanus intellectus acquieſcere, cum in ea inueniat plenam ac perfectam rationem ſui obiecti, nimirum totius entis. Poſtremo explicandum nobis eſt, quid intelligere debeamus per illam reduplicatiuam, cum diuus Thomas ait, Deus vt Deus, eſt obiectum Theologiæ. Animaduertendum itaque eſt, duplicationem poſſe efficere duplicem ſenſum: aliquãdo, manifeſtat aliquam rationem termini præcedentis, ſecundum quam denotatur ei aliquid conuenire: vt ſi dicas, ſonus, inquantum ſonus, poteſt audiri; ac ſi dixiſſes, audiri conuenit ſono, vt ſonus eſt: & tunc talis duplicatio dicitur ſe habere ſpecificatiue. Aliquando autem duplicatio importat cauſſam prædicati, quod eſt in-

Ioan. 1.

in propoſitione: vt ſi dicas, Homo in quantum rationalis, eſt riſibilis; ac ſi dixiſſes, cauſſa cur homo ſit riſibilis eſt, quia eſt rationalis. Hoc loco duplicatio illa ſumitur primo modo, ſpecificatiue, vt ſit ſenſus, Deus, vt Deus, id eſt Deus ſub hac ſpeciali ratione, non ſub alia, eſt Theologiæ obiectum. Quid autem per hanc propoſitionem, Deus, vt Deus, intelligendum ſit, non omnes eodem prorſus modo exponunt. Scotus enim ait, nos debere intelligere ens infinitum: quoniam omnes homines talem habent de Deo conceptum: ex quibus facile intelligeres hunc doctorem a diui Thomæ ſententia non abhorrere. Nam, cum ait, Deum, vt eſt infinitus, eſſe Theologiæ obiectum, declarat, quid ipſe intelligat, per Deum, vt Deus eſt. Idque vel ex eo facile intelligi poteſt, quod Scotus exiſtimat, idem eſſe obiectum noſtræ Theologiæ & beatorum, ens ſcilicet illud infinitum. Poſſes etiam eandem propoſitionem hoc pacto exponere, Deus, vt Deus, hoc eſt, ens per eſſentiam, quod non ab alio, ſed a ſe eſt: quod eſt maxime pro-
Exod. 3. prium Deo: qui ſolus dicere poteſt, Ego ſum qui ſum: ex qua ratione tanquam a prima origine, & infinitas, & conſequenter alia omnia oriuntur Dei attributa. Solet etiam dubitari, vt id huic notando adijciamus, an idem ſit obiectum Theologiæ noſtræ, & beatorum, de qua re, quid ſentiat Scotus paullo ante dixi, cui repugnat Caietanus, qui contrariam tuetur ſententiam:



tentiam: ſed quid tenendum ſit, capite ſequenti, in quo aliquot concluſionibus ad propoſitam quæſtionem reſpondebimus, ſtatuemus. Sit igitur huic capiti finis.

### *Varijs concluſionibus docetur quid de obiecto ſacræ Theologiæ tenendum ſit.* *Cap. XXVIII.*

CVM ea quæ ſupra iecimus fundamenta ſatis firma ſint ad ſuſtinendas concluſiones reſpondentes ad quæſtionem de obiecto propoſitam, eas nunc ſuperſtruamus. Prima concluſio: Theologiæ aſſignandum eſt aliquod certũ, ac determinatum obiectum: ſtatuitur hæc concluſio aduerſus opinionem Ocani, quæ ſic impugnatur. I. Quoniam fundamentum iſtius auctoris eſt ſatis infirmum: neq; enim ex eo, quod varij ſunt alicuius ſcientiæ partiales habitus, ſequitur, vt non habeat vnum obiectum, cum illi multi habitus ſunt de diuerſis rebus, quę ad vnã rationem communem alicuius certi obiecti reducuntur. Quare, vt omnia quæ tractantur in Phyſica, ad vnum ens, ſeu corpus mobile: reuocantur, ita in Theologia omnia ad vnam rationem communem vnius obiecti, quam hoc loco quærimus referuntur. II. Fruſtra Ariſtoteles laboraſſet, ac proinde irridendus eſſet, in diſtinguendis variarum ſciẽtiarum obiectis; id quod non vno in loco fecit. III. Iſta opinio ex eo

Bb dam-

damnandi ac reijcienda eſt, quod ſine vlla firma ratione ſeſe opponit communi philoſophorum, & Theologorum certiſſimæ ſententiæ, quæ cuique arti & ſcientiæ certam tribuit materiam in qua verſetur. Et quia in re ſumus manifeſta, nihil eſt cur pluribus iſtam ſententiã vrgeamus. Secunda concluſio: Opus meritorium non eſt adæquatum & formale Theologiæ obiectum: eſt hæc concluſio contra Durãdum, quæ ſic probatur. I. Idem eſt obiectum noſtræ Theologiæ & beatorum, vt paullo infra demonſtrabitur: atqui certiſſimum eſt opus meritorium nõ eſſe obiectum illius Theologiæ, cum beati ſint extra ſtatum merendi: quare, nec etiã erit obiectum noſtræ. II. Iſta opinio procedit ex falſo fundamento, quia ſupponit Theologiam eſſe ſolummodo practicam, cum ſit magis ſpeculatiua, vt ſupra probatum fuit: cum igitur falſo nitatur fundamento, ruat neceſſe eſt. III. Sequitur etiam illud inconueniens ex iſta ſententia, quod ſciẽtiam nobiliſſimam de Deo, ignobilem facit, dum cognitionem, quam de Deo habet, ad opus meritorium reſtringit; vt mittamus multa alia abſurda, quæ ex ea inferri poſſent. Ex his confutares etiam opinionem illam, quæ obiectum facit opus reparationis, ſeu reſtaurationis. Tertia concluſio: Obiectum adæquatum & formale Theologiæ, non eſt Chriſtus vt eſt caput Eccleſiæ. I. Multa tractantur in Theologia, quæ non continentur ſub iſto obiecto, nec ad ipſum

reuo-



reuocari poſſunt, vt ſunt quæ de Deo in ſe, & quæ de Trinitate diſputantur, non poterit igitur eſſe adæquatum obiectum. II. Chriſtus non eſt obiectum adęquatum Theologię beatorum, ergo nec noſtræ: ſumptum eſt manifeſtum; quia beati principaliter ſpeculantur, ac vident eſſentiam diuinam, quæ eſt ratio cognoſcendi omnia: conſequẽtia tenet, quoniam, noſtra Theologia eadem eſt cum Theologia beatorum. III. Obiectum debet eſſe aliquid incomplexum ac ſimplex: at vero Chriſtus duas includit naturas omnino inter ſe diuerſas, vt ſunt natura diuina, & humana, igitur. Ex his colligere licet, huius doctrinæ ſubiectum, non eſſe res, & ſigna, vt Magiſter voluit. Quarta concluſio: obiectũ adæquatum & formale ſacræ Theologiæ non poteſt eſſe Deus ſub aliqua limitatione ex parte ipſius Dei, vel alicuius attributi, nimirum, Deus vt redemptor, vt glorificator, vt perfectus, &c. Hæc concluſio reijcit nonnullas ex allatis ſentẽtijs; quæ his rationibus confirmatur. I. Id, quod probatur in aliqua ſcientia, non poteſt eſſe ratio formalis obiecti, ſed potius paſſio, & prædicatum ipſius: at quodcunque Dei attributum demonſtratur in Theologia de Deo, vt quod ſit perfectus, glorificator, &c. Quare, per aliquam aliam primam rationem probari debent, quæ ſit ratio formalis, ac prima obiecti Theologiæ. II. Ratio formalis obiecti debet eſſe adæquata ipſi ſcientiæ, ita vt contineat omnia, quæ ſunt

 in

in ſcientia: ſed multa demonſtrantur de Deo in Theologia, quæ non dependent ab his attributis, ergo iſta non poſſunt vllo modo eſſe ratio formalis illorum, quod eſt omnino per ſe manifeſtum: quamobrẽ nec eſſe poterunt adæquata huius ſcientiæ ratio. Itaque cum multa probentur in hac doctrina, quæ non conueniunt Deo, ſecundum aliquam ex his limitatis rationibus, rationes iſtæ non poſſunt formale, & adęquatum Theologiæ obiectum conſtituere.

Aureol.

III. Sicuti ſubiectum ſupponitur in ſcientia, ita & eius ratio formalis, per quam ſubiectum conſtituitur; ergo, ſicuti ſubiectum demonſtrari non poteſt, ita nec eius ratio: ceterum, ſi quod Dei attributum rationem formalem obiecti cõſtitueret, iam illud attributum demonſtrari nõ poſſet; quod eſt contra rationem ſcientiæ, cuius eſt paſſiones de ſubiecto demonſtrare. Quare, eſſe glorificatorem, gratia exempli, in Theologia non demonſtraretur; & tamen demonſtratur. Ex eo enim quod Deus habet prouidentiam, & bonos bonis, & malos malis afficit, optime colligitur eſſe glorificatorem.

Ocan.

IV. Hoc argumentum ſpeciatim vrget eas ſententias, quæ obiectum Theologiæ limitãt ſecũdum aliquod attributum Dei relatiuum, vt redemptor, vel glorificator. Attributum reſpectiuum eſt poſterius, & ignobilius attributo abſoluto, ergo poſſet dari alia prior & nobilior ſcientia, quam ſit Theologia, nimirum ſcientia de Deo ſecundum eſſe abſo-

Scot. Ioã. Baſſ. q. 4.



abſolutum: cum iſta attributa manifeſtent nobis Deum per relationem rationis ex parte Dei, quæ eſt ad creaturas. Ex his inferre licet, non eſſe veram Alberti opinionem, cum eſſe principium & finem includant relationem, & reſpectum ad creaturas. Quare Deus non poteſt eſſe theologiæ obiectum ſub vlla ratione vllius attributi, ſiue abſoluti, ſiue relatiui. Quincta concluſio: Fides & Theologia habent idẽ obiectum apprehenſionis. Hoc eſt, eadem prorſus, quæ fides apprehendit, vt illis aſſentiatur, apprehendit etiam Theologia, vt illa explicet vel probet. Hanc concluſionem capite vltimo inferius planius explicabimus. Sexta concluſio: Fides & Theologia non habent eandem rationem formalẽ per quã, & ideo aliud fidei, aliud Theologiæ aſſignatur formale obiectum. Hæc concluſio pro certiſſima haberi debet: & patet ex ijs, quæ non vno in loco ſupra ſcripſimus, Nam fides ſub hac conſideratione habet primã veritatem; Theologia vero non ita; vt ſtatim dicam. Septima concluſio: Deus, vt Deus, id eſt, Deus ſine vlla limitatione ex parte obiecti; vt ſupra explicuimus, quatenus eſt ens per ſe, & a ſe, & vt includit omnem rationem entis, eſt obiectum Theologiæ. Eſt hæc concluſio pro ſententia diui Thomæ, a qua non abhorret Scotus: quæ his rationibus confirmatur. I. Ex confutatione aliarum opinionum: & ex ſolutionibus rationum, quæ fieri contra hanc concluſionem

Ioan. de Baſſ. q. 4. ar. 2.

 poſ-

poſſunt, quas capite ſequenti afferemus. II. Ex ipſa nominis etymologia, quę ratio licet non vrgeat: tamen non eſt contemnenda. III. Hoc obiectum continet adæquate omnia, quæ tractantur in hac ſcientia, & ad ipſum omnia referuntur, & per hanc rationem omnia probantur, quia cognito Deo, vt Deus eſt, omnia cognoſcũtur, cum ab hac ratione dimanent omnia, & per hoc obiectũ hæc facultas ab alijs diſtinguitur, vt ex ante dictis cognoſcere licet, igitur. IV. Scientiæ omnium ſupremæ & nobiliſſimæ debetur ſupremum, & nobiliſſimum obiectum: at huiuſmodi eſt hoc, quod ei aſſignamus, nimirum Deus, vt Deus, ſecundum omnem deitatis rationem, igitur. V. Idem eſt obiectum principiorum & concluſionum in aliqua ſcientia, cum idem ſit quod cognoſcitur in præmiſsis, & in concluſione: ſed obiectum principiorum Theologiæ, ſcilicet articulorum fidei, eſt Deus, vt Deus, quia fidei reſpondet viſio beata in qua videbimus Deum ſicuti eſt, id eſt, ſecundũ quod in ſe eſt, ſine vlla limitatione, igitur. Confirmatur hæc ratio, quia noſtra Theologia eſt participatio quædam theologiæ beatorum: at illa habet pro obiecto, Deum ſub hac formali ratione, igitur. Ex his colligere licet non eſſe verã eam opinionem, quam olim docuit diuus Thomas, ens diuinum eſſe obiectũ in hac ſcientia. Octaua concluſio: Idem eſt obiectum formale theologiæ noſtræ & beatorum. Primum, quia noſtra



ſtrá Theologia eſt quædam participatio theologiæ beatorum; ergo habebunt eãdem rationem formalem. Confirmatur a ſimili de ſcientia quæ eſt in Magiſtro, & in diſcipulo, cum cognoſcunt eandem concluſionem, ſed ille euidenter, hic vero ſuboſcuræ. Nam, ſicuti beati cognoſcunt Deum eſſe æternum, quia vident eum eſſe independentem, ita & nos idem ob eandem rationem ſcimus. Deinde, ſi non eſſet idem obiectum formale, maxime, quia illi vident principia, nos non ita; illi ſub lumine claro, nos ſub reuelato: at hoc diſcrimen non ſe tenet ex parte obiecti formalis, vt paullo ante dicebam, igitur. Nona concluſio: Deus cum limitatione ex parte cognoſcentis eſt obiectum Theologiæ, quatenus eſt reuelatus, vel vt ſub reuelationem cadit. Declaratur hæc concluſio: cum dicimus Deum ſub hac ratione eſſe huius doctrinæ obiectum, non affirmamus reuelationem eſſe additionem aliquam ex parte obiecti, quaſi Deus reuelatus ſit id, quod primo conſideratur in Theologia; ſed reuelatio tenet ſe ex parte cognoſcentis: quia in hac doctrina non cognoſcitur Deus, niſi reuelatione ſuppoſita. Itaque, non mutatur ratio formalis ex parte rei, quæ eſt Deus, vt Deus, ſed ſolum explicatur cõditio ſine qua a nobis non cognoſceretur. Decima concluſio: Obiectum principale in Theologia eſt ſacratiſsima Chriſti humanitas, ſiue Chriſtus ipſe. Siquidem poſt ipſum Deum, nihil eſt

præſtantius, nihil magis præcipuum, quã Chriſtus Dominus Saluator noſter. Huc facit illud: Ioan. 17. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Vndecima concluſio: Obiecta partialia in Theologia diuerſa ſunt in diuerſis ipſius partibus, pro diuerſitate rerum, quæ in ipſa tractantur. Quæ autem in particulari iſta ſint, non eſt noſtrum hoc loco exponere.

### *Afferuntur ac ſoluuntur varia argumenta contra ea, quæ ſupra determinata ſunt.* *Cap.* XXIX.

MVLTA ſunt argumenta, quæ fieri poſſunt contra ea, quę proximo capite a nobis definita fuere; quorum alia alias ſententias probare, alia vero noſtram euertere videntur, quæ nũc breuiter recenſebo, ſimulq; confutabo. I. Quod non vnum ſit certum Theologiæ ſubiectum, ex eo perſuaderi poteſt, quod variæ, ac diuerſę ſunt rationes ſecundum quas agitur de Deo, vt de Deo in ſe conſiderato, de Deo vt eſt cauſſa efficiens omnium, ac denique, vt eſt finis, ſecundũ quas rationes ſpeciatim diuus Thomas egit de Deo; quę rationes, vt patet, ſunt omnino diſtinctæ: non igitur poterit eſſe vnum noſtræ Theologiæ obiectum, ſed erunt plura pro diuerſitate rationum formalium, ſub quibus de Deo agitur. Hæc ratio facile ſoluitur: quia licet hæ duæ rationes,



tiones, quod Deus ſit principium & finis, ſint inter ſe diſtinctæ: tamen reducuntur ad illam primam, qua Deus conſideratur in ſe, & vt eſt ens per eſſentiam, a qua ratione omnis dimanat ratio. II. Apoſtolus qui optimus fuit Theologus, nihil aliud ſe ſcire arbitrabatur, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum: & hunc tanquã huius ſcientiæ ſubiectum, prædicabat, & docebat, quem alibi finem legis eſſe aiebat, erit igitur Christus obiectũ. Idem confirmatur ex eo, quod bona pars articulorum fidei verſantur circa humanitatem Chriſti, ſicuti alia pars circa diuinitatem; ergo cum idem ſit principiorum, & concluſionum obiectum, vt nos ſupra diximus, Chriſtus erit ſacræ doctrinæ, obiectum. Huic rationi ita ſatisfaceres: ideo Paulus ſolum Chriſtum ſe ſcire arbitrabatur, eumq; alios docebat, quod ſciret ſe non habere ſalutem niſi per meritum Chriſti, quem tanquam propitiatorem a Deo datum eſſe ſciebat; cui tandem tanquam primo auctori ſuam ſalutem acceptam referebat: & cum ſcriptura diuina priuatim data ſit, vt Chriſtum cognoſcamus, ideo dicitur legis finis: ſed, vt omnia referũtur ad Chriſtum, & nos etiam ſumus Chriſti, ita Chriſtus eſt Dei, vt idẽ Paulus ſcriptum reliquit: quare, etiam Chriſtus refertur a Deum, qui vt, ait ſcriptura, omnia propter ſe fecit: & Chriſtus in hunc mundum ob Patris gloriam ſe veniſſe profitebatur. Quare, primum diuinæ ſcripturæ ſubiectum non erit Chriſtus.

1. Cor. 2. 1. Cor. 1. Rom. 10. 1. Cor. 3. Ioan. 8.

Christus. Similiter explicares illud, quod dicitur de articulis: quia articuli humanitatis referuntur ad diuinitatẽ ratione cuius habuit Christus, vt potuerit noſtram ſalutem operari, quam Deus per Chriſti humanitatem, veluti per inſtrumentum operatus eſt. III. Ratio, vnde potiſſimum ſpeciem ſuam aliqua ſcientia ſumit, eſt finis, qui eſt veluti ratio omnium, quæ in aliqua doctrina conſiderantur: atqui huius ſcientiæ finis eſt noſtra ſalus, ad hunc enim finẽ Deus vtrunque verbum, incarnatum videlicet, & ſcriptum dedit, & in profeſſione fidei dicimus, Filium Dei propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de cœlis, ergo ratio obiecti Theologiæ, non erit Deus, ſed noſtra ſalus. Facile eſt ex his, quæ iam diximus hunc nodum ſoluere, dicendo Deum feciſſe omnia propter hominem, & omnia nobis dediſſe in noſtram ſalutem, non tanquam in vltimum finem, ſed tanquam in finem, quem habet Deus in ſuis operibus ad extra: at vltimus operũ diuinorũ finis, eſt ipſius Dei gloria. Adde etiam, quod licet fidei finis proximus ſit noſtra ſalus: tamẽ Theologiæ finis vltimus eſt cõtemplatio Dei, in quo eſt noſtra ſalus, quã fide per caritatem operante, cõſequimur. IV. Obiectũ, vt eſt dictum, debet continere omnia: ſed Deus non poteſt continere omnia, quæ ſunt in Theologia; non poterit igitur eſſe obiectum: minor propoſitio patet, quoniam, vel continet omnia, tanquam genus, & hoc dici non poteſt, cũ Deus non

Damaſ.



non ſit genus ad ea, quæ tractantur in hac ſcientia: vel tanquam cauſſa efficiens, quæ ſuos continet effectus; & hoc etiam non videtur verum, cum hæc continentia non ſit de ratione obiecti ſcientiæ, cum multa tractentur in ſcientijs, quæ non ſunt effectus ipſius obiecti: vel, vt videtur aſſerere diuus Thomas, omnia continet, quia omnia dicunt ordinẽ ad Deum; neq; hoc probatur, quoniã ſequeretur ſupremã ſcientiam inter humanas, continere omnia quæ tractantur in alijs ſcientijs, & ita vna eſſet omnium rerum ſcientia: ſequela patet, quoniam omnes res creatæ ita ſunt diſpoſitæ, vt vna habeat ordinem, & referatur ad aliam. Cõcedimus quidem Deum non continere omnia, tanquam quoddam vniuerſale in prædicando; ſed negamus non continere tanquam cauſſa, vel principium, & origo; ſiue loquamur de productione quæ eſt ad intra, vt eſt proceſſio Filij & Spiritus ſancti, ſiue de productione, creaturarum, quæ ſunt extra, cum omnes effectus, tum gratuiti, tum naturales, ſint a Deo; ad quem, cum ſit cauſſa vniuerſaliſſima, poſſunt referri omnia: vnde non eſt par ratio, de Deo, & de alijs obiectis. Adde etiam quod omnia referuntur in Deum, vt in communem omnium rerum finem: & ſpeciatim homo, cuius cauſſa ſunt facta omnia: qui ad Deum refertur, tanquã ad ſupernaturalem finem. V. Obiectũ intellectus eſt ens ſub ratione veri: vt enim voluntas mouetur a ratione boni, ita intellectus a ratione

a ratione veri; ergo ſi Deus eſt obiectum Theologiæ, erit ſub hac ratione, vt verus eſt. Huc accedit, quod ſanctus Doctor in ſecunda ſecundæ quæſtione prima articulo primo ait, obiectum fidei eſſe primam veritatem; & in hoc articulo idem facit obiectum fidei, & Theologiæ; quare primæ ſcientiæ obiectum erit prima veritas. Quod attinet ad illud, quod ſanctus Thomas loco citato ſcribit, capite ſequenti latius dicemus. Quod vero pertinet ad primam partem huius argumẽtationis de ratione veri, a qua mouetur intellectus ad aſſentiendum, id facile concedimus: ſed tamen id, eſt cõmune omni obiecto intellectus: nos autem hic quærimus rationem primam formalem & propriam per quam, quæ in Theologia probantur, demonſtrari poſſunt, & hæc non poteſt eſſe Deus, vt verus, quia hoc eſt quoddam Dei attributum, quod poteſt probari per aliud, vt manifeſtum eſt. VI. Ea ratione Deus eſt obiectum Theologiæ, qua a nobis cognoſcitur: ſed Deus non cognoſcitur a nobis, vt Deus eſt; cognoſcitur enim per creaturas, quæ ſolum nobis indicant aliqua Dei attributa, non autem ipſum Deum vt Deus eſt, cum nulla creatura repræſentet Deum ſecundum totam ipſius perfectionem & eſſentiam: cadit igitur Deus ſub noſtram cognitionem ſolum ſecũdum aliquam limitatam conſiderationem alicuius attributi. Ad huius argumentationis ſolutionem animaduertendum eſt, duo eſſe genera





ra dininorum effectorum: vnum genus eſt, ſub quo effecta naturalia continentur, vt ſunt quæ Deus in mundi creatione, conſeruatione, & gubernatione efficit, ex quorum effectorum cognitione in aliquam diuinorum attributorum, naturæq; diuinæ notitiam, tanquam a poſteriori peruenimus. Itaque vno, vel altero attributo diuino cognito, diſcurrendo, in aliorum cognitionem, quantum vi naturali conceditur, aſcendimus. Alterum genus, eſt eorum effectorum, quæ pertinent ad ordinem ſupernaturalem gratiæ, ſecundum quem Deus inſtaurat, iuſtificat, & glorificat hominem: & hæc nobis innoteſcunt per reuelationem ſupernaturalem luminis fidei; quo longe plura de diuina natura innoteſcunt, & quæ naturaliter cognoſcuntur longe melius nobis manifeſtata ſunt. Vt, diuinitatem eſſe fœcundam, Deum eſſe trinum & vnum, humanam naturam ſibi vniuiſſe, noſtram felicitatem poſitam eſſe in clara Dei viſione, & huius generis multa alia, ex quibus, tanquam ex principijs maioribus, ac clarioribus multo plura, quam per effectus naturales diſcurrẽdo, humana Theologia de Deo cognoſcere potuit, & in hanc etiã Dei notitiam peruenire, Deum eſſe, ipſum ens per ſe infinitum; ex qua ratione, tanquam ex quodam primo principio, hęc ſcientia ſuas concluſiones probat. Quare, ad formam argumentationis reſpondentes, dicimus, Deum nõ ſolum cadere ſub noſtram cognitionem ſecundum attributa

tributa naturaliter cognita, ſed etiam ſecundum hanc dictam rationem, vt eſt ens per eſſentiam, vnde aliæ rationes manant. VII. Sed rurſus vrgeret aliquis, & allatam ſolutionem, ac etiam opinionem noſtram hunc in modum labefactaret. Ex certiſſima Ariſtotelis doctrina, cui nemo eſt, qui non conſentiat, ad demonſtrandam aliquam rei cuiuſpiam proprietatem opus eſt medio proprio & immediato, definitione nimirum rei illius, cuius proprietas demonſtranda eſt: atqui, vt omnes philoſophi, & ſacri Doctores fatentur, quid Deus ſit, etiam per lumen fidei cognoſcere nequimus: quare nihil de Deo demonſtrare poterimus; ac proinde Deus non poterit eſſe huius ſcientiæ obiectum. Si hoc argumẽtum vrgereret, primum probaret etiã Metaphyſicam, ſecundum aliquam ſaltem partem, non eſſe ſciẽtiam: cum nec etiam Philoſophus, agens de Deo, quid Deus ſit cognoſcat. Deinde, ſolum probat nos non poſſe aliquid de Deo demonſtrare illa potiſſima demonſtratione, quam Ariſtoteles tradidit, quæ etiam in humanis ſciẽtijs raro reperitur: & in quibuſdam reperiri nõ poteſt. Poſtremo, ſatis eſt de obiecto ſupponere quid nominis, ad aliquid de eo demonſtrandum: & quod attinet ad definitionem rei, ſatis eſt habere aliquam deſcriptionem conflatam ex attributis, ſiue ex effectis, quod etiam in alijs accidit ſcientijs: cum raræ ſint perfectæ & abſolutæ rerum definitiones. IIX. Quod Deus non

Li.1.poſt.

Ariſt. lib. 1.poſt.c.1



non habeat proprie paſſiones, ac propterea non poſſe eſſe huius ſcientiæ obiectum, ſic demonſtratur. Paſſiones ſunt proprietates manantes ab eſſentia rei, inter ſe, & ab eſſentia distinctæ: atqui attributa Dei non ſunt huiuſmodi, quoniam Deus eſt ſimpliciſſimus actus, vt ſacra determinant concilia: non ſunt igitur in Deo veræ paſſiones, quę probẽtur, vel per quas aliquid de Deo demonſtretur. Attingit hæc argumentatio grauem illam difficultatem, de qua inter ſe diui Thumæ & Scoti ſectatores diſſentire videntur, an attributa diuina diſtinguantur ex natura rei, an vero per ſolam rationem, de qua re non eſt noſtrum latius hoc loco diſſerere. Omiſſa igitur hac difficultate, etiam ſi cum diuo Thoma dicamus, cuius ſententię omnino ſubſcribẽdum eſſe arbitramur, attributa diuina nullam a parte rei habere diſtinctionem; negamus tamẽ, vnum non eſſe rationem alterius, & vnum per alterũ probari non poſſe: & id ſat eſt, vt aliquid per aliud probari queat, vt ab eo formaliter diſtinguatur. Quare, licet Deus nullas proprie habeat paſſiones, & ſit actus ſimpliciſſimus, ac propterea vnico actu perceptibilis, & penetrabilis, quo modo ſeipſum cognoſcit: tamen, quia vere in ſe habet rationes varias, ac etiam infinitas attributorum, prout a nobis per varios conceptus cognoſcitur, apprehendimus in Deo aliquid tanquam ſubiectum, & aliquid tanqnam prædicatum, ſiue attributum, & vnum attributum

Cap. Firmiter de ſum.trin. & fid.cat.

tum tanquam rationem alterius. Quod ſi inſtes, de principijs, & partibus, ſpeciebusq;, quæ omnia alicuius ſcientiæ ſubiectũ, habere debet; quid reſpondendum ſit, ſatis manifeſtum eſt ex ijs, que capite vigeſimo ſeptimo in primo notando, diximus: Vbi docuimus principia paſſiones, & partes non eodem modo eſſe in omni ſcientia; & in Theologia ſuo modo hæc omnia reperiri. Et quod ad principia attinet, aſſignamus aliquid loco principij, ſcilicet Deum vt Deus, eſſentiam diuinam ex ſe conſideratam, ens ſummum: vnde inferũtur omnia Dei attributa, quę vicem paſſionum habent. Partes autem diceres quodãmodo eſſe perſonas diuinas, & ipſas creaturas, operaq; diuina, quæ omnia dicuntur partes, prout ſunt participationes, diuinæ naturæ. IX. Subiectum præſupponitur in ſcientia tanquam notum, cum nihil poſſit dari notius per quod probetur: at in Theologia probatur Deũ eſſe, vt patet apud omnes Theologos, igitur. Facilis eſt ſolutio: primũ, ſi obiectum ſit aliqua ex parte dubium, poſſunt afferri rationes ad illius exiſtentiam demonſtrandam: & cum communi quadam omnium hominum notione Deum eſſe exiſtimetur, quæruntur deinde rationes neceſſariæ ad idem confirmandum. Et hinc eſt, quod Theologia humana Deum eſſe demonſtrat. Deinde, in Theologia Chriſtiana, ratione principiorum fidei, Deum eſſe ſupponitur: ſed quia idem ratione naturali demonſtrari poteſt, ideo

ideo



ideo per rationes naturales, tanquam quid præambulum ad Theologiam, demonſtratur. X. Obiectum debet eſſe aliquid cõmune, quod prædicetur de omnibus ijs, quæ in ſcientia tractantur: at Deus ratione eorum quę in Theologia docentur nõ eſt huiuſmodi: quia, licet Deus prædicetur de tribus perſonis diuinis; non tamẽ prædicatur de Angelis, de homine, de donis diuinitus cõceſſis, alijsq; ſimilibus, igitur. Hęc ratio, ni fallor, ex ijs, quę adnotata ſunt, ſatis aperte ſoluitur: nec enim vt, ſcriptum eſt, oportet vt ſubiectum de omnibus, quæ ſunt in aliqua ſcientia in recto, & ſecundum eandem rationem vniuocam prædicetur, ſed ſufficit vt omnia ad illud aliquo pacto ordinentur, vt dicatur eſſe quid commune, & ſic Deus dici poteſt communis, in Theologia; cũ omnia quæ in ea tractantur ſint, vel ipſe Deus, vel ſint ex ipſo, vel ad ipſum referantur. Et Angelus & homo, ſecundum analogiã, vt conſtat ex ſacris literis, dicuntur Deus, & dona dicuntur diuina: & per donum gratiæ, vt diuus Petrus ait, nos facti ſumus participes diuinæ naturæ. XI. Si vera eſt hęc ſententia, neceſſario ex ea conficitur, Theologiæ ſubiectas eſſe res omnes, & de omnibus rebus agere, cum omnia ſint a Deo, & ad Deum referantur: quod tamẽ falſum eſt, cũ multa ſint de quibus Theologia non agit: veluti de elementis, de plantis, de animalibus, &c. adde etiam, quod aliæ ſcientiæ non eſſent neceſſariæ. Facile concedimus hanc

2. Pet. 1.

Cc ſcien-

ſcientiam omnibus de rebus agere, ſecundum eam rationem, quæ eſt ei propria; eo modo, quo Metaphyſica agit de rebus omnibus, vt entia ſunt, non autem ſecũdum rationes proprias, aliarum ſcientiarum. Exempli gratia, Metaphyſica agit de generibus & ſpeciebus corporis naturalis, ſed non quatenus mobilia ſunt, quo modo a phyſico conſiderantur. Sic etiam Theologia, dum de operibus diuinis diſputat, vt de rerum productione, ordine, procuratione, adminiſtratione, & fine, dicetur agere de rebus omnibus, vt ſub ſuo ſubiecto formali continentur: quo fit, vt verba faciat de cœlis, de elementis, de mixtis, alijsq; rebus naturalibus, ſed non ſub ea ratione, qua conſiderantur a Phyſico. Similiter, ijſdem de rebus ſermonem habet, cum de mundi fine, atque ſtatu poſt reſurrectionem diſſerit. Neque hinc ſequitur alias ſcientias non eſſe neceſſarias, cum non agat de omnibus rebus ſecũdum omnem rationem, nec omnia de quauis re demonſtret, quæ de ea demonſtrari poſſunt. Sicuti patet in philoſophia naturali, quæ non agit de cœlo, de homine, & de anima ſecundum omnem rationem; cum his de rebus alij quoque agant artifices. XII. Deus, vt Deus deſignat quid infinitum, & interminatũ, vt nos fatemur; quo poſito, multa ſequuntur abſurda. Primum Theologiam eſſe ſcientiam quandam infinitam quia ſcientia adæquat rationem formalem ſui obiecti. Scibile enim, ex Ariſtotele, eſt menſura ſcien-



ſcientiæ; & quantum eſt ſubiectum, vt ſcibile, tanta eſt ſcientia: at conſequens eſt abſurdum, cum mens humana finita non ſit capax infinitæ ſcientiæ, ergo. Deinde ſequeretur Deum a noſtra Theologia comprehendi, quod eſt a vero penitus alienum: conſequentia patet; quia qui dicit, Deus, vt Deus, dicit totum Deum, & totaliter, id eſt, proponit Deum cognoſcibilem ſecundum omnem rationẽ, & modum: quare, ſi Deus vt Deus, eſt a nobis cognoſcibilis, erit etiam cõprehenſibilis, quod veritati, & auctoritati patrũ repugnat. Præterea, ſequeretur idem eſſe obiectum noſtræ Theologiæ, & ſcientiæ diuinæ, cũ Deus omnia ſub iſta communiſſima ratione cognoſcat. Rurſus ſequeretur neceſſario Theologiam nos inducere in cognitionem rerum omnium, cum is, qui cognoſcit Deum, vt Deus eſt, neceſſario cognoſcat omnia. Hæc ratio, quæ noſtram ſententiam multum vrgere videtur, facile diluitur: nam, quod aliqua ſcientia tanta eſſe dicatur, quãtum eſt eius obiectum, vel, quod idem eſt, ſcientiam adæquari ſuo ſubiecto, & ſubiectum eſſe menſuram ſcientiæ, bifariam intelligi poteſt: vno modo ex parte obiecti, & rationis formalis ipſius, & ſic verum eſt ſcientiam adæquare obiectum: vt patet in viſione, quæ tanta eſſe dicitur, quantum eſt eius obiectum: altero modo ex parte ſubiecti, ſiue ex parte cognoſcentis, vt tanta dicatur, quanta eſt vis cognoſcendi, ſiue intellectuale lumen ipſius: & hoc

hoc pacto non eſt neceſſe vt ſcientia tanta ſit, quantum eſt obiectum: ſicuti non eſt neceſſe, vt tantam quis habeat videndi facultatem, quã-tum obiectum quod ſub viſum cadit, videri poteſt. Si ergo Theologia ſumatur vt eſt in nobis, non ſequitur eſſe infinitam, neque cognoſcere omnes res, neque æquari ſcientiæ diuinæ, aut Deum ipſum comprehendere: ſicuti non eſt neceſſe, vt is qui cognoſcit aliquod principium, cognoſcat etiam concluſiones omnes, quæ ex illo a quouis intellectu deduci poſſunt: & nullus ita perfectus reperitur artifex, qui omnia cognoſcat, quæ in ſuæ artis principijs continentur. Quare, pro ratione luminis, tum reuelati, tum naturalis & acquiſiti, & pro ingenij bonitate plura, vel pauciora ſub illa communi ratione, quam Theologiæ aſſignamus, cognoſcuntur.

XIII. Si verum eſſet, quod dixit ſanctus Doctor, ideo Deum eſſe obiectum adæquatum in hac ſcientia, quod omnia ad Deum referantur, ſequeretur obiectum Metaphyſicæ eſſe eũdem Deum, eodem modo conſideratum: ſequela patet, quia etiam Metaphyſica principaliter agit de Deo, & conſiderat Deum vt eſt cauſſa & finis rerum omnium, ac proinde reliqua omnia vt ad Deum referuntur: & ita hæ duæ ſcientiæ idem haberent obiectum, quod eſt falſum. Huius rationis ſequela negatur: quoniam Metaphyſica primo, & principaliter, ſpeculatur ipſum ens, vt ens eſt, eiuſq; paſſiones demonſtrat, & poſtea partes entis, ſcilicet Deum & creaturas: at vero noſtra Theologia immediate verſatur circa diuinum numen cuius plura attributa, & plura opera ſub alio lumine conſiderat. Quare, hæ duæ ſcientiæ, licet vnam & eandem rem conſiderent; tamen multis de cauſſis inter ſe diſtant. Primum, quoniam non habent idem obiectum adæquatum, vt patet ex dictis. Deinde, longe plura, & ſub alio lumine, & quæ vi naturali cognoſci nequeunt, noſtra Theologia cognoſcit de Deo, quam Metaphyſica. Poſtremo in modo procedendi, quia Metaphyſica incipit a notioribus nobis, & per effecta naturalia attributa quædam de Deo demonſtrat: at noſtra Theologia ſecundũ ordinem naturæ, & a priori procedit; dum per hanc primam Dei rationem, ſcilicet vt eſt ens per eſſentiam, omnia conſiderat.

XIIII. Denique, ne plura congeram argumenta, arguunt aliqui diuum Thomam inconſtantiæ, quod aliter olim ſenſerit in prologo ſententiarum, & aliter hoc loco: ac rurſus aliter ſentire videatur in primo articulo primæ quęſtionis ſecundæ, ſecundæ. Quod attinet ad primam huius obiectionis partem, Thomiſtæ varijs reſpondent modis. Quidã dicunt in prologo locutũ fuiſſe ſecundum aliorum Scholaſticorũ opinionem; & per modum diſputationis, & ideo aliter atque hoc loco ſenſiſſe: alij, ibi ſermonem habuiſſe de obiecto adæquato, hic vero de principali: alij, ibi non fuiſſe locutum de ſubiecto Caiet.

Theologiæ, ſed de obiecto in communi, prout quauis ratione poteſt cadere ſub diuinam reuelationem; hic vero de ſubiecto proprio, & per ſe: alij idem volunt intelligi per ens diuinum, & per Deum, vt Deus eſt. Sed quidquid ſit de his ſolutionibus, quas facile aliquis reijceret, melius cum alijs dicendum exiſtimo, beatum Doctorem (quod non ſemel in ſumma fecit) mutaſſe hac in re ſententiam: quod cum affirmatur, nihil eius diuino ingenio detrahitur; immo aliquid laudis tribuitur, cum videamus nō fuiſſe in ea opinione, quam ſemel imbibit, pertinacem, & in dies in rebus examinandis, ac perpendendis maiorem adhibuiſſe curam: quod omnes, qui cum ratione in ſcientijs verſantur, facere deberent. Quod vero ad alteram partem huius argumentationis attinet, mox capite ſequenti latius dicemus.

Capr.

*Explicatur quædam contradictio, quæ in diuo Thoma eſſe videtur.* *Cap.* XXX.

VT igitur alteram vltimæ argumentationis partem, & quinctam rationem ſuperius allatam explicemus, & apparentem pugnantiam, quæ videtur eſſe inter ea, quæ hoc loco beatus Doctor tradit, & quæ initio ſecundæ ſecundæ docet, quædam longius de natura ſcientiæ ac fidei, ab ea tamen re in qua nunc verſamur, nullo modo aliena, nobis repetenda ſunt. Notandum





itaque eſt, duas eſſe potiſsimas intellectus humani operationes, quæ per ſcientias & artes perficiūtur, nimirum apprehenſionem & iudicium, ſiue aſſenſionem. Nam, ad cuiuſcunque rei perfectam cognitionem habendam, debemus in primis eam diſtincte apprehendere, & vbi apprehenſa fuerit, de ea iudicium ferendum eſt, quo quid rei conueniat, quid ab ea diſſentiat ſtatuitur. Quare, ea quæ in aliqua ſcientia tractantur, ſubſunt primum apprehenſioni, deinde iudicio: ſed tamen non vna, atque eadem ratione. Vt res apprehenſioni ſunt ſubiectæ, conſiderantur, atque ſumuntur, vt ſunt ſimplices: vt exempli gratia in ſcientia phyſica, corpus, animal, motus, locus, tempus, & id genus alia: at vero quatenus ſubſtant iudicio conſiderantur, vt cōplexæ: vt cum de animali fertur hoc iudicium, quod ſit ſenſibile: de motu, quod ſit actus, & ſic de alijs. Ex quibus intelligi licet, plura eſſe in aliqua ſcientia, quę ſub apprehenſionem, quā quæ ſub iudicium cadunt: ſicuti gratia exempli plures ſunt termini, & res, quibus reſpondet apprehenſio, quam propoſitiones, quibus reſpondet iudicium. Hæ duæ operationes partim inter ſe conueniunt, partim differunt. Earum conuenientia in eo ſita eſt, quod ſicuti in apprehenſione dantur res, quæ primo apprehenduntur in aliqua ſcientia, & aliæ quæ ratione aliarum apprehenduntur; ita etiam in iudicio, datur aliquod primum iudicium in aliqua ſciētia, quod

ab alio nõ pendet iudicio, alia vero, quæ pendet ab alio. Sed rem paullo obſcuriorẽ aliquo illu-

Ariſt. li. 2. de ani.

ſtremus ſimili. Quod ad apprehenſionem attinet, oculus primo & per ſe apprehendit colorẽ; at vero numerum, quantitatem, & alia viſibilia communia apprehendit ratione coloris. Similiter philoſophus naturalis, primo & per ſe apprehendit corpus mobile, reliqua vero omnia, vt in ſe habent aliquid corporis mobilis. Quod ad iudicium ſpectat, in Mathematicis dantur quædã prima principia, quibus per ſe humana mens aſſentitur, & per illa fert iudicium de omnibus alijs rebus, quæ in tali ſcientia probantur. Et in

Ariſt. lib. 1. Eth.

moralibus datur vnum primum appetibile nimirum finis, ratione cuius omnia appetuntur. In quauis ergo ſcientia multa ſunt, quæ non per ſe iudicantur, ſed per aliud, vt ſunt omnes concluſiones, quæ iudicantur per principia per ſe nota, quæ per ſe immediate iudicantur. Differentia autem in hoc ſita eſt, quod in apprehenſione, vna eſt ſubiecta materia, quę primo, & per ſe apprehenditur, ad quam omnia referuntur, vt in philoſophia naturali, corpus mobile: at vero in iudicio, non eſt vnum tantum immediatum principium primo iudicatum, per quod, iudiciũ feratur de alijs omnibus concluſionibus. Siquidem in vna, eademq; ſcientia multa ſunt immediata principia, ad quæ variæ reducuntur concluſiones, cum diuerſæ concluſiones a diuerſis oriantur principijs. Ex quibus intelligi licet,

cur



cur aſſignantes obiectum alicuius ſcientiæ, vel habitus, vnum aſſignemus obiectum formale, quod apprehenſioni reſpondet, ſub cuius ratione omnia apprehenduntur; non autem vnum aliquod principium, per quod omnia iudicentur, ſed plura. His ita explicatis, ad rem noſtrã propius accedentes, cum fides nobis diuinitus a Deo tributa, ſit habitus quidã intellectus, quo, ſicuti per ſcientiam, aliquid apprehendimus & iudicamus, oportet vt in fide has duas conſideremus operationes, ſcilicet apprehenſionem, & iudicium. Fidei apprehenſio eſt circa res ſimplices, & per ſe conſideratas: iudicium vero circa propoſitiones fidei. Ratione apprehenſionis, fidei aſſignandum eſt aliquid primum apprehenſum, ſicuti aſſignatur etiam ſcientiæ, ratione cuius, ſiue in ordine ad quod, reliqua omnia apprehenduntur, & hoc eſt Deus, quem per ſe apprehendit, & propter ipſum reliqua, vt ſupra expoſitum fuit. Pari etiam ratione, in fide vnum primum iudicium, ſiue principium aſſignatur, quo omnia iudicantur, & quod eſt ratio aſſentiendi omnibus, quæ ſub fidem cadũt: & in hoc differt fides a ſcientia: quia, vt eſt dictum, non eſt vnum tãtum iudicium, ſiue principium, quo iudicentur omnia in ſcientia, ſed plura. Hoc autem vnum primum principium quod fidei aſſignatur, eſt auctoritas diuina, ſeu veritas prima, quæ eſt vnica prima ratio per quam omnia creduntur. Etenim omnis fidei aſſenſio ad primam

veri-

veritatem, id eſt, ad hoc, Deus dixit, ſiue reuelauit, reuocatur: hæc enim eſt vnica cauſſa credẽdi omnia, quæ fide tenentur. Ex his colligere licet, cur fidei aſſignari poſſit non ſolum vnum obiectum ratione apprehenſionis, nimirum ipſe Deus, ſed etiam vnum ratione iudicij ſcilicet, Prima veritas, cum hæc ſit ratio credẽdi omnia, quæ credenda proponuntur, & a Deo reuelãtur. Habet ergo fides ratione apprehẽſionis pro obiecto Deũ, vt Deus eſt, in quo ſiſtit, & ideo beatus Doctor hoc loco ſcripſit, idẽ eſſe obiectũ, Theologię & principiorũ, id eſt, articulorũ fidei. Habet etiã ratione iudicij pro obiecto primã veritatem, per quam omnia iudicat: vt alio loco docuit: cum fidelis omnes articulos credat, quia primæ veritati credit. Ex quibus ſatis aperte, ni fallimur, liquet nullam eſſe in beato Doctore pugnantiam. Sed roget hoc loco quiſpiam, cur primam veritatem fidei obiectum appellauit, & fidei priuatum obiectum aſſignauit? Dicerem, id duas ob cauſſas feciſſe: quarũ prima eſt, quia in ſecunda parte ſecundæ inquirebat, quod nam eſſet priuatum fidei obiectum, vt fides eſt, ſcilicet quatenus fides dicit aſſenſionem quandam, ſiue iudicium, cum ratione apprehenſionis cum Theologia cõueniat: altera vero cauſſa eſt, quia de ratione fidei magis eſt, vt dicat iudicium & aſſenſionem, quam apprehenſionem: ideo debuit ei aſſignare rationem cui innitatur, & per quam credat, quam obiectum formale in ſecunda

1.2. q.1. ar.1.



da ſecundæ appellat, id eſt medium, ſiue principium per quod res reuelatæ creduntur, quod aſſignandum fuit, vt oſtenderetur diſcrimen inter theologiam acquiſitam, & fidem, cum illa plura habeat media, varias ſcilicet rationes, & varios locos, per quos ſuas concluſiones probat. Nam, ſi quis vnum tantum medium, Deum ſcilicet dicentem, Theologiæ aſſignaret, non eſſet amplius ſcientia, ſed fides. Vt autem hic locus in quo explicando verſamur, adhuc plenius dilucidetur, animaduertendum eſt, in iudicio fidei quattuor reperiri: primum eſt id, quod creditur, vt Deum eſſe trinum & vnum, Filium Dei humanã ſumpſiſſe carnem. Deinde, eſt medium, ſiue principium, & ratio per quam credimus, & hæc eſt diuina auctoritas, ſeu prima veritas, quæ credenda reuelauit Eccleſiæ. Poſtea, eſt id, quo credimus, lumen fidei, quo humanus intellectus ad aſſentiendum inclinatur: non quod lumen hoc ſit medium credendi, ſed auxilium quoddam, ſine quo intellectus non aſſentiretur: Sicuti nec lumen naturale dicitur medium quo probentur alicuius ſcientiæ principia. Poſtremo, eſt via, ſiue ratio aliqua inducens, ſeu aliquod motiuum externum, quo humana mens diſponitur ad credendum: vt ſunt rationes, quæ indicãt res, quas fides noſtra docet eſſe credibiles: non quod per has rationes credamus, ſed ſolũ vt diſponamur, ad lumen fidei recipiendum, quo Deus nos illuſtret, & moueat ad credendum, per hanc rationem,

nem, quia ipſe reuelauit Eccleſiæ. Itaque medium credendi, primam ſcilicet veritatem reuelare Eccleſiæ, non alio pacto nobis eſt notum, quam lumine fidei infuſo, quo intus cor noſtrũ mouetur: & hinc eſt, vt per hoc medium non poſſimus alios inducere ad credendum, cum illud lumen, quod eſt in nobis aliorum cordibus infundere non poſſimus: ſed hoc ſolius Dei eſt. Poſſumus tamen aduerſus fidei impugnatores, & incredulos vti aliquibus motiuis, de quibus infra ſcribemus, vt res noſtræ religionis fide dignas eſſe eis demonſtremus. Atque de forma & obiecto Theologiæ hactenus diſputaſſe ſufficiat.

*Libri Tertij Finis.*

# INTRODVCTIONIS In Sacram Theologiam, *Liber Quartus:*

Quod ſacra doctrina ſit argumentatiua, & de eius principijs, quæſtionibus, concluſionibus, & propoſitionibus.

*Explicatur doctrina diui Thomæ in articulo octauo, & ea de quibus deinceps diſputandum eſt proponuntur. Cap. I.*

DE forma atque materia ſacræ Theologiæ, quæ cognitu magis neceſſaria nobis viſa ſunt, ea accurate tertio libro expoſuimus: de quibus ſicuti & preſſius, ita & latius ſcribere potuiſſemus: ſed mediam viam, vt & facilitati & breuitati conſuleremus, tenendam eſſe duximus. Nunc inſtitutum ordinem ſequentes, ad reliquas noſtræ propoſitionis

nis partes explicandas tranſitum faciamus: ac primum diui Thomæ doctrinam quæ continetur in articulo octauo, vnde diſputandi occaſio ſumetur, expliccmus. Cum ergo Angelicus Doctor in ſuperioribus articulis, duas de ſacra Theologia quęſtiones expoſuiſſet, an ſit, & quid ſit, hic quærit propter quid ſit, id eſt, an ſit argumentatiua: ratiocinatio enim eſt cauſſa propter quam aliquis ſciendi habitus acquiritur: vel, ſi id minus placet, dicas tractare quęſtionem, qualis ſit. Nomine doctrinæ, beatus Thomas intelligit doctrinam concluſionum, vt ex ijs quæ in articulo docet, facile colligitur. Huius fertiliſſimi articuli ſumma his concluſionibus continetur. Prima, ſacra doctrina eſt argumentatiua. Secunda, non argumentatur ad probanda ſua principia: ſed ex illis ratiocinatur ad aliquid probandum, ſicuti & aliæ doctrinæ faciunt. Tertia, ſcientię inferiores, cum habeant ſuperiorem, non probant ſua principia, ſed ea relinquũt ſuperiori probanda: hæc autẽ cum ſit omnium ſuprema, diſputare debet contra negantes principia contra quos, ſi quid concedant, vt faciunt hæretici, ex conceſſis arguit: ſi vero nihil concedant, vt gentiles, rationes ſoluit. Quarta, locus ab auctoritate diuina in hac doctrina eſt præcipuus; quia principia per reuelationem habentur. Quincta, hæc doctrina vtitur ratione humana, non ad probandam fidem, ſed ad declarãda quædam alia, quæ hic traduntur: nam, cum gratia non tollat naturam, ſed nam iuuet, humana ratio debet inſeruire fidei; ſicuti inclinatio voluntatis inſeruit caritati. Sexta, hæc doctrina vtitur ratione humana, tanquam argumento extraneo, & probabili; auctoritate vero diuina, tanquam argumento proprio & neceſſario. Septima, hæc doctrina arguit ex ijs, quæ reuelata ſunt ad ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ, non autem ex reuelationibus particularibus. Vnde neque ex auctoritate ſanctorum neceſſarium ducit argumentum. Et hæc ſunt, quæ in hoc articulo continentur. Quæ autem ad eius declarationẽ dici poſſent, in ipſis diſputationibus, a nobis afferentur. Fœcundiſſimus hic Angelici Doctoris articulus ampliſſimum nobis ad diſputandũ campum præbet: in quo explicando, de natura principiorum Theologiæ, de eiuſdem quæſtionibus, & concluſionibus, ac etiam de locis communibus, vnde hæc doctrina ſua promit argumenta, a nobis paullo fuſius diſſerendum erit. Nec tamen omnia, quæ dici poſſent huc conferemus, ſed ea tantum, quæ maxime rem ipſam attingunt, & quæ inſtitutionum limites non excedant: qui plura deſiderabit, noſtras inſtitutiones in diuinam ſcripturam leget, & eos ſcriptores conſulet, quos paſſim citabimus. Antequam autem, quæ propoſita ſunt explicare aggredior, illud, tanquam omnium dicendorũ fundamentum pono, pium ac religioſum chriſtianum, non ideo de rerum, quæ fide tenẽtur, veritate, diſputando

tando inquirere; quaſi de eis dubitet, & vt rationibus inuentis, maiorem certitudinē habeat, & ob rationes ſine vlla hæſitatione credat: quia certo ſcit omnia eſſe veriſſima, & magis exiſtimat, quæ fide tenet, eſſe vera, quā ſi eorum euidentes demonſtrationes haberet. Exploratum itaque habet omnia quæ ſub fidem cadunt, eſſe maxime certa, & euidenter credibilia, & ab omni liberali, & bene educato, eruditoq; ingenio ſuſcipienda eſſe iudicat. Hac credulitate ſuppoſita, arbitratur ſe, de rebus diuinis diſſerendo, aliquid inuenire poſſe, vnde reddere rationē queat, ſe non temere fidem habere ijs, quæ ipſe
1. Pet. 3. credit: ad quod faciendum ab Apoſtolorum principe ſe excitari animaduertit. Quare, ſine ratione quidam ſimplices Chriſtiani mirantur, cum audiunt Theologos quærere, An Deus ſit: an habeat prouidentiam: an filius Dei carnem aſſumpſerit: an confeſſio ſit ſacramentum, & alias huius generis quæſtiones, putantes eſſe veluti quoddam ſacrilegium iſta in dubium reuocare: cum tamen, ſi congruenter fiat, ſit maxime piuum, ac meritorium.

### *An ſacra doctrina ſit argumentatiua.* *Cap. II.*

ITA certum ac exploratum Angelicus doctor habuit, ſacram doctrinam debere eſſe argumentatiuam, vt hoc ſuppoſito, ſolum qua ratione



ne argumentetur, docuerit. Quam rem nos etiam ſilētio præteriremus, niſi noſtrorum temporum hæretici, hac in parte, nobis negocium facerent, atque rem luce meridiana clariorem, ſuis tenebris obſcurare non tentarent. Vt igitur propoſitæ difficultati ſatisfaciamus, quaſdam afferemus concluſiones, quas, vt introductionis ratio expoſcit, breuiter confirmabimus: ſi illud prius monuerimus hanc difficultatem intelligi poſſe, tum de ipſa ſacra ſcriptura, tum de doctrina, qua diuinæ literæ explicantur, & defenduntur. Prima concluſio: Sacra ſcriptura eſt argumentatiua, hoc eſt, in ipſamet ſcriptura ſunt argumentationes, probationes, confutationes, ſicuti etiam ſunt in humanis ſcientijs. Huic concluſioni facile etiam aduerſarius hæreticus ſubſcriberet; cum hæc veritas nulla ratione negari poſſit. Nam, ſi quis ſumat librum Iobi, qui omnium librorū antiquiſſimus eſſe putatur, eumq; intelligenter legat, videbit profecto totum fere librum in diſputatione verſari. Ibi orationes integrę cum ſuis argumentationibus & reſponſionibus habentur: ibi omnes Dialecticorum, & Rhetorum loci attinguntur, dum de diuina prouidentia diſſeritur, & Iobus ſuam innocentiam tuetur. In pſalmis ſæpe reperies orationes integras, ſuis locis confirmatas; & vt vnus ſit loco omnium, accipe pſalmum quinquageſimum vbi octo, aut nouem rationibus perpetrati criminis veniam a Deo artificioſus vates obtinere conatur.

conatur. Omnes Pauli epiſtolæ diſputationes continent, & aliquid argumentando, vel confirmant, vel refellunt. Idem de alijs epiſtolis canonicis dicas, quarum ſingulæ aliquod dogma diſputando pertractant. Et Ioannis Euangeliũ, ad demonſtrandam Chriſti diuinitatem aduerſus hæreticos, poſtremo loco fuit conſcriptum. Sed ne rem claram argumentorum multitudine obſcurare velle videamur, hæc pauca in huius concluſionis confirmationem dixiſſe ſufficiat: quæ ex ijs, quæ ſtatim ſubijciemus adhuc manifeſtior fiet: & integro libro, alio in loco, fauente Deo, totam rationem topicam in ſacris literis reperiri demõſtrabo. *Secunda concluſio:* Sacra Theologia eſt argumentatiua. *Hac* concluſione affirmare volumus contra hæreticos, eam doctrinam, quæ diuinas ſcripturas declarat, dogmata defendit, res fidei amplificat, & exponit, atque ex reuelatis nouas concluſiones deducit, poſſe, ac debere vti argumentatione: ita vt res diuinæ ſine vllo ſacrilegio, argumentando examinari poſſint. Hæc veritas, quæ eſt fide tenenda, his rationibus confirmatur. I. Ex ſuperiore concluſione; quoniam ſi ipſamet diuina ſcriptura ratiocinatione vtitur, cur etiam Theologia, quæ ex illa proficiſcitur, quę illi innititur, quę eſt illius participatio quædam, quæ illam explicat, ratiocinatione vti non poterit, aut non debebit, vt eam defendat, explanet, & amplificet? II. Exemplo Chriſti, qui, vſque a Luc.2. puero,



puero, de antiqua lege, & de ijs, quę ad myſteriorum notitiam pertinebant, ſępe cum Iudęis diſputauit: nec vnquam eos redarguit, quod de rebus diuinis diſſererent; ſed ſolum quod ſua prauitate eas male intelligerent, & male intelligendo corrumperẽt. Diſputauit cũ eis de Meſſiæ diuinitate, de mortuorum reſurrectione, de Mat.22. cenſus ſolutione: & vſus eſt rationibus & locis dialecticis; quod qui non videt, is prorſus ignarus litterarum eſt. Apoſtolus in omnibus ſuis epiſtolis, ex diuinis literis ducendo argumenta, diſputat; & ſpeciatim in ea quæ eſt ad Romanos, & in ea, quam ſcripſit ad Hebręos. Reperies in Paulo omnes argumẽtorum formas, omnes locos topicos, & ſchemata oratorum omnia. Sedul. Diſputauit in Areopago contra gentiles, ſæpiſſime in ſynagogis contra Hebræos. Chriſti apoſtoli, cum inter ipſos oriebantur dubitationes, Actor.7. magiſtrum conſulebant, & nunquam eos hac de re redarguiſſe legimus. Quid igitur id ſine ratione nunc damnatur, quod Chriſtus & Apoſtoli fecerunt, & faciendum pręceperunt? Scrutamini ſcripturas Chriſtus dixit Iudęis: & beatus Petrus vult nos eſſe paratos ad reddendam Ioan.5. rationem de ea, quę in nobis eſt fide, & ſpe. 1.Pet.3. Denique, ne ſine neceſſitate longior in hac re ſim, Chriſti Apoſtoli non ſine inquiſitione decreta quędam ad religionem ſpectantia, vt ex eorum Actis cognoſcitur, ſtatuerunt. III. Idem Cap.15. confirmatur auctoritate Conciliorum, quę nun-

 quam

quam de rebus ad fidem & mores pertinentibus, quicquam ſine diſcuſſione, & diſputatione decreuerunt, vt ex ipſis concilijs, & ex hiſtorijs eccleſiaſticis cognoſcere licet: ex quibus multa numerarem, ſi inſtituti noſtri ratio id pateretur. Legat, ſi quis velit præambulum Concilij Chalcedonenſis, vbi narratur de Theophilo presbytero, & Mena, qui fuerunt miſſi ad vocandum Euthychetem, qui ſtatim atque eos vidit, diſputare cœpit: ſed illi, non ad hoc venimus, reſponderunt. Verum ille procax cœpit dicere coram alijs, In qua ſcriptura iacent duæ naturæ? Deinde, quis ſanctorum expoſuit, Deum Verbum habere duas naturas? Ad hæc illi, Et tu oſtende nobis, vbi contineatur homouſion, id eſt, eiuſdẽ ſubſtantiæ: aut quæ ſcriptura hoc dicit? Reſpõdit Euthychetes, Non continetur in ſcripturis, in expoſitione vero patrum iacet. Ad hæc Menas, Eo modo quo homouſion in ſanctis ſcripturis non iacet, ſed a ſanctis patribus expoſitũ eſt, ita & de duabus naturis ſancti patres expoſuere. In eodem Concilio actione quarta, habetur Marcianum Imperatorem feciſſe edictum contra populares, & indoctos, ne de fide diſputarent. Ex quibus, contra hęreticos, hęc colliges: primum, licere diſputare de rebus diuinis, cum ipſimet ſint ſępe in cauſſa cur catholici ſacra myſteria diſputando tractent: qui, ſi hęretici tacerent, multa ſilentio pręterirent. Deinde, non licere cuique de plebe homini, vt ipſi volunt,



lunt, res diuinas tractare, & exponere. Poſtea non omnia haberi expreſſe in verbo diuino, id eſt, in diuinis ſcripturis, vt peruerſe miſeri hæretici arbitrantur. Denique, ſanctorum patrum auctoritates non eſſe ſpernendas, ſed ſequendas. Adde Concilium Florentinum de vnione Græcorum & Armenorum, vbi de modo, quo patres illi de rebus diuinis diſputare deberent, agitur. IV. Confirmatur Romanorum Pontificum auctoritate; qui paſſim in ſuis epiſtolis decretalibus, dum de rebus fidei Eccleſiã inſtruũt, diſputatione vtuntur. Et ſpeciatim Leo doctrina & ſanctitate Magnus, epiſtola xxxij. conſultus de rebus fidei, ait, ſe dubitationem quãdam ſibi propoſitam diligẽtius diſcuti, & pro vniuſcuiuſque ſenſu ſolicita voluiſſe ratione tractari. De conſ. d. 4. can. cũ itaq;. V. Accedat auctoritas omnium antiquorum patrum, qui exponendo ſcripturas, agẽdo cum aduerſarijs, dubitarunt, diſputarunt, quæſtiones propoſuerunt, ac ſoluerunt: vt Clemens Alexãdrinus, Origenes, Athanaſius, Cyrillus, Iuſtinus, Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius, Tertulianus, Cyprianus, & alij omnes, vt ex ipſorum monumentis apertiſſime conſtat. VI. Confirmatur præterea hæc concluſio ex natura ipſius diuinæ ſcripturæ, quã poſteriore epiſtola ad Timotheũ nobis expoſuit Apoſtolus. Omnis ſcriptura, (ſacra, ait Chryſoſtomus) diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendũ, eos nimirum, qui ſunt doctrinæ capaces; quod munus nemo recte exe-

 quetur,

quetur, niſi obſcura illuſtrare, implicita enodare, contradictiones tollere, & veritates cõfirmare poterit. Eſt vtilis præterea ad arguendum eos videlicet, qui hanc doctrinam damnant, vel aliqua falſa ſunt opinione imbuti; at ſine ratiocinatione, & argumentatione hoc munus nemo præſtabit vnquam. Accipiatur, vt rem hanc clarius explicemus, illud ſcripturę dictum, Ego & Pater vnum ſumus: Arrius ſuo modo hæc verba exponat, Sabellius ſuo: Quomodo iſtos Catholicus, veram huius loci ſententiam demonſtrando, ſine argumentatione redarguet? Et huius generis ſexcenta afferres exempla. Rurſus, vtilis eſt ad corripiendum: & cum nulla fere contingat correctio ſine corrigentis & correcti diſſenſione, & contradictione, dubitationeve; cum aliter ſentiat qui peccat, & aliter, qui corrigit, quo nam pacto hoc officio in Eccleſia Dei maxime neceſſario, fungetur is, cuius eſt corrigere, niſi poterit diſſerendo errantis opinionem refellere, & rationes diſſoluere? Sit corrigendus is, qui non vult petenti reconciliationem ſigna dimiſſi odij præbere, qui ad ſuã falſam perſuaſionem tuendam, & auctoritates, & rationes adducet, quas, ſi qui corrigit non valet diluere, ſuſceptam abijciat prouinciam. Denique, vtilis eſt ad erudiendum, ſimpliciores nimirum, in iuſtitia: at is male & ſine fructu erudit, qui nequit cum ratione, facilitate, & diſtinctione docere, & quæ docet confirmare. Patet igitur inutilem

Ioan.

Lege lib. de Pacif.

nobis



nobis eſſe doctrinam reuelatam, ſaltem vniuerſe loquendo, ni ea examinare & ratiocinatione tractare liceat: quod efficere munus eſt ſacræ Theologiæ; per quam fides gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur. Et quemadmodum, ait Clemens Alexandrinus, loquens de doctore catholico, erit adhuc trapezita, qui non poteſt probare & diſcernere probum numum a falſo, & adulterino? Nominum autem & rerum diſtinctio, in ipſis quoque ſcripturis lucem affert animis. VII. Scriptura diuinitus data eſt, nõ ſolum ad docendum mites, & eos qui dictis acquieſcunt, ſed etiam ad conuincendos rebelles & proteruos, vt idololatras, contra quos acriter Sapiens diſputat, & alios omnis generis peccatores, quos paſſim prophetæ grauiſsimis argumentis vrgent, & premunt: ergo idem ſcripturę exemplo edocti, eius doctores efficere debẽt. Quare rationibus, & argumentis eos armatos eſſe oportet, qui lectulum Salomonis ambire, & cuſtodire debent. IIX. Inter alias cauſſas, cur Deus voluit ſacras literas eſſe obſcuras, ea fuit, vt homo in earum intelligentia laboraret, & in eis meditaretur die ac nocte, & beatos eos vocari voluit qui eas elucidant: at res obſcuræ ſine diſtinctionibus, & diſputationibus elucidari nequeunt: non erit ergo alienum ab officio eius qui ſcripturas tractat, & exponit, ſi ratiocinationibus vtatur. Vt optime mihi ſenſiſſe videatur Petrus Damianus, qui ſcriptum reli-

Aug. li. 4. de Trin. c. 1.

Sap. c. 15.

Cant. 3.

Pſal. 1.

Eccli. 24.

Epiſt. 5.



quit,

quit, Ignorantiam Dialecticæ perturbare puritatem eccleſiaſticæ diſciplinæ. IX. Poſtremo, certiſſimum eſt gratiam nō deſtruere naturam, ſed eam perficere, & iuuare: at innatum eſt humanæ naturæ, vt ratione vtatur, & vt vna re conceſſa, ſiue cognita aliquid aliud inde ſua vi, educat, & vnum ex alio colligat; ergo qui volunt hominem in rerum diuinarum tractatione, vbi de eius æterna beatitudine agitur, ſenſu, ratione; priuare, ſine ratione id faciunt, & cum natura pugnant. Sed, ne abſque neceſſitate hanc doctrinam pluribus confirmemus, aliquot cauſſas, cur vir catholicus ſoleat de rebus diuinis diſſerere, & qua ratione eas probare debeat, ſequēti capite exponamus.

## *Cur res diuinas diſputatione tractare liceat. Cap. III.*

INFICIAS non imus, immo libenter fatemur res diuinas ſacro quodam ſilentio venerādas eſſe: verum illud etiam affirmamus, nonnullis de cauſſis eas diſcuſſione, & diſputatione tractare interdum oportere; quarum aliquot nunc breuiter recenſebimus. Primum, quoniam videtur eſſe contra hominis naturam, vt alicui rei ad credēdum propoſitæ, ſine vlla probabili perſuaſione temere aſſentiatur, præſertim ea in re, in qua de ſalute, ac felicitate agitur. Nam, vt ait Sapiens, qui cito credit, leuis eſt corde: & ideo Eccli.

Dominus



Dominus monebat Iudæos, vt ſcrutarentur ſcripturas, vt per eas viderent, ſe non inconſiderate ei fidem habere. Huc faciunt hæc, quæ libro primo Stromatum ſcripta reliquit Clemens. Itaque veri amator Plato, veluti a Deo incitatus dicit, Ego vero ſum huiuſmodi, vt nulli alij credām, quam rationi, quæ mihi conſideranti optima viſa fuerit. Quam Platonis auctoritatem ideo, hic ſanctus Pater attulit, vt oſtenderet ſtultum eſſe ſine aliqua probabili ratione, quicquam credere; vt ex ijs quæ poſtea ſubiecit verbis, ſatis aperte conſtat. Ex quo colligere profecto licet, vel ob hanc vnicam rationem Turcarum religionem, vel potius ſuperſtitionem, tanquam naturæ humanæ contrariam, reijciendam eſſe, quod ſine ratione eam ſuſcipi, ac retineri volunt. Vt ergo is, qui noſtram religionem ſuſcepturus eſt, non temere & incōſiderate credat, & ſuſceptæ fidei aliquam probabilem rationem reddere poſſit, licebit profecto rerum, quæ ſub fidem cadunt, aliquam rationem quærere. Deinde, ea de cauſſa vir Chriſtianus quæ credit diſputatione examinat, vt videat quid aduerſarij cōtra afferāt, aut afferre poſſint; vt quam ſemel ſuſcepit fidem perpetuo retineat, & vt ab ea, hoſtium fallaciæ eum diuellere nunquam poſſint. Quis ergo erit adeo rationis expers, vt velit Chriſtianum hominem ita ſtultum & ſtupidum eſſe, vt religionem pro qua retinenda ſanguinē debet profundere, ratione ei tueri non liceat?

Ioan. 5.

Cicero.

Omnes

Omnes ſcientiæ, omnes artes, diſciplinæ deniq; omnes, ſuos habebunt defenſores, & ſola religio Christiana, quæ ſola vera eſt, ſine patrocinio deſerta, & destituta iacebit? Aggrediantur lupi rapaces ouile Chriſti, canes vero, taceant, & fortes qui Salomonis lectulum cuſtodiunt abijciant arma: non ſint qui vulpeculas vineam deuaſtãtes inſequantur, & capiant. Sancta quippe ruſticitas, ait Hieronymus, ſolum ſibi prodeſt: & quantum ædificat vitæ merito Eccleſiam Chriſti; tantum noceat, ſi deſtruentibus non reſiſtat. Sit igitur, vt Paulus docet, Chriſtianus doctor potens ad arguendum eos, qui contradicunt. Poſtea, ipſimet hæretici, & improbi homines ſunt in cauſſa cur vir catholicus diuina myſteria, quę alias ſacro quodam ſilentio veneraretur, tractet, & examinet. Si Arrius, ſi Sabellius, ſi Dioſcorus, ſi Pelagius, ſi alij ſacrorum myſteriorum violatores tacuiſſent, non tam multa de ſacratiſſimo myſterio Trinitatis, Incarnationis, & prædeſtinationis, Athanaſius, Cyrillus, Auguſtinus, Hilarius, & alij patres diſputaſſent. Hoc eleganter aliquando docuit Cyrillus, Alexandrinus, qui verba faciens, de eo, quod hæretici petebant, An Pater volens genuerit, hęc literis conſignauit. Non ignoro, hęc non inueſtigari abſque periculo, ſed coacti hoc facimus: cum ergo non ſit creatura, non voluntate eſt genitus. Poſtrema cauſſa, ceteris omiſſis, hęc eſt, vt bonus ac prudens Theologus ſcripturam exponat,

Iſa. 56. Cant. 3.

Procœm. in Gen.

Tit. 1.

In li. Theſaur.



ponat, obſcura elucidet, fidem amplificet, vera a falſis ſecernat, veritates confirmet, errores refellat, apparentes in ea contrarietates tollat. Chriſtianę religionis dogma, ait Vincentius Lirenenſis annis conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ętate, incorruptum tamen, illibatũq; permaneat. Debemus ergo ſegetem ab apoſtolis ſatam augere, mundare, irrigare, vt dogmatum frugem demetamus: zizaniam vero nequaquam interſerere: nec nouitia veteribus, extranea domeſticis & profana ſacris, admiſcenda ſunt. Ex quibus illuſtribus viri docti verbis duo docemur, alterum, vt debeamus fidei dogmata elucidare, & amplificare: alterum, qua ratione id pręſtandum ſit: de qua re, hac altera huius capitis parte, aliquid breuiter dicemus. Cum ergo omnes argumentationes, quibus vti ſolet Theologus, ad duo reuocentur genera, ad auctoritatem, & ad rationem, videat pro rerum, locorum, temporum, ac perſonarũ quibuſcum agit, varietate, vtro genere ſibi magis vtendum ſit. Nam, ſi aget cum hæretico, potius auctoritatibus, quam ratione vrgeat: ſi cum infidelibus, potius ratione. Hanc regulam Apoſtolum ſeruaſſe facile eſt animaduertere: ipſe enim agens cum Hebræis ſcripturarum auctoritate potiſſimum pugnauit: at vero quando cum Græcis agebat, rationes potiſſime afferebat: quia ſciebat eos ſapientiam, humanam ſcilicet perſuaſionem, quęrere. Idem fecit Angelicus doctor ijs in

Lib. cont. hæreſ.

Epiſt. ad Hebr.

in libris, quos aduerſus gentes ſcripſit. Deinde, illud perpetuo memoria teneat, quod hoc articulo ſapienter beatus Thomas docuit, ſuum præcipuum argumentandi locum, eſſe eum, qui ex auctoritate ſumitur, & maximæ ſcripturæ, atque apoſtolicæ traditionis, aut alicuius decreti ſummi Pontificis, & vniuerſalis Concilij ab eodem Pontifice approbati. Sciat ſua principia eſſe diuinas ſcripturas, & decreta diuinitus ſancita: & ſe non poſſe efficacius argumentari, quā ſi ex ſuis principijs arguměta deſumpſerit: quibus ni fuerit inſtructus, videat quam parū congruenter hoc grauiſſimum Theologi nomen vſurpabit. Qua in re a multis grauiter peccatur, qui potius rationibus quam auctoritatibus ſibi Theologandum putant, & ſe tunc perfectos in hac facultate magiſtros eſſe perſuaſum habent, cum ſubtilioribus rationibus fuerint inſtructi: quo fit, vt minus ab aduerſarijs timeantur, ac probentur; immo, vt ij qui ſuæ artis principia ignorant, iure optimo non probentur. Pugnarunt ſancti Patres cum aduerſarijs, ſed ſcripturæ auctoritate potiſſimum, vt ex ipſorum monumentis aperte cognoſcere licet. Hæc iuniores monuiſſe volui, quod experientia ſæpe didicerim quibuſdam Theologis multum diſplicere, ſi cum eis auctoritate, & nō rationibus agas: putantes eos lentius, ac frigidius arguere, qui rationibus non vrgent, ſed id ſine ratione ſibi perſuadent. Diſcamus igitur a beato Paulo diſputandi rationem, qui ſuas epiſtolas ſcripturæ auctoritatibus corroborabat, & aduerſarios neruoſe vrgebat. Et cum aliquando ad probandum fœminas debere in Eccleſia capite velato orare, rationem ſatis bonam attuliſſet; vt adhuc efficacius premeret, diſputationem, argumento ab auctoritate traditionis ſumpto, concluſit. Is igitur qui erit varia doctrina eruditus, perſonas, quas docet, & tempora obſeruet, quod optimi ſcriptores faciendum ſæpe monuerunt: ne multa ac varia eruditio, quæ ſibi & alijs prodeſſe debet, ſibi & alijs obſit, & is garulus habeatur, qui ſapiens haberi debet; ac proinde merito ab aduerſarijs irrideatur. Et vt huic capiti finem faciamus, hæc breuiter nouum Theologum monemus: primum, vt firmiter & conſtantiſſime credat: ratione, tanquam miniſtra, vtatur; cui fides limites præſcribat. Abſit deinde ab eo præſumptio, quę, vt ſcripſit Hieronymus, eſt doctor peſſimus: ita vt nunquam putet ſe poſſe omnia intelligere, & ſua ratione metiri: exiſtimet ſe vna cum Paulo ex parte ſcire, & ex parte ignorare. Poſtea, non ſingillatim omnia, etiam minima, & minuta perquirat: inutiles, & curioſas quæſtiones, non attingat, quod eum Paulus monet. Denique omnia cum reuerentia, timore, & humilitate inueſtiget: & quæ dicturus eſt, ex diuinis literis, & ex ſanctorum patrum, & probatorum ſcriptorum monumentis colligat.

Lege Bona. Opuſ. Lumi. Eccleſię ſer. 19.

1. Cor. 11.

Pallad. Clem. Alex. Anaxar. lib. de regno. Heſiod.

Iren. 1. Cor. 13.

1. Tim. 5.

### *Refelluntur rationes, quibus probatur de rebus diuinis non licere diſputare.* Cap. IIII.

Lege lib. Fõs vitæ. cap.28.& 29.

QVONIAM aduerſarij nullas apparentes rationes ad ſuam opinionem confirmandã, & ad ſimpliciores homines decipiendos, partim afferunt, & partim afferre poſſent: propterea eas nunc afferemus, ac diluemus, vt quę dicta ſunt explicentur, ac corroborentur magis: hęreticus itaque nos his rationibus vrgeret.

Eccl. 3.
Prou. 24.

I. Diuina oracula nos monent, vt altiora nobis non quęramus: comminanturq; fore, vt qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimatur a gloria: quid igitur de ęterna Dei prędeſtinatione, de altiſſimo Trinitatis myſterio, de profundiſſimo Incarnationis arcano, & alijs rebus multo altioribus, quam ab imbecillitate humana percipi poſſint, diſputare audemus? cum hęc diuina myſteria ſint etiam angelicis mentibus altiora:

Pſal.23.

ac proinde quodam pſalmo, cum ea ignorent, interrogantes introducuntur: Quis eſt iſte rex glorię? Temerarium igitur eſſe videtur res altiſſimas, quę vim ſuperant humanam humanis rationibus velle perquirere.

Supra li. 1.c.13.

Qua ratione illa ſapientis ſententia intelligendę ſit, docte expoſuit diuus Thomas articulo primo. Sunt quidem myſteria diuina ſupra rationem humanã, qua inquirenda non ſunt: ſed, cum Deus multa ſupra ſenſum noſtrum nobis reuelauerit, atque ſuo

ſuo



ſuo lumine mentem noſtram illuſtrauerit, poſſumus, maiore lumine corroborati atque illuſtrati, aliqua ratione arcana diuina exponere, ac ſcrutari: & tunc, nullum eſt periculum, vt quis opprimatur a gloria. Quod autem obijcitur de Angelis, fatemur Angelos non omnia, & nõ omni ex parte, nec æqualiter myſteria diuina cognoſcere, ac propterea ex alijs, quod ignorãt, poſſe quærere: &, vt Paulus ſcriptum reliquit, aliqua etiam ab Eccleſia acceperunt. II. In diuinis literis ij vocantur beati, qui non vident, Ioan.20.
qui ſimpliciter credunt, qui captiuant intellectum in obſequium fidei: 2.Cor.10.
quid igitur credenda examinamus, & eorum rationes inquirimus? ni tamen volumus minus beati eſſe. Adde etiam, quod qui probationes quærunt, qui credenda examinare volunt, videntur facere contra conſuetudinem diuinæ ſcripturæ, quæ nos ſimplici narratione, ſine argumentorum ſtrepitu docet: vt patet ex ipſo ſcripturæ initio. In Gen. 1.
principio Deus creauit cœlum & terram, &c. vbi, & ſi difficillima credenda proponantur; tamen id fit omni remota probatione per ſimplicem narrationem: eandemq; docendi rationem in omnibus libris obſeruare licet. Primum, vt in ſcriptura beati vocantur qui non viderunt, & Eccli. 24.
crediderunt; ita etiam, qui ea quæ credunt elucidant, & ſcrutantur, beati dicuntur. Deinde, iam ſupra docuimus, qua nam ratione vir Chri- Capite 1.
ſtianus diuina myſteria ſcrutetur, & eorum quæ

credit

credit rationes perquirat: non vt ſcrutando, & probando credat; ſed vt quæ prius credidit, exponat, defendat, & amplificet: credit itaque primum, vir fidelis & prudens, & poſtea loquitur. Quare, tantum abeſt, vt meritum amittat, vt etiam maxime augeat, dum myſteriorum perſpecta magnitudine, ſublimitate, & difficultate, in fide perſiſtit; & non quia ipſe loquitur, credit, ſed quia credit loquitur. Quare, maiorem habet occaſionem merẽdi is, qui diuina tractat, quam qui ſimpliciter fidei elemẽta tenet. Quod autem obijcitur de conſuetudine ſcripturæ, nihil vrget; quoniam, vt ſupra eſt dictum, alijs in
Cap. 2.
locis argumẽtatione & diſputatione vtitur. Nec opus fuit vt Moyſes mundi creationem deſcribens, rationes vllas ad id perſuadendum, quod docebat afferret, cum ſcriberet populo, qui multis iam argumentis & miraculis nouerat, ea quæ magnus ille legiſlator ſcribebat, eum diuinitus accepiſſe. Adde etiam, quod totam fere illam hiſtoriam per traditionem a ſuis maioribus gẽs illa acceperat. III. Poſſet deinde aduerſarius quorundam patrum ſententijs ſuum defendere
L. de Tri.
errorẽ. Manifeſto iudicio, ait Iuſtinus martyr, ſe prodit incredulitas, quando de Deo quærit, hac voce, Quomodo: vtique reſpondebis, Manifeſta potentia ſua. Idem, fatemur, ait, nos ignorare manifeſtam veritatis ſcientiam, quoniam in hac confeſſione ſita eſt magna pars victoriæ. Hoc debet profiteri fides, ait Hilarius, ſe nihil compre-



comprehendere: quod ſane non profitentur, qui humanis rationibus, & ſua intelligendi vi diuina metiri volunt. Huc pertinet, quod Dionyſius Areopagita ſcriptum reliquit, Altas res ſilẽtio, & admiratione debere inquiri. Adde Gregorium Nazianzenum, qui cõtra Iulianum ſcribens, dixit, noſtram religionem eſſe veluti diſciplinam Pythagoricam, in qua ſatis erat dicere; Ipſe dixit. Quod ad grauiſſimum Iuſtini teſtimonium attinet, ſi Theologo de rebus diuinis diſſerere non licet, cur ipſe diſputauit cum Triphone? cur quęſtiones ad gentiles, & orthodoxos ſcripſit? cur apologeticum in lucem dedit, & Chriſtianorũ cauſſam apud Senatum, & Antoninum grauiſſime diſſerẽdo egit? Sed planius ex eiuſdem auctoris verbis allatam auctoritatẽ interpretemur. Agens itaque cum Triphone, hæc, quæ ad rem noſtram verba faciunt, literis conſignauit: Si id humanis argumentis tentarem euincere, ferre me non deberetis: quod ſi ſcripturas id prædicantes afferam, non eſt cur id facere non liceat. En igitur, vt vir ſanctus, & doctus vult veritatem diſputando euincere: & quidem potius ſcripturæ auctoritate, quia cum homine Hebræo ſermonem habebat. Quod autem ait, infidelitatem ſe prodere, cum de rebus diuinis quærit, Quomodo, id contra eos dicit, qui nolũt credere aliquod myſterium, niſi prius eius modũ intellexerint: at vir catholicus, prius credit, & deinde, quantum poteſt, & ei licet, mo

De cæl. hier.

Ee dum

dum exponit, vt aduerſarijs reſiſtat, aut rem obſcuram aliqua ratione declaret: & vna cum Hilario profitetur, ſe non poſſe myſteria capere: nec ideo ea examinat, vt tandem per humanam ſapientiam ea percipiat, vt ſupra pręmonuimus. Quæ etiam ſilentio veneratur, dum ea ſe percipere non poſſe fatetur; ac etiam, dum ea potiſſimum credit, quod a Deo reuelata fuiſſe exiſtimat, propter auctoritatem nimirũ dicentis Dei. Et vt vniuerſe reſpondeamus, ſi ſancti patres interdũ rationes damnant, intelligendi ſunt, cum, ita afferuntur, vt per eas credamus; aut cum rationes friuolæ & curioſæ ad res grauiſſimas explicandas adhibentur. IV. Dixit Ariſtoteles

L.1.Elen. c.2. & ſapienter dixit, cuius dictum ſapientes approbant omnes, diſcentem oportere credere; quod

Heb.11. dictum intelligunt omnes de doctrina principiorum, quæ diſcere volenti credenda ſunt: atqui res fidei locum tenent principiorum, igitur ſimpliciter ſine vllo examine credendæ erunt. Adde, quod dum probantur, eorum auctoritas minui videtur, cum non videantur eſſe omnino veræ, aut ita certæ, vt re vera ſunt: non ſecus ac ſi quis, alias pro veraci habitus, adhiberet iuramentum, ad id quod dicit confirmandum: & eũ hominem venerari, magniq; facere videmur, cuius dicto ſimpliciter acquieſcimus, & fidem habemus. Quod Ariſtoteles de humanis ſcientijs agens dixit, dixerunt etiam diuina oracula,

Iſa.7. Si non credideritis, nõ intelligetis: oportet itaq; primum



primum hominem credere, & vbi crediderit, poterit, diuino illuſtratus lumine, aliaqua ex parte quæ credit intelligere. Et quamuis, quæ ſunt in diuinis literis ſint veluti quædam principia: tamen, iſta poſſunt declarari, exponi, & contra aduerſarios defendi: quod dum fit, non minuitur diuini ſcriptoris auctoritas, quia quæ afferuntur non adhibentur tanquã rationes credendi, ſed ob eas cauſſas quas ſuperius attulimus. Cap.3.

Immo ſcripturæ auctoritas augetur, cum ea, quę carnalibus hominibus videntur temere & ſine ratione dicta, non carere ratione, aut nihil ſaltẽ impoſſibile continere oſtenditur. Adde, quod rationes potiſſimum adducuntur propter proteruos; & ita non propter ipſam veritatem, ſed ob hominum prauitatem oportune afferuntur. Deus verax eſt, & nulla ratione poteſt mentiri; Rom.3.

& tamen noſtra cauſſa id, quod dicit, iuramento confirmat. V. Omnia argumenta, ſumun- Deut.3.

tur vel ex auctoritate, vel ex ratione: ratio cum fide pugnat, quia fides ſoli auctoritati innititur, & per hoc fides a ſcientia & opinione differt: auctoritas autem, ſi ſit diuina, non valet ad confirmandas res diuinas, cum omnia quæ in diuina lege continentur, ſint eiuſdem rationis & auctoritatis: ſi ſit humana, certiſsimum eſt eam non conferre ad confirmanda dogmata diuina: cum id, per quod aliquid confirmatur, maioris debeat eſſe momenti, quam id, quod confirmatur: nullus igitur in ſchola chriſtiana diſputa-

 tioni

tioni conceditur locus. Facile hic cauillus truditur: nam, quod ad rationes attinet, iam diximus, cur, & quo modo afferantur, non vt fidem gignant, ſed vt eam iuuent, & tueãtur: ad quod etiam humana auctoritas confert. Auctoritate autem diuina vtimur ad eandem cõfirmandam alio in loco, vbi negatur, aut non intelligitur: vt ad probandum, quod ſola fides non iuſtificet; vtimur eo loco, vbi dicitur, fidem ſine operibus mortuam eſſe: & ad probandum Chriſtum, vt Deus eſt, non eſſe minorem Patre, vtimur eo loco, vbi dicitur, Ego & Pater vnum ſumus.

VI. Poſtremo poſſet aduerſarius hoc modo nos vrgere: apud philoſophos & dialecticos vitioſum eſt argumentari ab ignoto ad ignotum, vel ex æque noto, ad æque notum: ſed in ſcriptura omnia ſunt æqualiter certa, ſiue nota: igitur non poterimus vlla ratiocinatione in tractandis diuinis literis vti. Licet quæ ſunt in ſacra pagina eandem, ex ſe, certitudinem habeãt: tamen, ratione noſtri, qui non eadem facilitate omnia percipimus, aliquid poteſt eſſe magis & minus notum, vel ignotum: & ita vnum poteſt aſſumi ad probandum aliud. Vt ecce, dubitabant aliqui de mortuorum reſurrectione, quã Paulus probauit ex eo, quod Chriſtus reſurrexit: & Chriſtus ex eo, quod Deus, eſt Deus viuorum & non mortuorum. Atque de his rationibus ſatis: cum ſi quæ aliæ afferri poſſunt, partim ex dictis, partim ex his quæ deinceps dicemus,

Mar. 12. 1. Cor. 15



mus, dilui facile poſsint. Ad aliud igitur caput explicandum tranſitum faciamus.

*In rebus diuinis explicandis licere humanis rationibus, & ſcientijs vti.* *Cap. V.*

QVONIAM vero ob rationes allatas facile aduerſarius concederet, licere diuinam ſcripturam per ipſammet ſcripturam ratiocinando exponere, ac per eandem noſtræ religionis dogmata & myſteria confirmare; pernegaret tamen fas eſſe Chriſtianam doctrinã more philoſophico, ac dialectico tractare, omnia in dubium reuocando, ac rationibus humanis & externis eam potiſſimum probando, vt ſcholaſtici ab hinc multos annos faciunt; ideo alia oritur difficultas, an ſcholaſtica diſputandi ratio, probanda ſit: & cum Scholaſtici humanis ſcientijs ad explicandam doctrinam Chriſtianã frequentiſſime vti ſoleant, poteſt etiam dubitari, an id noſtræ diſciplinæ conſentaneũ ſit. Quærimus ergo, an ad explicanda noſtræ religionis dogmata liceat humanis vti diſciplinis, & hãc ob cauſſam illis operam dare: & an dialectica methodo tractari poſſint, vt ſcholaſtici faciunt: cuius quæſtionis priorem partem priore loco explicabimus. Fuit olim hæc quæſtio agitata a ſanctis patribus, ac ſpeciatim a Clemente Alexandrino primo libro Stromatum, qui locus eſt omnino legendus, atque etiam ab alijs, quos ſuis locis ci-

Lege Augu. lib. cõtra Creſc. Gram. c. 13. & ſeq.

Lege D. Bonauẽ. opuſc. de reduct. artium ad Theol.

 tabi-

tabimus: ad cuius explicationem has ſtatuimus concluſiones. Prima concluſio: licet Chriſtianæ doctrinæ profeſſori, ad exponẽda diuina oracula, & ſacra myſteria tractanda vti humanis ſcientijs, & rationibus; atq; eas ad methodum, ordinemq; redigere: & contrarium aſſerere, eſt omnino temerarium, ac ſtultum; quod ex ijs, quas afferam rationibus, facile comprobatur. I. Auctoritate ſcripturæ: in libro Iobi longa habetur diſputatio de prouidentia diuina more philoſophico, & dialectico tractata, & rationibus humanis, & naturalibus potiſſimum hinc inde agitata: quod qui non videt, is ſane cœcus eſt. In libro qui inſcribitur, Sapientia, pulcherrima habetur diſputatio ex rationibus naturalibus aduerſus idololatras, conflata. Paulus diſputauit more dialectico, & rationibus naturalibus in Areopago: in ſuis epiſtolis paſſim rationes adhibet humanas, & a rebus naturalibus ſumptis. Idem, Epimenidis Cretenſis ſententiam citauit: alio loco, ex Phęnomenis Arati poetæ ad id, de quo diſputabat confirmandum, verba deſumpſit. Vide, inquit Clemens Alexandrinus, quomodo in Græcorum prophetis, id eſt, poetis, dat aliquid veritatis. Nec erubeſcit ad ædificationem, & ad aliquorum, quam gerit curam, diſſerens, vti græcis poematibus. Immo, ait Clemẽs, ſcriptura ad has diſciplinas perdiſcendas hortatur; vbi vult nos omnia probare, & quod eſt bonum tenere. Quare, ſi diuina ſcriptura vtitur humana

Cap. 14. Rom. 2. 1. Cor. 11 Tit. 1. Act. 14.

Lib. 1. Strom.





humana ratione & auctoritate, eadem etiam ſcripturæ expoſitores vti profecto poterunt. II. Probatur deinde eadem concluſio quorundam Pontificum auctoritate. Quando enim quis, ait Clemens Romanus, ex diuinis ſcripturis integram, & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi ex eruditione, ac liberalibus ſtudijs, quæ forte in pueritia attigerit, ad aſſertionem veri dogmatis conferat: ita tamen, vt vbi vera didicerit, falſa & ſimulata declinet. Gelaſius epiſtola ad Siculos approbat eorum conſuetudinem, qui etiam profana legunt, idq; Apoſtoli teſtimonio confirmat: aitq; huiuſmodi exempla, ex humana ſcilicet ſcientia ſumpta, nos docere, & teſtimonia diuina confirmare. Legat, ſi quis vult aliquot canones, apud Gratianum diſtinctione vigeſima ſeptima huc pertinentes. III. Accedat Conciliorum auctoritas, quorum alia præcipiunt, vt humanis ſcientijs viri Eccleſiaſtici operam nauent, vt Conciliũ Lateranenſe ſub Innocentio III. Baſilieſe, & Tridentinũ: alia vero diſputandi rationẽ approbant. Concilium Aquilieñ. tempore Damaſi Papæ celebratum, in epiſtola ad epiſcopos Italiæ, hæc verba ad rem noſtram pertinentia, ſcripſit. Nam licet euidentia eſſent pręſcripta maiorum, a quibus impium eſt, & ſacrilegum deuiare: tamen diſceptandi obtulimus facultatem. Concilium Florentinum, ſiue Ferrarienſe ſeſſione ſecunda, ita hac de re ſtatuit. Poſt multa

Epiſt. 5.

Tomo 1. Concil.

De Magiſtris cap. Quia. Super. Seſſ. 22. c. 2. de refor. Clemen. de Magiſtris.

ta vero placuit eis, vt Græci prius exordirentur, & argumentis breuibus, vt aſſolent Dialectici, vterentur. IV. Eandem veritatem communis ſanctorum patrum confirmat opinio: Clemens Alexandrinus, antiquiſſimus auctor, ut ſupra ſcripſi, ex profeſſo hac de re diſſeruit, & opinionem contrariam libro primo Stromatũ confutauit: ubi inter alia hæc ſcripſit. Oportet autem arguendi, & refellendi genus proſequi, ut ſophiſtarum fallaces repellantur opiniones. Origenes eius diſcipulus, contra Celſum diſputat, & arguit more ſcholaſtico: qui omnium humanarum diſciplinarum cognitionem habuit, eaq; in tractandis rebus diuinis uſus eſt. Et ut facilius gentes ad fidem traduceret, humanas literas publice docebat. De quo illud ſpeciatim ſcripſit Euſebius, totum Magiſtrum ſuum Ammonium, qui uir Chriſtianus, & philoſophus inſignis fuit, & de Moyſis & Chriſti conſonantia ſcripſit, in ſe transfudiſſe. Didimus diui Hieronymi præceptor, omni liberali doctrina fuit ornatus, & in doctrina Platonis, & Ariſtotelis eruditus: non quod iſtorum doctrina ueritatem erudiret; ſed quod aduerſus mendacium arma ueritatis exiſteret. Auguſtinus uarios quæſtionum libros, more quaſi ſcholaſtico, edidit: & in libris de doctrina Chriſtiana, quam ſint neceſſariæ humanæ ſcientiæ & artes ad explicandas diuinas ſcripturas, ſacraq; myſteria, pluribus expoſuit. Vnde aliquando de uſu humanarum

Lege Origen. hom. 14. in Geneſ.

De præpar. li. 11. Li. 6. hiſt. Eccl. c. 16.

Tripar. lib. 6. c. 8.



rum ſcientiarum, quibus antiqui patres operam dederant loquens, hæc literis cõmiſit. Nonne aſpicimus quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor ſuauiſſimus, & martyr beatiſſimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? Diuus Baſilius orationem confecit, qua docuit, quo modo profani ſcriptores ſint legendi, & qui fructus ab eis hauriendus ſit: de quo eius ſocius Gregorius Nazianzenus hæc verba huc pertinentia ſcripta reliquit. In artibus porro, ac diſciplinis ſecundariam dumtaxat curã operamq; ponebat Baſilius: hũc nimirum fructum ex ijs colligens, vt earum adiumento ad noſtrã philoſophiam vteretur: quandoquidem earum facultas ad explicanda animi ſenſa comparanda eſt. Pacianus epiſtola ſecunda contra Simpronianum, qui eum arguerat, quod his Virgilij verbis, Et quos fama recondit obſcura, vſus eſſet, ſe Pauli auctoritate, qui idem fecit tuetur; atque ita ſcribit: Dic, oro frater, muſæ literas repererunt? nonne per Dominum omnia, & a Deo omnia? Eandem veritatem confirmat Luculenta Cyrilli, ſiue Origenis auctoritas libro quincto in Leuiticum; vbi inter alia hæc habẽtur, Sermo vero lucidus, & eloquentiæ ſplendor, ac diſputandi ratio, ad miniſterium Dei decenter iubetur admitti: & quod in rebus diuinis explicandis humanis liceat vti ſcientijs, ex Pauli

Lib. 2. de doct. chri.

Lege Hie. epiſto. ad Magnum oratorẽ.

Orat. in laudẽ Baſilij.

Inſtit. diuin. literarum in procem. Pauli auctoritate confirmat. Caſſiodorus quoque, & externam eruditionem ipſe probat, & Patrum de illa ſententiam refert, dicens, Veruntamen nec illud Parres ſanctiſsimi decreuere, vt ſecularium litterarum ſtudia reſpuantur, quia non exinde minimum ad ſacras ſcripturas intelligendas ſenſus noſter inſtruitur, ſi tamẽ diuina gratia ſuffragãte, notitia ipſarum rerum ſobrie, ac rationabiliter inquiratur: non vt in ipſis habeamus ſpiritus prouectus noſtros, ſed per ipſa trãſeuntes deſideramus nobis a Patre luminum proficuam ſalutaremque ſapientiam debere cõcedi. Beda denique in eandem ſententiam ſcribit: Turbat acumen legẽtium, & deficere cogit, qui eos a legẽdis ſecularibus libris omnibus modis exiſtimat prohibendos: in quibus ſi qua inuenta ſunt vtilia, quaſi ſua ſumere licet: alioquin Moyſes, & Daniel ſapientia, & literis Ægyptiorum Chaldeorumq; non paterentur erudiri, quorum tamen ſuperſtitiones ſimul, & delitias horrebant, nec etiam ipſe Magiſter gẽtium aliquot verſus Poetarum ſuis vel ſcripturis, vel dictis indidiſſet: cur ergo legi prohibentur, quę tam rationabiliter legenda probantur? Patrum auctoritatibus adijceres omnium Scholaſticorũ communem ſententiam: quos nunc Eccleſia doctores habet: ex quibus multi & doctrina, & vitæ ſanctitate floruerunt: quorum docendi rationem Eccleſia iam diu approbat, & doctrinã ſequitur. V. Accedat quincto loco hiſtoriogra-

In lib. Regum.



graphorum eccleſiaſticorum teſtimonium. Diuus Marcus, vt Euſebius ſcribit, Alexandriæ Academiam inſtituit, in qua non ſolum diuinis, ſed etiam humanis literis illi primi Eccleſię doctores operam dabant. Ex qua viri doctiſsimi, maxima Eccleſiæ propugnacula vt Pãtenus, Heraclas, Clemens, Origenes, Anatolius, Dydimus, & alij permulti prodierunt. Tripartita hiſtoria in Concilio Nicæno diſputationes cum philoſophis habitas fuiſſe refert, quæ profecto abſque humanis rationibus, & ſcientijs haberi non potuerunt. Legat, qui vult longum hac de re ſermonem, apud Nicephorum libro ſexto ſuæ hiſtoriæ, vbi aliquorum patrum mentionem facit, qui ſacras & profanas literas didicerunt: qui contra aduerſarios rationibus pugnarũt, vt Gregorius Neocæſarienſis, Dionyſius Alexãdrinus, Miletus, & Achillæ literarum ſacrarium præfecto, philoſophiæ ſtudiũ ad ſuum munus obeundum profuiſſe ſcribit. Qui locus eſt illuſtris & legendus, ex quo quæ ſit diſputãdi ratio cognoſci poteſt. VI. Ex communi omnium ſapientium conſenſione, qui nihil abſque vlla ratione aſſerendum, aut docendum eſſe cenſuerunt: & cum non ex quauis re, quoduis inferre liceat, profecto expedit diſcere argumẽtandi regulas: & cum methodus ad docendum maxime conferat, vtile ſane erit, quæ ad philoſophiam Chriſtianam pertinent, ad methodum & ordinem redigere, & cum dubitandi ratio multum ad verita-

L. 2. c. 17. Hier. lib. de eccleſ. ſcrip. L. 10. c. 25

Cap. 17.

Albertus Pius. l. 10 cõtra Era.

Galen.

veritatem melius inueſtigandam, ac inueniendam conferat, licebit etiam dubitatione, & diſputatione vti. Ideo Ariſtoteles, quem omnis admirata eſt, & admirabitur ætas, illos aptos eſſe dixit ad conijciendam veritatem, qui poſſunt in vtranq; partem diſſerendo inquirere: & libro tertio ſuæ ſapientiæ, ſub initium, hæc verba huc maxime pertinentia ſcripta reliquit: eſt autem operæpretium aliquid facultatis habere volentibus, bene dubitare: nam poſterior facultas, ſolutio eorum eſt, quæ ante dubitata fuerunt. Et quoniam nolumus in re manifeſta pluribus auctoritatibus aduerſarios vrgere, nunc aliquot breues ſubijciemus rationes. I. Omnia fere, quæ ethnici ſcriptores bene dixerunt, a noſtris ſcriptoribus ſumpſere, ac propterea ab eis, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus, repetenda ſunt:
August. & cum multa corruperint, oportet ea diſputando ab erroribus expurgare. Hoc qui faciunt mandato diuino Ægyptum ſpoliant, & quod
Apol. ad ſen. ſuum eſt, repoſcunt. Quidquid recte apud omnes dicitur, ait Iuſtinus, noſtrũ eſt Chriſtia-
Apol. ad Anton. norum. Idem, Moyſes, inquit, antiquior eſt omnibus Græcis ſcriptoribus, & quidquid de immortalitate animorum, de pœnis inferorum, & de rebus cœleſtibus poetæ dixerunt, a prophetis occaſionem acceperunt. Ideo Clemens Ale-
Ioan. 10. xandrinus illud Chriſti, Omnes quotquot ve-
Lib. 1. Strom. nerunt, fures ſunt & latrones, explicat de Philoſophis, qui multa ex ſacris literis furto acceperunt.



runt. Poſſem latius demonſtrare qua ratione Ethnici philoſophi omnia a diuinis libris, vel ab Hebræis acceperint, ſed in hac re diutius immorari nolo. Lege Cyrillum contra Iulianum apoſtatam, Euſebium de præparatione Euangelica, & Theodoreti libros de curandis græcanicis affectionibus. II. Aut licet hominem philoſophum traducere ad fidem, aut non: hoc poſtremum nemo, niſi ſtultus, affirmaret: ſi primum concedas, quonam modo chriſtianus doctor eũ, ab eius falſis opinionibus reuocabit, niſi humanis fuerit inſtructus diſciplinis? niſi rationem diſſerendi tenuerit? Oriatur diſſenſio de animorum immortalitate, de diuina prouidentia, deque vltima hominis beatitudine, quid hic aget philoſophiæ diuinæ, naturalis, & moralis ignarus? Quid fiet? num philoſophus rationibus aſſuetus, & falſis opinionibus imbutus ſimplici verbo credet? an veritatis aſſertor debebit obmuteſcere? Huc facit inſignis Clemen- Lib. 6.
tis Alexãdrini in ſexto Stromatum libro, locus, Strom.
vbi philoſophum comparat oliuaſtro, cui inſerenda eſt fides, per ſectionem. Sic, inquit, philoſophi ingeruntur eorum ſectis dogmatibus, ſic Iudæi eorum aperta cortice ſcripturæ. Propterea Iulianus apoſtata vir ſagaciſſimus, vt Eccleſiaſticæ referunt hiſtoriæ, Chriſtianis græcarum literarum ſtudia interdixit, quod animaduerteret, his ſtudijs eos, fidei aduerſarios debellare, atque ad fidem traducere. III. Peterem ab

ab hæretico, qua nam ratione humanarum ſcientiarum rudis Chriſtianus, quæ de diuinis attributis, de mundi creatione, & procuratione, de cœlorum, ſiderum, elementorum, animalium, herbarum, plantarumq; natura, ac de hominum moribus in ſcriptura dicuntur, ſine humanis diſciplinis poterit exponere, aut intelligere? Hæc, quam ſit neceſſarium cognoſcere is intelliget, qui patrum commentaria in prima capita Geneſeos leget, vt interim alia mittamus loca, & quæ ſpeciatim Chryſoſtomus, Baſilius, & Ambroſius in Geneſim ſcripſerunt. IV. Initium, ſiue via ac diſpoſitio ad recipiendam fidem, iuxta prouidentiam ordinariam Dei, eſt aliqua perſuaſio, & ratio humana: cum nemo ſimplici Euangelizantis verbo credere ſit obligatus; quod eſt tam certum, quam quod certiſsimum: ergo neceſſe eſt, vt diuini verbi doctor ſit humanis rationibus ac ſcientijs inſtructus, vt eos, quos docet ad fidei ſuſceptionem humano modo traducat. Huc pertinet illuſtris Clementis Alexandrini locus vbi dixit, philoſophiam fuiſſe pedagogum Græcorum, id eſt, gentium ad Chriſtum, ſicuti lex fuit pedagogus Iudæorum. Idem ſcriptũ reliquit, liberales Græcorum diſciplinas, vna cum philoſophia diuinitus veniſſe ad homines: eamq; pluuiæ comparat; quam varias ait produxiſſe herbas & arbores bonas, vel malas, ob variam locorum diſpoſitionem. V. Denique, ne plura huc congeram argu-

Lib. 1. Strom.



argumenta, veritas ſupernaturalis, non eſt contraria veritati naturali; quia, vt Ariſtoteles ait, verum vero ſemper eſt conſonum: ergo vna veritas conferet ad explicationem & intelligentiam alterius. Merito igitur ſancti patres non ſolum humanas diſciplinas commendarunt, & fideles ad eas cognoſcendas incitarũt, ſed etiam de dialectica, & philoſophia, vt Clemens, Auguſtinus, Damaſcenus, & alij ſcripſerunt. Secunda concluſio: Humanis ſcientijs prudenter vtẽdum eſt, ita vt ea ex illis ſumantur quæ ſunt vtilia ad res diuinas explicandas, reliqua vero reſecantur. Hoc in primis exemplo docemur Iudæorum, qui ex Ægypto, non cœpas, non allia, ſed argentum & aurum exportarunt: & qui captiuam in vxorem ducit, eius vngues & capillos reſecare debet, vt eleganter epiſtola ad Magnum docet Hieronymus. Hoc monuiſſe volui, quod multi reperiantur, Theologi, & Concionatores, qui nimis multa & præter neceſsitatem & oportunitatem ex humanis ſcientijs repetunt. Itaque habendus eſt ſelectus & ſcriptorum & rerum, cum non a quouis, & quęuis ſumenda ſint: ut ſimus boni trapezitæ, ea retinentes, quę retinenda ſunt, & quę ſunt inutilia, & minus neceſſaria reſecantes, vt in libro Fons vitæ & ſapientiæ latius docuimus, qui locus ei qui plura hac de re deſiderauerit, conſulendus erit.

Li. 1. Eth.

Exod. 12. 25.

Fons vitę & ſapien. c. 21. 22. & 23.

Theo-

*Theologi ſcholaſtici laudantur, & ab hæreticorum calumnijs defenduntur. Cap. VI.*

Alb. Pius lib. 10. cõtra Eraſ.

Sander.

CVM recentiores hæretici Theologos ſcholaſticos, eorumq; docendi rationem vehementer vituperent, & deteſtentur; ita vt eorum ſcripta publica etiam pompa exurant, & gymnaſia euertant; non erit alienum ab eo, in quo nũc verſamur loco breuiter oſtendere quantũ vtilitatis hæc theologandi ratio, Eccleſiæ Dei afferat, & quantum hac in parte miſeri hæretici inique ſe gerant. Et vt amice cum aduerſario agam, peterem ex eo, vtrum damnet & reijciat nomẽ, an vero rem ipſam. In nomine nihil eſt quod damnet, cum nihil turpe, aut inhoneſtum ſonet, ſicuti, nec ſchola, ſeu ſcholaris; nec etiam ſit recens introductum, cum antiquius ſit, vt libro primo ſcripſimus, quam, hæc theologandi ratio. Retineatur igitur nomen, cum nihil in eo ſit, quamobrem reijci ab vllo debeat. Si rem inſectantur, aut doctrinam ipſam, aut docendi modum, aut horum doctorum mores, nihil enim aliud numerari poſſe puto. Quod ad doctrinam attinet; primum, hactenus per tot ſæcula iſta doctrina non fuit vituperata, nec damnata, & ſemper perſeuerauit, & creuit: quod ſi mala fuiſſet, profecto ceſſaſſet, ita Deo procurante, vt aliæ falſæ doctrinæ aliquando ortæ, ceſſarunt. Deinde, Eccleſia ab hinc quadringẽtos, & amplius annos hac



doctrina vtitur, ad fideles erudiendos in fide, & moribus, ad veritates decernendas, & errores refellendos, quod ſane non feciſſet, ſi nõ eſſet doctrina ſana, & diuinæ ſcripturæ cõgrua. Poſtremo, hæc doctrina quantum ad ſubſtantiã, eadem eſt cum doctrina, quæ in ſacris libris, in vniuerſalibus, legitimisq; Concilijs, & in monumentis ſanctorum Patrum habetur; quod negari nullo modo poteſt; cum horum doctorum ſcholæ profiteantur explicationem & defenſionem eius doctrinæ, quam ab ipſis Apoſtolis, & Patribus accepimus: igitur damnari non poterit. Quod ſi in aliquo priuato doctore aliquis reperitur error, alij illum damnant, & emendãt. Et ſi interdum aliqua non ita neceſſaria tractãt, & in quibuſdam quæſtionibus minus vtilibus occupantur, aliquid eis condonetur, moneantur, amice corrigãtur: de qua re latius infra nos ſcribemus, cum de quæſtionibus theologicis diſputabimus. De modo, circa modum, ſiue methodum, hæc animaduerti poſſunt: primum, quod argumentationibus & rationibus etiam humanis vtantur: ſed hoc non eſſe in eis improbandum ſupra ſatis abunde docuimus: cum hac in parte & ſacros ſcriptores, & ſanctos imitentur patres. Deinde, quod methodo vtantur dialectica, & eo modo res diuinas tractent, quo tractantur humanæ diſciplinæ: id non eſt reprehẽſione dignum, cum, vt ſupra ſcripſimus, id etiã antiqui patres fecerint, quamuis non ita exacte:

& id non ſine magna vtilitate fiat, vt ſtatim dicam. Et ſi Deus, vt nos difficilia myſteria intelligeremus, ita nobiſcum loquitur, vt vnus videatur ex nobis, idq; facit & vt ſeſe captui humano accommodaret; cur etiam non licebit ob eandem, & alias multas rationes doctrinam diuinã ad methodum nobis accommodatam reuocare? Nihil itaque eſt, quod in Scholaſticis methodum reprehendant: cum accommodatiſſima ſit ad res breuius explicandas, veritatem compendiendam dubitationesq; tollendas. Quid enim commodius eſſe poteſt, compẽdioſiusq;, quam re propoſita de qua quæritur, proferre hinc, & inde rationes, dubitationesq; ſublata omni verborum circuitione, rhetoricisq; coloribus, rem paucis, vti ſe habet, definire, atque explicare? Tam ſane vtilis, atque adeo neceſſaria eſt in Eccleſia hæc docendi ratio, vt eam ad hæreſes tollendas, errores detegendos, veritatemq; retinendam & confirmandam diuinitus inſpiratã fuiſſe exiſtimandum ſit. Illud etiam ſolent in eis damnare, quod barbare loquantur, quod ſicce & inornate ſcribant; in quo ſanctorum patrum morem ſeruare non videntur, cum illi copioſe eleganterq; ſcripſerint. De hac calumnia multa in defenſionẽ Scholaſticorum ſcribere, eamq; multorum patrum teſtimonio refellere poſſem; ſed hic breuiter agam. Primum in diuinis libris, licet maxima ſit rerum eloquentia; tamen non eſt verborum elegantia, & latini ſermonis puritas.

Fons vitæ cap. 28.

puritas. Deinde, horum doctorum ſcholæ non profitentur verba, ſed res: & vbi de re agitur parum curandum eſt de verborum ornatu, quod etiam M. Tullius docuit, qui a philoſophis non requirebat elegantiam: quam multo minus iſti a Theologis, qui in formandis, & vſurpandis uocibus, propter rerum, quas tractant nouitatem, debet eſſe liberiores, requirere debent. Huc faciunt hæc Platonis uerba dialogo primo de legibus. Neque enim hoc agimus, ut elegantiam, uel ruditatem uerborũ obſeruemus, quod multi facere ſolent; ſed ut quæ recta ratio ſecundũ naturam in legibus ſit, quis error indagemus: id quod noſtri faciunt Theologi: qui, ut Cicero monuit, docendi cauſſa, uerbis utuntur nouis. Denique, licet illud ornatius & copioſius dicendi genus utiliſſimum ſit apud eos, qui nõ aduerſantur, quippe quod magis delectet, afficiatque fideles: tamen aduerſus eos, qui ſeſe ueritati opponunt, qui in acie dimicare uolunt, non eſt ita lacertoſum, atque robuſtum, ut hęc ſtricta & cõpreſſa docendi ratio: quæ quaſi loricata, & galeata, clypeum & haſtam tenens, contorta tela repellit, & retorquet, aduerſariosq; ferit. Nec omnes patres eloquenti ſtylo ſcripſerunt: & qui ſcripſerunt, potius quadam naturæ bonitate, quam affectatione aliqua id fecerunt: immo parum curandum eſſe de elegantia, in rebus diuinis explicandis ſæpe docuerunt: de qua re alio loco a nobis ſcribetur. Quod ſi interdum obſcuri,

Lib. 1. de finibus.

Li. 4. Tuſ. quæſt.

Cyril. Theod.

ſcuri,& difficiles eſſe uidentur, meminiſſe oportet obſcuritatem non ſolum ab ipſa tractandi ratione,ſed etiam a rebus ipſis, & maxime in hac doctrina, in qua res obſcuriſſimæ tractantur, oriri. Naſcitur etiam ex ignorantia & ineptitudine eorum,qui ad hanc doctrinam accedũt, uel ſcholaſticos legunt; cum non ſint ijs artibus inſtructi, quibus huius doctrinæ auditores, inſtructi eſſe debent. Quod ſi ſine ſpiritu,& ſine quadam maiore pietate, quam cernimus in patrum monumentis, diuina tractant, non debet uideri mirum,cum genus dicendi, & tractandi ratio,quam ſuſceperunt, id non patiatur: cum dialectica agendi forma orationem curtam, cõciſam,& quaſi ſpinoſam requirat. Denique, ſi quid in methodo docendi, & ſcribendi ab eis peccatur,emendetur,reformetur, & nõ tota eorum doctrina damnetur. Reſtant mores,de quibus id prius dixerim, quod nos Saluator monuit, nos debere eorum qui nos docent doctrinam ſequi, non autem mores, ſi fuerint aliqua parte corrupti. Deinde, ſi hæc calumnia quicquam ualeret, poſſent Iudæi, & Turcæ totam noſtram religionem damnare,quod Chriſtiani, bona ex parte,male uiuant. Poſtea corrigantur mores,moneantur amice, chriſtiane, non petulanter, non procaciter, & ſuperbe. Ad hæc, ſi meliores Scholaſticos, & maiorem partem ſpectes, inuenies eos fuiſſe uiros probos, religionis profeſſores, & integræ uitæ homines: ut fuit Alexan-

Mat. 23.



Alexander, Albertus, Bonauentura, Thomas, & alij permulti, vt ex eorum vita & ſcriptis colligere aperte licet. Cum itaque nec nomen, nec res ipſa damnanda ſit, quid igitur damnant? quid vituperant? quid denique proſequuntur iſti, qui foris ſunt argi, & domi talpæ? ſed cum demonſtratum ſit eos damnandos nõ eſſe, nunc laudandos eſſe doceamus. Laudandi itaque,ac ſequendi ſunt Scholaſtici, cum res diuinas tractent,in lege Domini die ac nocte verſentur, & ſcriptutas ſacras,a Chriſto moniti,diligenter accurateq; ſcrutentur. Laudandi, inquam, ſunt, cum diuina oracula elucident, difficilia myſteria explicent,& eam doctrinam, vnde noſtra ſalus,Eccleſiæ ſtatus, & Chriſtiana religio pẽdet, confirment,defendant,& amplificent. Scholaſtici,concionatores inſtituunt, curatores animarum informant, Eccleſiæ paſtores idoneos ad paſcendum reddunt,vt ſciant docere ignorantes, inſtruere ſimplices,redarguere improbos,& corrigere lapſos. Hi ſunt angeli, qui legem cuſtodiunt,ſpirituales canes, qui contra lupos latrãt, & vulpeculas vineam deuaſtantes capiunt: hi ſunt fortes enſe accincti, qui lectulum Salomonis propter timores nocturnos cuſtodiunt: hi lucerna, quæ lucet omnibus, qui in domo ſunt: hi denique ſal, quo fidelium mentes ſaliuntur. Scholaſtici doctores ſua methodo obſcura illuminate,confuſa diſtincte,perplexa explicate,diſperſa concluſe, omnia denique accommodate

Cant. 2.

Cant. 3.

Fons vitę cap. 10.

 &

& idoneæ ad docendum, & intelligendum tradunt. Scholaſticorum tractandi ratio, excitat, acuit, atque expedita auditorum reddit ingenia; & aduerſus hoſtes armat. Huius Theologiæ beneficio multo plura, multo ſecurius paruo temporis ſpatio de diuinis rebus, quam olim per totum fere vitæ tempus diſcuntur. Qui eſt hac doctrina imbutus, quæ oriuntur dubitationes diſſoluit, quæ oriri poſſunt præuidet, & exponit: quid rationi, quid religioni ſit conſentaneū docet, & errores detegit. Qui eſt hac doctrina præditus ſacras literas luculenter exponit, patrū dicta declarat, Pontificum decreta interpretatur: in ſcholis docet, in concione dicit, & in acie literaria honeſte, ac fortiter verſatur. Scholaſtica doctrina eſt cythara Dauid, qua Dęmonis vis retunditur: eiuſdem funda, qua hoſtis proſternitur: Sanſonis, maxilla qua inimici necantur:
Cap. 7. nouacula, cuius meminit Iſaias, qua omnes reſe-
Cant. 4. cantur errores: turris denique Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, ex qua mille clypei, & omnis armatura fortis pendet. Quamobrem, cum nec nomen nec res ipſa nec tractandi ratio, nec mores damnādi ſint, potius ob eorum in rebus diuinis explicandis, amplificandis, & defendendis diligentiam, ac laborem probandi, & laudibus ornandi ſunt. Nec propterea, quod vnus, vel alter interdum modū non ſeruauit, vel aliquid peccauit, vniuerſus eorū ordo reijciēdus eſt: quod qui faciunt, non ſecus mihi facere videntur,





dentur, ac muſcæ, quæ ſi ad aliquod corpus aduolauerint, omnibus partibus integris relictis, ſi quid in eo eſt corrupti, id diligenter quærunt, vt ſanie, taboq; ſe expleant. Sed iſtos miſſos faciamus, & quæ ſolent argumenta contra hanc theologandi rationem afferre, ſequenti capite diſſoluamus.

*Soluuntur nonnulla aduerſariorum argumenta aduerſus ea, quæ dicta ſunt. Cap. VII.*

VT quæ ſupra docuimus adhuc magis confirmentur, quę contra dicta afferri rationes poſſunt, eas nunc diluemus: quarum aliæ humanarum ſcientiarum vſum, aliæ ſcholaſticam docendi rationem damnant. Poſſet itaq; hunc in modum aduerſarius contra catholicam ſententiam inſurgere. I. Ex ſcriptura, in qua varijs in locis humana videtur damnari ſapientia. Perdam, inquit Deus per Iſaiam prophetam, ſa- Iſa. 29.
pientiam ſapientium, & prudentiam prudentiū reprobabo. Vbi ſapiens? id eſt, philoſophus, Abd. 1.
gentium, vbi Scriba? id eſt, Hebræorum doctor, Iſa. 33.
vbi inquiſitio? id eſt, acutus Dialecticus, qui ſuis 1. Cor. 1.
argutijs omnia miſcet. Non ne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Primum, ſi hic locus ſimpliciter eſſet accipiendus, vt aduerſa- Act. 17.
rius vult, cur Paulus humana interdum ſapientia ad Græcorum & philoſophorum errores re- Rom. 2.
fellendos, vſus eſt? cur ex creaturis more philo-

ſophico arguendo demonſtrauit eos eſſe repre-
henſione dignos? Deinde, non damnat omnem
ſapientiam, & ſapientes omnes, ſed corruptam
1. Cor. 1. ſapientiam, & improbos ſapientes, & eos, qui ſo-
lam ſapiētiam, & ſigna quærũt, eos inquam, qui
Cle. Ale. li. 1. ſtro. Hieron. auctoritati diuinæ credere nolunt. Quare, hunc
locum cum quibuſdam patribus de falſa philo-
ſophia, & præſertim de Epicureorum doctrina,
quæ tunc florebat, & de ſapientia Hebræorum
ob quam tunc ſe iactabāt, optime explicare poſ-
ſumus. Denique, horum verborum ſententia
Chryſ. in hunc locum. hæc eſſe videtur: perdam, &c. id eſt, frænabo,
obſcurabo illam ſapientiam, ſicuti maius lumen
obſcurat minus: tradam meam ſapientiam, &
illam non magni faciam: principem locum do-
ctrina obtinebit euangelica. Itaque cum omnis
Eccl. 1. ſapiētia ſit a Deo, vt Sapiens docet, Deus veram
ſapientiam nunquam deſtruet. Rurſus, Paulus
1. Cor. 2. aiebat, ſe non veniſſe in ſublimitate ſermonis,
aut ſapientiæ, ad annuntiandum Chriſtum:
non igitur debemus humana ſapientia & elo-
quentia vti in chriſtiana ſchola, ſi Paulum ſe-
qui volumus. Senſus horum verborum pla-
nus eſt; ait enim ſe non veniſſe ad prædicandum
Chriſtum verborum elegantia, fucata ſcilicet
oratione, vt oratores ſolent: non verborum or-
natu, ſed ſpiritus efficacia: non in ſublimitate
Coloſ. 1. ſermonum, vt ipſe alibi loquitur, πιθανολογία,
id eſt, artificioſa oratione ad perſuadendum ac-
1. Cor. 2. commodata. Et cum Paulus ait, ſe non loqui
ſapien-



ſapientiam huius ſæculi, non damnat humanam
ſapientiam, ſed affirmat ſe non docere hanc ſa-
pientiam temporariam, quæ ſolum in præſenti
vita manet, vt græca interpretātur ſcholia. Item,
idem Paulus monet, vt caueamus, ne quis nos Coloſ. 2.
decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciā.
Verum, dum monet, vt ab inani fallacia, & ſa-
pientia caueamus, veram ſapienriam non reij-
cit. Et quo modo quis inanem fallaciam vita-
bit, niſi ſapientiam humanam cognouerit? Quid
autem per inanem fallaciam intelligat, ipſemet
expoſuit, cum dixit; ſecundum elementa mun-
di, ac ſi dixiſſet, cauete vobis ab aſtrorum cultu,
& obſeruatione, quo pſeudoapoſtoli omnia re-
ferebant. Rurſus, idem Paulus, ait ſcientiam Lege lib.
inflare, quod non poteſt intelligi niſi de huma- Fons vitæ
na ſcientia: quare expedit ab iſta doctrina ab- cap. 29.
ſtinere, cum non nutriat, ſed inflet. Cum Pau- 1. Cor. 8.
lus ait ſcientiam inflare, de eorum ſcientia loqui
tur, qui ſe ſapere exiſtimant, & de vana ſcientiæ
exiſtimatione, quæ re vera non nutrit, ſed ſuper-
bia inflat. Propterea inquit, ſiquis autem ſe
exiſtimat ſcire aliquid, non dum cognouit, &c.
Item, ſi inflat, id culpa eorum accidit, qui eam
diſcunt: qui cum parum calore caritatis abun-
dent, humanas ſciētias in ſuccum ſanguinemq;
nequeunt conuertere. Coniunge, ait Maximus, L. 4. cent. 59.
cognitioni caritatem, & carebis omni ſuperba
inflatione, eriſque ſpiritualis, cum teipſum, tum
omnes tibi appropinquantes ædificabis. Ad
hæc,

Prou.5. hæc, Sapiens monet, ne intendamus fallaciæ mulieris, id eſt, vt aliqui exponunt, humanæ philoſophiæ, quæ eſt aliena, & externa. Mulier externa & aliena, ſi literalem ſenſum ſequamur, eſt mulier adultera, ſeu fornicatrix fœmina, vt ex ijs quæ ſequũtur facile intelligitur: quod ſi myſtice de humana ſcientia hunc locum exponere volueris, intellige de corrupta, & fallaci doctrina, a qua cauẽdum eſſe, nos etiam exiſtimamus: a qua is profecto ſibi bene cauebit, qui veram philoſophiam didicerit. Denique, ne plura ex
Cap.1. ſacris literis afferamus loca, Eccleſiaſtes initio concionis ſuæ, inter alia. Quæ dicit eſſe vana, recenſet etiam ſcientiam, eamq; vocat occupationem peſſimam: dicitq; eum, qui addit ſcientiam, addere dolorem. Sapiens eo loco non ſolum ſapientiam, ſed etiam omnes alias res creatas vanas vocat, vel quia nihil eſt in hac rerum vniuerſitate firmum, ac ſtabile, ſed omnia ſunt alicui mutationi & varietati obnoxia, vel quia homines his rebus ad eum finem non vtuntur, ad quem a Deo ſunt creatæ, nimirum ad ipſum cognoſcendum, & amandum: ac proinde in vanum, ratione hominis, creatæ eſſe videntur, cum per eas eum finem ad quem ſunt factæ, non conſequatur. Ideo in peroratione concluſit, omnia eſſe vana, præterquam timere Deum. Cum dixit eſſe occupationem peſſimam, ſignificare voluit, multo opus eſſe labore, multaq; contentione ad
Virg. ſcientiam perdiſcendam: eo modo, quo bonus

Poeta,



Poeta, Laborem improbum eſſe, dixit. II. Poſſet deinde aduerſarius nonnullis ſanctorum patrum ſententijs, ac conciliorum decretis nos vrgere. Concilium Carthaginenſe quartum præcipit epiſcopis, ne libros gentilium legant: item, vt documenta ſimplicibus verbis afferant. Hieronymus, vt eſt apud Gratianum, non vno in loco, eos qui libros profanos legunt, qui in dialecticorũ arte torquentur, eorũq; tendiculis vtuntur, & eos qui ſuos filios ſæcularibus erudiunt literis, damnat. Et ipſe diuinitus fuit correctus, quod libros profanos legeret. Rabanus, vt eſt apud eundem Gratianũ, videtur humanas ſcientias comparare ſiliquis porcorum, quibus filius prodigus ventrem ſuum replere cupiebat. Item, Origenes per ciniphes & ranas quibus Ægyptij percuſſi fuere, Dialecticorum garrulitatem intellexit. Tertulianus dixit philoſophos veritatem mimice affectare, & affectando corrumpere, vt qui gloriam captant: alibi eos vocat pſeudoprophetas, & hæreticorum patriarchas: alibi, ait eorum ingenijs omnẽ hæreſim armari. Hieronymus ad Pammachium deſcribens philoſophum, dixit, eſſe gloriæ animal, & popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Lactantius nullibi philoſophos non exagitat. Deniq;, ne plures actores ex noſtris afferam, Aulus Gellius refert, nõ ſemel philoſophos fuiſſe ab Vrbe pulſos, & Italia interdictos. Vt ad has auctoritates reſpondeamus, quædam breuiter adnotanda

[Margin notes: Diſt.37. per totã. — Luc. 15. — Exod.9. — L. de ani. — Contra Marci. — Li.3.c.15. — Aul. Gel.]

da

da ſunt. Primum, nullam eſſe rem tam bonam, vna excepta virtute, qua homines improbi abuti interdum non poſſint. Præſtantiſſimæ & optimæ res ſunt cœli, elementa, & animalia; & tamen his rebus aliquando homines abuſi ſunt, dum hæc, tanquam Deos, coluerunt. Quare, ſi res vituperandæ, ac damnandæ eſſent, quod homines illis abutantur, nihil eſſet rerum, quod damnandum, reijciendumq; non eſſet. Lege ad hanc rem amplificandam locum illuſtrem apud Theodoretum de curandis græcanicis affectionibus; vbi eos refellit, qui religionem Chriſtianam vituperant, quod aliqui Chriſtiani male viuant. Deinde animaduertendum eſt, olim philoſophiam, & præſertim quibuſdam temporibus, a multis, qui eam profitebantur, male acceptam, ac ſæpe corruptam fuiſſe. Alij nanque ſola gloria ducti, veritatis & ſapientiæ ſtudioſi haberi volebant, ac alios tanquam inſipientes deſpiciebant, & baculo, barba, pallioque tenus philoſobantur. Alij, ab humana conſociatione omnino abſtinebant, ac vmbratilem vitam degebant, omnemq; reip. curam aſpernabantur, atque toto vitæ tempore in inquirendis rerum cauſſis, quaſi ſibi ſolis nati eſſent, verſabantur: quod philoſophandi genus Plato in Gorgia, & Cicero non vno in loco reprehendit. Alij, ſpe quæſtus ducti, ſolam veritatis vmbram quærebant, & ita ſolum quaſdā curioſas, & vanas queſtiones conſectabantur, argumentationibusque ſophi-

Lege Sadol. li. de Laud. Philoſ.

Lib. vlt.

Nilus Abbas.

Lib. 1. de offic.



ſophiſticis, iuuenum animos implicabant, & a melioribus ſtudijs reuocabant; qui potius ſophiſtæ, id eſt, falſi philoſophi, quam veri ſapientiæ amatores, vocabantur: & hoc philoſophorum genus fuit Roma pulſum, maleque audiebat, cum nihil de recta vitæ inſtituendæ ratione præciperet, aut cogitaret. Hos philoſophos vehementer inſectatus eſt Epictetus, vt eſt videre apud Arianum, & apud Gellium; quos vocare ſolebat philoſophos ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν, id eſt, ſine facere, vſque dicere: & aliquando huius generis philoſophum definiens, dixit eſſe, τοῦτο τὸ ζῶον ὃν πάντες καταγελῶσιν, id eſt, tale animal, quod ab omnibus irrideatur. Alij vero rectius philoſophantes, veritatem ipſam ſerio inquirebant, & genere vitæ, honeſtisque præceptis alijs prodeſſe ſtudebant, & de ſua aliorumque recta inſtitutione cogitabant, quo nihil præſtantius eſſe, aliquando aſſeruit Plato: & hi philoſophi bene audiebant, quos multum, inter alios patres, Theodoretus laudat. Animaduertendum eſt poſtremo, antiquos ſcriptores ob nonnullas rationes philoſophos, vel potius eos qui philoſophia abutebantur vituperaſſe. Primum, quod inter ſe valde diſſentiebant, & non tam amore veritatis, quam gloriæ, contendebant: vnde orta eſt maxima opinionū varietas, ac veritatis incertitudo, & perturbatio: de qua re lege Lactantium libro quincto capite primo in principio: vbi citat illud Ennij,

L. 3. c. 21.

L. 17. c. 21.

In Theage.

Tert. lib. de ani. in princ.

Diod. Sic. de morib. Ægypt.

*Tollitur*

Ennius. *Pellitur e medio ſapientia, vi geritur res.* Deinde, quia ipſi potiſſimum ſeſe noſtræ religioni, humanis rationibus nixi, oppoſuerunt; cum myſteria fidei nõ poſſent ſua ſapientia percipere: quam ob cauſſam interdum eos damnat Theodoretus. Denique, quia non viuebant congruenter naturæ; cum tamen ſe aliorum vitæ magiſtros eſſe profiterentur. Alia itaque dicebant, alia faciebant: & præſertim philoſophi Græci, vt non vno in loco ſcriptum reliquit

Orat.pro M.Cęlio. M.Tullius: qui aliquando loquens de miliore philoſophantium genere, ita ſcripſit. Illud autem ad laudem cum labore directum iter, qui probarunt, prope iam ſoli in ſcholis ſunt relicti. Ex his igitur, quę adnotauimus nõ erit difficile allatas Patrum auctoritates explicare. Et vt quid priuatim de hac diſputatione Origenes ſenſerit, Lector intelligat, hũc vnicum locum ex ijs, quæ

Lib. 6. contra Celſum ſcripſit adſcribere placet. Oſtendamus ex ſacris literis, quod etiam diuina ſcriptura nos hortatur ad Dialecticam, alicubi Salomone dicente, Eruditio rationibus non examinata decipitur: alicubi huic atteſtante auctore libri Sapientię Ieſu Sirachi filio, Scientia inquit, inſenſati eſt ſermo carens examine. Itaque beneuolæ rationes apud nos ſunt maximæ, qui ſcimus quod præpoſitus doctrinæ debet eſſe idoneus ad conuincendos, qui conantur contradi-

Diſt. 37. cere. Cum Concilium Carthaginenſe præcipit epiſcopis ne libros gentilium legant, intelligendum



gendum eſt, de illis libris, qui bonos mores corrumpunt: de illis ex quorum lectione nulla hauritur vtilitas: de illis, de quibus in ſequentibus canonibus apud Gratianum loquitur Hieronymus, de comœdijs, & de libris amatorijs. Et vtinam hoc ſalubre decretum a multis obſeruaretur, qui miſſis prophetis, & euangelijs inania hominum ſomnia, & parum pudica carmina dies noctesq; legunt, memoriæ mandant, & decantant: & hi ſunt qui porcorum ſiliquis veſcuntur. Cur autem impudicorum ſcriptorum lectio prohibeatur docet, Iſidorus; quia per oblectamenta fabularum, nimium mentem excitant ad incentiua libidinum. Et hos vituperat, ac reprehendit Hieronymus: & ſpeciatim eos damnat, qui nimiam operam in ſcientijs humanis ponunt, aut ſeculari ſapientia abutuntur. Cũ Concilium ait, ſimplicibus verbis eſſe docendũ, non prohibet, cum neceſſitas poſcit, diſputationis vſum. Et quoniam ex his aliorum patrum dicta ſatis bene explicari poſſunt, non eſt cur ſpeciatim ad ſingula reſpondeamus: propterea ad alias rationes pergamus. III. Præterea aduerſarius hũc in modum nos vrgeret: aut rationes ſunt neceſſariæ pro his, qui fidem iam habent, & hoc dici non poteſt; quia non indiget perſuaſionibus, qui iam eſt perſuaſus: aut pro his, qui non dum ſunt fidem conſecuti, quod affirmari nequit: quia fides, non rationibus, ſed auctoritate diuina, quæ eſt vnica credendi ratio gignitur.

Lib. Fons vitæ, & ſapien.

gignitur: adde, quod cum rationes non conuincant, potius poſſunt obeſſe, quam prodeſſe: quoniam is, qui contraria ſententia eſt imbutus, videndo rationes non eſſe neceſſarias, facile exiſtimaret, id, quod ſuadetur, non eſſe aſſenſione dignum. Huic rationi reſpondentes dicimus, prodeſſe vtriſque: fidelibus quidem, ad conſolationem, maioremq; fidei euidentiam, vnde & ſpes, ac caritas augeri queunt; ac etiam ad ſuſceptam fidem facilius retinendam, erroresq; refellendos. Infidelibus vero, prout per rationes eorum confutantur errores, quibus confutatis, facilius ad fidem traducuntur: reddunt etiā rationes noſtram religionem eis euidenter credibilē. Philoſophia, ait Clemens, confert ad apprehendendam veritatem, cum ſit inquiſitio veritatis, non quod ſit cauſſa comprehenſionis eius, ſed cauſſa cum alijs. IV. A principio naſcētis Eccleſiæ, non fuit hæc ratio tractandi res diuinas, per quæſtiones & dubitationes, & per rationes humanas: & tamen tunc optimus fuit Eccleſiæ ſtatus, ac optima religionis amplificandæ & cōſeruandæ ratio, quæ profecto retinenda eſſe videtur, cum eodem modo res conſeruentur, quo generātur, & augentur. Et in Concilio Nicęno, plus potuit ad philoſophum quendam conuertendum ſimplex cuiuſdā ſimplicis hominis oratio, quam multorum hominum ſolers ac ſubtilis diſputatio. Primum, etiam Apoſtoli, & primi Eccleſiæ doctores rationibus & humanis ſcientijs,

Lib. 1. Strom.

Sozom. in hiſt. Trip. lib. 2. c. 3.



tijs, vt ſupra eſt demonſtratum, vtebantur. Deinde, tunc in Eccleſia erant dona gratis data, vt linguarum, & miraculorum, quibus illi doctores poterant, quæ dicebant, cōfirmare, ac melius perſuadere: quare, tunc nō erant ita neceſſarius humanarum ſcientiarum vſus, vt nunc eſt. Præterea eo tempore virtus Dei magis apparere debuit, ac proinde minus opus fuit induſtria humana. Quod attinet ad illud exemplum, in primis, ex illa hiſtoria habemus patres illos diſputaſſe cū philoſophis, ac propterea id nobis quoque licere: quæ tamen diſputatio non fuit facta eo in loco, quo patres conueniebant ad decreta religionis terminanda; ne hinc hæreticus occaſionē dicendi ſumat, licere etiam laicis intereſſe concilio. Quod ſi ad ſimplicem ſermonem philoſophus ille conuerſus eſt, id factum fuit verbi diuini virtute, & priuata Dei opera, quæ non ſemper eſt expectanda, ſed diligentia humana ad hominum conuerſionem eſt adhibenda. V. Qui res diuinas ſubtilius rimari, ac examinare volunt, ij ſæpiſſime in errores labuntur, vnde maximum oritur in Eccleſia Dei ſcandalum, cum ſimplices videant ſuos magiſtros a vera fide deficere: quare vtilius eſſet Eccleſię, ſi huiuſmodi non haberet doctores. Hanc ob cauſſam Valentinus, Marcio, Arrius, Sabellius, & quotquot fere fuerunt hæretici, a vera fidei regula aberrarunt. Solet hæc ratio etiam aliquos ſimplices Chriſtianos non nihil commouere, quam

Gg ob

ob cauſſam, non ita bene ſentiunt de illis, qui philoſophico more de rebus diuinis diſputant, & humanis rationibus noſtræ fidei dogmata examinãt: immo nonnulli in hac ſunt falſiſſima opinione, vt putẽt omnes, qui doctiores ſunt, parum bene de fide ſentire: & eos potiſſimũ in fide errare, qui eruditiores habentur. Sunt etiam, vt id obiter dixerim, qui admirantur cur hæreſes ſint, cur tantum poſſint, & vigeant, non ſecus ac ſi ex aliqua veritate naſcerentur. Qua ratione de rebus diuinis quærendum, ac diſputandũ ſit, ſuo loco, infra, latius explicabo: de quibus, qui congruenter inquirit, non errat, non labitur, ſed magis in veritate confirmatur. Nec mirum cuipiam, etiam rudiſſimo, videri debet, ſi qui res diuinas tractant, interdum, labuntur; quia ij in aliqua arte peccant, qui eam tractãt: nec enim orator in agris colendis, vel agricola in orationibus conficiendis errat: & qui errant, ideo errãt, quia non eo modo in hac ſcientia verſantur, vt deberent. Qua autem ratione, res fidei in dubium a Theologis reuocentur, capite huius libri primo, explicuimus. Nec ego eos doctiores eſſe putarem, qui facilius errant, cum omnis error ex ignorantia naſcatur: ſed eos errare affirmarem, qui imprudenter, temere, & ſuperbe quærunt: de qua re paullo inferius ſcribam. Quod autem hæreſes naſcantur, quid mirum, cum vt ſcriptura ait, neceſſe ſit ſcandala, & hæreſes eſſe. Merito igitur Tertullianus libro de præſcriptionibus,

Lib. Fons vitæ, & ſapien.

Mat. 18.

nibus,



nibus, eos redarguit, qui malunt admirari, quod hæreſes naſcantur, & obſint, quam operam dare, ne oriantur, nec obſint. Vtiturq; ad hoc explicandum exemplo ſumpto a febri, quam nõ miramur quod ſit, & quod lædat, cum ad hoc ſit; ſed eam præcauemus, & quantum poſſumus depellimus. Conſule locum ad hanc rem explicandam egregium. Atque de his argumentationibus hactenus: cum, ſi quæ aliæ fieri poſſunt, facile ex ijs, quæ a nobis diſputata ſunt, dilui queant. Vlterius igitur pergamus, ac de huius doctrinæ principijs diſputationẽ aggrediamur.

## *Quæ ſint ſacræ Theologiæ principia.* *Cap. VIII.*

CVM demonſtratum a nobis fuerit ſacram Theologiam ſcientiam eſſe argumentatiuam, eiq; licere res diuinas & rationibus, & humanis ſcientijs explicare, ac perſuadere: nunc, quæ ſit principiorum huius doctrinæ natura exponere oportet: vt poſtea qua ratione ex eis nouas concluſiones deducere liceat, & quid ratio circa huius ſcientiæ principia poſſit, demonſtrare poſſimus. Principia igitur huius diuinæ ſcientiæ, vt alias diximus, habentur ex reuelatione diuina: & quoniam multifarie, multisq; modis Deus, vt ait Apoſtolus, locutus eſt nobis, oportet vt is, qui vult Theologiæ principia cognoſcere, intelligat quæ nam locutio diuina nobis huius

Lib. 1. c. 4

Heb. 1.



ſcien-

ſcientiæ principia præbeat: quā rem nunc pau-
Supra li. 1. c. 2. cis explanabimus. Primum, locutus eſt Deus
hominibus per legem naturalem a mundi exor-
dio, ac etiam per internum afflatum, quo quæ-
dam certis hominibus reuelauit, ac denique per
quædam rerum futurarum ſigna, & figuras. Po-
ſtea familiarius, ac expreſſius, ſæpiusq; locutus
Luc. 1. eſt per prophetas, quibuſcū varijs modis loque-
batur, ſcilicet per voces, per viſiones, & per in-
ſomnia. Tandem locutus eſt per Filium ſuum,
Heb. 1. & per Spiritum ſanctum quem Apoſtolis, Ec-
cleſiæ doctoribus & paſtoribus, ac interdum
Mat. vlt. etiam priuatis perſonis tribuit. Filius enim nō
De locutione Dei lege elegātē orationē Antonij Aſteni. reliquit nos orphanos; ſed miſit Spiritum, qui
nos doceret omnia, & nobiſcum eſſet vſque ad
conſummationem ſæculi. Omnes autem reue-
lationes & locutiones Dei, ad duo reuocantur
genera: nam alia eſt reuelatio, quam Deus facit
ad vniuerſalem gubernationem, & vtilitatem
totius Eccleſiæ: & quæ hac ratione reuelantur,
ab ipſa Eccleſia credenda proponuntur; alia ve-
ro, qua Deus patefacit aliquid priuatæ perſonæ
ad priuatam eius vtilitatem; licet conſequenter
poſſit etiam talis reuelatio in commoditatem
aliorum cedere. In hoc genere ſunt reuelatio-
nes factæ quibuſdam ſanctis viris & fœminis:
vt ſunt reuelationes ſanctæ Brigidæ: quæ non
proponuntur ab Eccleſia credendæ, neq; ad eius
gubernationem pertinent. Quod ſi Deus cui-
piam reuelaret aliquid, quod vellet ad vniuerſa-
lem



lem hominum vtilitatē pertinere, vt quæ olim
reuelauit Ionæ, quæ Niniuitis prædiceret, nemo
eſſet obligatus ei fidē habere, ni aliqua ratione,
ſiue miraculo diuinitus facto, demonſtraret, ſe
id a Deo accepiſſe, vt fecit Moyſes apud Pha-
raonem. Nunc autem habemus Eccleſiam, quę
credenda, tanquam a Deo reuelata, proponit;
quæ in proponendo non errat: cum eius fides
deficere nullo modo poſſit. Quod autem pri- .12.
uatæ reuelationes ad fidem non pertineant, pa-
tet ex eo, quod fides eſt virtus vniuerſalis, quæ
ad cultum Dei refertur: qui cultus a priuatæ
perſonæ auctoritate non pendet: adde etiam,
quod ſingularis perſona non habet facultatem
proponendi, quæ credenda ſunt. Primum itaq;
reuelationis genus eſt, quod ad fidem pertinet,
per quod Deus conſtituit, inſtruit, ac gubernat
Eccleſiam. Quo fit, vt grauiter errent hæretici,
qui rationem fidei ad cuiuſcunque priuatum
Spiritum reuocandam eſſe putant: vt id ſolum
credendum faciendumq; exiſtimēt, quod quiſ-
que pro ſuo ſenſu, ſeu ſpiritu iudicauerit. Quæ
in hoc cōtinentur genere, duobus modis a Deo
reuelantur: altero quidem mediante inquiſi-
tione ac conſultatione humana; cum ſcilicet ij,
per quos Deus gubernat Eccleſiam, inquirunt
de ijs, quę fidelibus ad credendum, & agendum
tradenda ſunt: quo modo Apoſtolis in Conci- Act. 15.
lio Ieroſolymis habito, reuelauit, quid ſentien-
dum eſſet de fornicatione, & abſtinentia a ſan-

Gg 3 guine

guine & ſuffocato: vt colligitur ex illis verbis, Viſum eſt enim Spirituiſancto & nobis. Hoc itaque modo diuinus Spiritus aliquid reuelat, cum auxilium præbet ad aliquid decernendum mediante inquiſitione humana, quam errare non patitur, Altero modo Deus reuelat aliquid per ſe immediate, humanam mentem illuſtrando, ac monendo ad aliquid dicendum, ſcribendumve, quod ad ſtatum pertineat Eccleſiæ: quo modo olim Prophetis, Euangeliſtis, & Apoſtolis multa quæ ſcriberent, & quæ verbo per traditionem docerent, reuelauit. Huc facit

Luc. 1. illud Zachariæ, Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui a ſæculo ſunt prophetarum eius;

Pſal. 44. & illud Dauidis, Lingua mea calamus ſcribæ, id eſt, Spiritus ſancti, velociter ſcribentis, ſola nimirum vi ac facultate ſua, ſine humana cura. Quæ igitur per reuelationem diuinam vno, vel altero modo factam, habentur, ad Theologiæ principia pertinent. Hic diuinus Spiritus, quo diuina reuelantur, poteſt eſſe in quattuor generibus perſonarum: in ſcriptore aliquo canonico, in Pontifice, ſiue in perſonis in Concilio vna cum capite congregatis, in diuinæ ſcripturæ interpretibus & antiquis patribus, ac denique in doctoribus, quibus nunc vtitur Eccleſia. Primis perſonis dabatur diuinus Spiritus ad ſingula verba proferenda, ſeu ſcribenda, vel quod Spiritus ſingula verba dictaret, vel ita iuuaret, vt non fineret aliquod verbum nõ dicendum, pronunciare:



tiare: ita vt nec in iota vno poſſent errare: quo fit, vt ex ſingulis ſententijs, & verbis horum ſcriptorum argumentari liceat. Secundis vero, non datur diuinus Spiritus ad omnia quæ dicũtur recte dicenda, nec etiam ad verba ſcribenda, ſed ſolum ad ea decreta recte conſtituenda, in quibus aliquid de fide, & de moribus, quod ad vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum pertineat, decernitur. Vnde, neque ex ſingulis ſententijs, neque ex ſingulis verbis alicuius decreti Pontificis, aut Concilij neceſſario argumẽtari licet, vt inferius plenius dicetur: cum non omnia quę in aliquo decreto habẽtur, ſint pro certis Theologię principijs habenda. Tertijs autem perſonis non datur diuinus Spiritus ſeorſim ad aliquid ſtatuendum ſine errore: ſed ſolũ omnibus ſimul adeſt diuinum auxilium, ita vt non poſſint omnes ſimul errare: idem dicas de alijs doctoribus in quorum numero ſunt Scholaſtici: Quod autẽ diuinarũ ſcripturarum interpretibus, & Eccleſię doctoribus Spiritus diuinus vniuerſe adeſſe debeat, ex eo patet, quod per eos habemus ſacrarum literarum expoſitiones, quæ, ſicuti & ipſa ſcriptura, debent eſſe a Spiritu ſancto. Nec enim Eccleſia cenſeretur habere veram ſcripturam, niſi etiam eiuſdem veram ſententiam haberet: quam, cum non habeant hęretici, & Iudęi, Sacra ſcriptura carere cenſentur, quamuis codices habeant. Ex quibus intelligi licet, in Scholaſticis, vniuerſe loquendo, eſſe Spiritũ Dei: tum quia

ipſi hoc tempore ſunt ſacrarum ſcripturarũ interpretes: tum etiam quod a quadringentis annis, Eccleſia eorum doctrina gubernata eſt, & multa de nouo ex ipſorum ſententia ſanciuit, cum pręter eos nullos alios nunc habeat doctores. Vnde naſcitur, quod ſi omnes in aliqua veritate, quæ ad fidem, vel mores pertinet, eam ex ſcripturis, vel concilijs, vel patrum doctrina colligendo, conſentirent, illa non poſſet ſine errore reijci: verum tamen eſt, quod ſua ſola auctoritate, non faciunt rem de fide, niſi vniuerſalis Eccleſiæ accedat declaratio, vt inferius dicetur. Et licet nemo ſit obligatus credere, Spiritũ diuinum in aliquo priuato reſidere doctore: tamen, non eſſet omnino præter rationem, ſi quis exiſtimaret, in aliquo fuiſſe, aut eſſe, ſi non in omnibus, quæ docet, ſaltem fere in omnibus: quod de diuo Thoma affirmare poſſes: de quo tantum ſenſit Innocentius Papa, vt de eo hæc verba ſcripta reliquerit: Huius doctoris ſapiẽtia præ ceteris, excepta canonica, proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum habet: ita vt, qui eum tenuit, nunquam inuentus ſit a veritatis tramite deuiaſſe: & qui eum impugnauit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus. De quo etiam Vrbanus Quinctus in bulla approbationis doctrinæ ipſius, ait ſua doctrina vniuerſam Eccleſiam illuſtraſſe. Et denique ſchola Pariſina eundem ampliſſimis & illuſtribus titulis exornauit. Vnde factum eſt, vt omnes,

Sermone qui incipit. Ecce plus, Salomon hic.



nes, qui tutius theologari volunt, huius Angelici doctoris viam ſequantur. Quod autẽ ſummi Pontifices diui Thomę doctrinam commendãdo dixerunt, non eſt ita accipiendũ, vt omnia quæ ab eo dicta ſunt, pro certis & indubitatis habenda eſſe, ſtatuere voluerint: cum viri docti, & pij, ſalua religione, interdum aliter ſentiant. Eſt itaque certa fide tenendum, ſemper eſſe diuinum Spiritum in Eccleſia Dei, ſine quo regi, ac conſiſtere nequit: ſed in quibus priuate ſit, præterquam in Romano Pontifice, & in Concilio cum eodem Pontifice vnito, non eſt certum. His hunc in modum explicatis facile eſt intelligere, quæ ſint Theologiæ principia. Ea igitur ſolum conſtituunt huius ſcientiæ principia, quæ habentur immediate, vel mediate per reuelationem diuinam, & ad vniuerſalem Eccleſiæ gubernationem pertinent: vt ſunt quæ expreſſe habentur in ſcripturis, aut in traditione apoſtolica, aut in cõſtitutionibus ſummorum Pontificum, & conciliorum a Pontifice approbatorum, aut in alia ſcriptura a Pontifice, tanquam diuina, approbata; in ijs tamen, quæ ad mores & fidem pertinent. Quæ principia augeri, & amplificari poſſunt, prout Eccleſia poteſt aliquid de nouo ſtatuere, quod ſit fide tenendum: quod cum ſtatutum fuerit, iam inter principia reponendum eſt. Ceterum, cum ea quæ de nouo ſtatuuntur lateant in reuelatione immediata, hoc eſt in ſcriptura, vel traditione diuina, ea principaliter dicentur

centur eſſe principia, quæ per immediatam reuelationem habentur, vt ſunt quæ in libris canonicis, & in traditione apoſtolica continentur: cum apoſtolis dictum fuerit, Ille, id eſt, Spiritus ſanctus vos docebit omnia. Neque tamen omnia quæ ſunt in diuinis literis ex ſe primo ad principia Theologiæ pertinere cenſentur, cum multa in eis narrentur humana, quæ non ita proxime referuntur ad cultum Dei, ſtatumq; Eccleſiæ: vt quod dicitur de cane Tobiæ, & quod Paulus de penula mittenda ſcribit, deq; alijs eiuſdem generis rebus: quæ neque ad informandos mores, neque ad Dei cultum, vel ad recte de Deo, rebusq; diuinis ſentiendum proxime pertinent. Nec ideo exiſtimes iſta in ſcripturis, in quibus nihil eſt ocioſum, ſine ratione narrari: quoniam fortaſſe in aliquo ſenſu, vel literali, vel myſtico poſſunt eſſe principia, ſaltem alicuius concluſionis practicæ. Concludamus igitur id potiſſimũ habere rationem principij in Theologia, quod per ſacras ſcripturas & traditionem apoſtolicam a Deo reuelatum eſt, quod ad recte ſentiendum de rebus diuinis & ad Dei cultum gubernationemq; Eccleſiæ proxime ſpectat. Siquidem, huius ſcientiæ finis, eſt verus Dei cultus, amor & cognitio perfecta Dei: ac proinde veritates reuelatæ, quæ huc referuntur, aut referri poſſunt, rationem theologicorum principiorum habebunt. Hæc principia quæ latiſſime patent, ad tria genera reducuntur: ſcilicet, ad quædam, quæ

Ioan. 14.

Tob. 6.

2. Tim. 4.

Lact. Fir.



quæ ſunt veluti dignitates, ad alia, quæ ſunt veluti poſitiones, & demum ad alia quę ſunt quaſi petitiones: de quibus libro primo capite quarto ſcripſimus; propterea, vt de his plura hoc loco dicamus, nihil eſt neceſſe. Nunc, quoniam ijs principijs, quæ in ſcripturis habentur, ſæpius Theologus vti ſolet, aliquid ſpeciatim de iſtorum natura dicamus. Primum ergo exiſtimare debemus omnia, quæ ſunt in libris canonicis dictata fuiſſe immediate ab ipſo Spiritu diuino, qui in ſacris ſcriptoribus loquebatur: propterea nullum eſſe in his libris mendacium, vel minimum, nullam veram contradictionem, quamuis multæ apparentes inueniantur; quas explicare, ac tollere Theologi munus eſt: nihil continere ſuperflui, vel diminuti: non potuiſſe melius ſcribi, aut congruentius tradi quæ ibi continentur: doctrinam, quæ in illis a principio ſcripta fuit, ſemper (quod ad eius ſubſtantiam attinet) fuiſſe cõſeruatam intactam: eandem perpetuo, cum eadem integritate, duraturam: in ijs libris conſeruari, quos Romana approbat Eccleſia: de quibus omnibus diuinæ ſcripturæ proprietatibus, in noſtris inſtitutionibus late iam ſcripſimus. Et vt vim diuinæ doctrinæ breuiter cum Paulo explicemus, diuinum verbum has quinque proprietates habet, quod ſit viuum, efficax, corda penetret, vſque ad animę diuiſionem pertingat, & cordis cogitationes diſcernat. Et cum ſit verbum veriſſimum, ei quoque veritatis proprietates

1. Cor. 3. & 13.

Heb. 4.

prietates conueniunt: videlicet, quod ſine vlla diſſenſione conciliet, & veluti quidam totius mundi ſol, omnes illuminet: ſit indiuiſibile, vna enim eſt veritas: ſit conſtans & firmum, ac etiam antiquiſſimum. Et hæc breuiter nouum Theologiæ auditorem de natura diuini verbi, vnde hæc tota pendet facultas, admonuiſſe ſit ſatis.

### *Quo pacto humanus intellectus ſe habeat ad principia Theologiæ, quantum ad aſſenſum.* *Cap. IX.*

EXPLICATA principiorũ huius ſcientiæ natura, ſequitur, vt quonam modo humanus intellectus, quantum ad aſſenſionem circa hæc principia ſe habeat, explicemus: vt videamus, ſi quid euidentiæ, ſeu certitudinis horum principiorum habeat, aut habere poſſit. Vt igitur rem propoſitam plane elucidemus, notandum eſt intellectum duobus modis alicui veritati, quam prius ignorabat, aſſentiri poſſe: vno modo ob euidentiam rei cognitæ, ſiue obiecti, quod per ſpeciem propriam & ex ſe mouet ac terminat intellectum. Poteſt autem mouere, vel per clarum & manifeſtum intuitum, quo modo beatorum intellectus mouetur ab eſſentia diuina, quã clare intuentur beati: qua etiam ratione paries viſus mouet oculum, a quo videtur: vel per ſimplicem apprehenſionem terminorum, ex quorum



rum cognitione ſtatim rei intellectæ notitia euidenter apparet: cuiuſmodi eſt in nobis primorum principiorum cognitio: vt quod de eodem non liceat oppoſita affirmare: quod bonum ſit expetendum, quod ſi ab æqualibus æqualia demas, æqualia reſtant. Altero vero modo per auctoritatem eius, qui aliquam rem affirmat: cum obiectum ex ſe non eſt manifeſtum, ſed aliquis obiecti, ſeu rei cognoſcendæ veritatem proponit, dicendo rem ita ſe habere: vt ſola ratio aſſentiendi, ſit dicentis auctoritas, qua dignus eſt, vt ei habeatur fides. Primus aſſenſus eſt perfectus & clarus, & eſt proprius ſcientiæ: ſecundus vero obſcurus, & eſt proprius ſidei: primus perficit plene intellectum ſecundum totam vim ſuam, ita vt nihil ſit, propter quod acquieſcere non debeat, cum a rei euidentia omnino conuincatur, & nulla ratione tergiuerſari queat: alter vero nõ perficit omni ex parte intelligendi vim, capacitatemq;, cum aliquid remaneat, vnde poſſit hærere, ac non plene aſſentiri. Sed dices, qui fieri poteſt, vt intellectus ſiſtat, & acquieſcat in hac imperfecta cognitione, cum non attingat ex ſe rem cognitam, & quaſi cœcus, in rem apprehenſam ducatur? Reſpondetur, id in primis ex eo fieri, quod intellectus non pendet a præſentia obiecti ſicuti pendet ſenſus: & ideo, dummodo res cognoſcenda aliquo modo ei proponatur, aſſenſum præbere poteſt. Vt ecce, proponitur ab homine ſide digno ei, qui Indianos nõ vidit,

vidit, Indianos eſſe: poteſt intellectus huic veritati aſſentiri, etiam ſi a re ipſa immediate non moueatur. Deinde, quoniam eo ipſo quod homo habet rei alicuius cognitionem ſub ratione veritatis, & bonitatis, id eſt, entitatis, ſiue exiſtentiæ, & finis, poteſt moderari ſe, quoquo modo voluerit: & ideo, licet obiectum non adſit, ob auditum, & auctoritatē poteſt præbere rei propoſitæ aſſenſum. Ex quibus colligere licet primam horum duorum aſſenſuum differentiam, quod vnus omni ex parte perficit, ac conuincit intellectum: alter vero non item. Differunt deinde, quod in primo aſſenſu, ratio aſſentiendi eſt in obiecto; quo fit, vt quot ſunt obiecta, tot ſint aſſentiendi rationes, & media, quibus intellectus ad aſſentiendum trahitur: in ſecundo vero propter auctoritatem: quæ poteſt eſſe vnica ratio aſſentiendi multis: vt ſi amico de Indianis multa narranti ob eius auctoritatem multa crederes. Præterea differunt, quod, ad primam aſſenſionem adhibendam, non concurrit voluntas, cum a ſola ratione intellectus trahatur: at vero ad ſecundam maxime: nam cum ſola dicentis auctoritas non ſit ratio omni ex parte ſufficiens admouendum intellectum, opus eſt voluntate, qua intellectus ad aſſentiendum flectatur. Itaque intellectus non ſe ſolo, nec ſua tantum vi in aſſenſionem huiuſmodi veritatis venit. Et hæc eſt prima radix, cur in eo qui credit poſſint ſuboriri dubitationes, & ſcrupuli: quod



quod intellectus per ſe non attingit obiectum, ſed a voluntate ducitur: & hoc eſt, quod ait Paulus, captiuare intellectum in obſequium Chriſti: quia intellectus quaſi captiuus imperio voluntatis, in veritatem fidei ducitur: quod Deo ſummopere placet, & eſt maxime meritorium. Cum autem aliqui ſuboriuntur in mente hominis fidelis ſcrupuli, qui ſunt veluti volucres, quæ circa ſacrificium Abrahæ volitabāt, voluntatis imperio abigendi ſunt, & eis nullus aſſenſus eſt præbendus: atque vt vir fidelis omnem remoueat ſcurpulum, cum non habeat euidentiam obiecti, ad credulitatis euidentiam cōfugiat, animaduertatque nihil eſſe, aut eſſe poſſe credibilius, quam quod Chriſtiana religio credendum proponit. Et vt rem hanc aptiſſimo declaremus exemplo, non ſecus contingit ei, qui fidei ſcrupulos ſentit, atque accidit ei, cui aliquis pileum capiti accommodaret: in quo ſuſpiciones oriri poſſent, an pileum bene aptatum ſit, cum ſuis ſibi manibus illud non impoſuerit: idem dicas de hominis fidelis intellectu, qui cum ſua vi rem creditam non attingat, ſed in eam a voluntate inclinetur, proinde in eo ſuſpiciones de re, quæ ei euidenter non apparet, nec per ſe videtur, ſuboriri poſſunt. Rurſus, iſti duo aſſenſus differunt, quod primus reducitur ad principia per ſe nota, abſque alio diſcurſu, alter vero ad auctoritatem dicentis; ita vt tandem quidquid credit, ideo credat, quia aliquis dixit. Ad

2. Cor. 10.

Gen. 15.

Ad hæc, differunt etiam, quod primus aſſenſus eſt certus & euidens: at vero ſecundus, licet poſſit eſſe certus; tamen euidens eſſe non poteſt. Ex his itaque intelligi haud obſcure licet, qualis ſit aſſenſus hominis fidelis circa philoſophiæ chriſtianæ principia: de quo multo plura hoc loco afferre poſſem amplificando, & dilucidando ea, quæ dixi; ſed iſta, ne longum faciam, reijciantur in diſputationem de fide: vbi latius de humanæ mentis aſſenſione circa res, quæ ſub fidem cadunt, diſputari ſolet: adde etiam, quod nonnulla alia, quæ huc pertinere poſſent, poſterius, alio a nobis explicabuntur loco. Ea itaque ſolum diximus, quæ ad materiam in qua verſamur plane explicandam, & intelligendam, erant omnino dictu neceſſaria.

*Quid humana ratio circa Theologiæ principia, quantum ad eorum probationem, & defenſionem poſſit.* Cap. X.

CVm ſacra Theologia ſapientiæ nomen, vt ſupra demonſtrauimus, conuenienter ſibi vendicet, hinc eſt, vt ad eam ſuorum principiorum explicatio, defenſio, ac etiam, quantum fieri poteſt, probatio, pertineat. In hoc enim bonus Theologus a ſimplici fideli differt, quod is, ſolam aſſenſionem principijs præbet, ille vero a diuina inſtitutione informatus de ea, quæ in ipſo eſt ſpe, & fide rationem reddere paratus, ac ad bella



bella edoctus eſſe debet: ita vt habeat enſem ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Cant. 3.
Itaque, cum ſuperius de aſſenſione, quam erga principia adhibemus, diſputatum ſit; nunc de probatione, & defenſione agendum nobis eſt. Et vt in dubium ſancti doctoris doctrinam quã in articulo octauo tradidit reuocem, demõſtrabo falſum eſſe, quod ait, Theologiam non argumentari ad ſua principia probanda. Primum ipſemet diuus Thomas ſæpiſſime probat articulos fidei: vt, quod Deus ſit, quod habeat prouidentiam, quod ſit futura mortuorum reſurrectio: vt patet ex ijs quæ docet in ſumma, & in libris contra Gentes: in quibus multas veritates, quæ ad principia huius ſcientiæ pertinent, contra aduerſarios doctiſſime probat, igitur. Deinde, Chriſtus in Euangelio, & alij ſcriptores canonici, ac ſpeciatim Paulus argumentantur ad probanda noſtræ religionis principia; vt 1. Cor. 15.
cum probatur mortuorum reſurrectio, ex eo, quod Deus, nõ eſt Deus mortuorum, & quia Chriſtus reſurrexit: licebit igitur argumentari ad probanda principia. Poſtea, res noſtræ fidei non carent ratione, & ſunt euidenter credibiles; ergo poſſunt afferri argumẽta ad eas probãdas. Poſtremo, Theologus, ex diuo Thoma, debet defendere principia contra negantes: at hoc nõ ſolum fit aduerſariorum principia ſoluẽdo, ſed etiam ſua confirmando: poterit igitur optime argumentari ad ea probanda. Hæc difficultas

ſola explicatione indiget: propterea quaſdam breuiter adnotabimus diſtinctiones, & poſtea quid ſentiendum ſit, varijs concluſionibus exponemus. Prima diſtinctio, aut is, quo cum Theologus diſputaturus eſt, negat omnia propria & intrinſeca huius doctrinæ principia, & ſolum concedit aliquod principium extrinſecũ, vt eſt ratio, & auctoritas humana; vt eſſet vir infidelis, & philoſophus: aut certe aliqua propria principia concedit, vt Iudæus, qui concederet vetus teſtamentum, negando nouum, & hæreticus, qui concederet nouum, & negaret vetus. Secunda diſtinctio, aut controuerſia eſt de re mere ſupernaturali, vt de exiſtentia corporis Chriſti in hoſtia, & de ſeparatione accidentis a ſubiecto: vel de re, quæ ratione naturali attingi poteſt: vt de animorum immortalitate, de Dei prouidentia, & de finibus bonorum & malorũ. Tertia diſtinctio, duobus modis poteſt afferri aliqua ratio, vno tanquam neceſſaria ad conuincendum aduerſarium: altero tanquam probabilis, ad ſuadendum, vel cõfirmandum: rurſus, vel ad probandum aliquid eſſe euidenter verũ, aut euidẽter credibile. Quarta diſtinctio, aliud eſt, aliquod argumentũ euidenter ſoluere, aliud vero aliquid euidenter probare: nam euidens probatio procedere debet ex euidẽti principio: at vero euidentem ſolutionem ſatis eſt procedere ex ijs, quæ non apparent impoſſibilia: quoniam tunc argumentum euidenter dicitur concludere,



cludere, quando reſpõdens reducitur ad aliquid impoſſibile, vel abſurdum, vel inopinabile. Similiter, aliud eſt aliquod argumentum eſſe euidenter falſum, aliud non concludere. Etenim, qui euidenter cognoſcit aliquid eſſe falſum, cognoſcit etiam euidenter cõtrarium eſſe verum, cum vna & eadem ſit contrariorum ſcientia, vt Ariſtoteles docet. Quare, ſi Theologus euidenter demonſtraret argumentum factum contra perſonarum diuinarum Trinitatem eſſe falſum, euidenter etiam oſtenderet hoc myſterium eſſe verum. Quincta diſtinctio, argumentum ſophiſticum quod ab aduerſario affertur, in duobus peccare poteſt, vel in forma contra regulas argumentationis a Dialecticis traditas, vel in materia, cum propoſitiones ex quibus eſt conflatum, ſunt falſæ. Poſſunt autem huiuſmodi argumẽta bifariam ſolui; vno modo negando antecedens, vt ſi quis negaret hanc propoſitionem, Nulla natura, quæ ſit vna & eadem numero poteſt in pluribus eſſe perſonis: altero vero negando conſequentiam, vt in hoc exemplo: Deus eſt purus actus, igitur non aſſumpſit naturam humanam: hic negaretur conſequentia. Rurſus tam antecedens, quã conſequentia duobus modis negari poſſunt: vno modo afferendo aliquã inſtantiam ex principijs reuelatis, quæ reſponſio poſſet afferri ab homine fideli cum diſputat cũ fideli; & cũ eo agit, qui admittit propria principia: altero modo afferendo inſtantiam, ſeu rationem

Ariſt. lib. 2. poſt.

tionem negationis ex rebus ſcitis, quæ ſolutio pertinet proprie ad Theologum cum aduerſus hominem infidelem diſputat. Vnde, ſi Philoſophus: ita diſputaret. Omnis homo generat, Petrus eſt homo ergo Petrus generat: & hinc inferret, hanc cõſequentiam etiam eſſe bonam; Omnis Deus generat: Filius eſt Deus, ergo Filius generat: Poſſet Theologus hunc in modum hanc argumentationem, afferendo inſtantiam, diluere. Omnis motus eſt actio: paſſio eſt motus, igitur paſſio eſt actio. Et ea ratione qua philoſophus hunc fallacem ſyllogiſmum explicaret, eadem Theologus illum. Atque hæc de diſtinctionibus: nunc haſce concluſiones ad hãc difficultatem reſpondentes ſtatuo. Prima concluſio: Naturales ſcientiæ non habent eam euidentiam, & certitudinẽ, quam eas habere multi philoſophi arbitrantur. Hanc concluſionem poſuerim ad demonſtrandũ quantũ poſſint valere rationes naturales, quas aduerſus myſteria noſtræ fidei, aduerſarius afferret. Et licet hac de re latiſſime diſputare poſſem, tamen paucis cõtentus ero. Primum, quod attinet ad cognitionem rerum diuinarum, quę ſunt manifeſtiſſimę in natura, Ariſtoteles ipſe affirmauit, noſtrum intellectum ita ad eas ſeſe habere, vt ſe habet oculus veſpertilionis ad lumen diei: de quibus pauca quædam, & non ſine errore pauci philoſophi dixerunt. Deinde, eandem incertitudinẽ oſtendunt innumeræ & inter ſe pugnantes ſcriptorum

L. 2. Met.



ptorũm de rebus grauiſſimis ſententiæ: vt de mundi æternitate, de Dei prouidentia, & infinitate, de intelligẽtiarum natura, & de multis alijs quæſtionibus. Præterea, in humanis ſcientijs ſunt rariſſimæ demonſtrationes, & præſertim, quæ perfectam gignant ſcientiam a priore: & multæ quæſtiones in omni fere ſcientia, in vtrãque partem firmis rationibus confirmantur. Poſtea, ſummi philoſophi, & alias erudititiſſimi, errarunt in rebus valde perſpicuis, & ea, tum in philoſophia naturali, tum morali dixerunt, quæ certiſſime cum ratione pugnant. Poſtremo, ne longior ſim, quam par eſt, in re manifeſta confirmanda, demonſtrationes Mathematicæ, quæ certiſſimæ habentur, non ſunt perfectæ demonſtrationes, cum ex quibuſdam ſuppoſitis procedant, nec habeant veram, & phyſicam cauſſam per quam probentur. Ex quibus fit, vt quo quis eſt doctior, & plura nouit, eo ſe minus ſcire, vere fateatur: quod, qui non fateretur, is apud me parum ſciret: cum maxima pars eorum, quæ ſcimus, ſit minima eorum quæ ignoramus. Ex his colligeres, quam parum efficaciter humanæ ſcientiæ contra diuinam doctrinam argumentari queant. Secunda concluſio: Nulla veritas naturalis poteſt eſſe contraria veritati fidei, & contra. Hæc concluſio damnat opinionem temerariam Roberti Olcoth, qui, quæ ſunt fidei, cum ratione naturali pugnare, probare conatus eſt. Primum, iſta opinio eſt contra omnes ſanctos

Lege Frã. Picũ lib. de vanit. doct. gẽt.

ctos patres, & contra omnes Scholaſticos, & ſpe-
Li. 1. Eth. ciatim cõtra diuum Thomam ſuper Boethium, & contra Ægidium opuſculo de Euchariſtia, & contra Henricum. Deinde repugnat doctrinæ Ariſtotelis, qui ſcriptum reliquit, verum ſemper eſſe conſonum vero: at dogmata fidei ſunt vera, ergo propoſitiones, quæ ſunt verę in philoſophia, non poſſunt illis eſſe contrariæ. Eſt enim veritas veluti lux quædam: at lux luci non eſt contraria, ſed tantum tenebris, igitur. Præterea, alias ſequeretur, vel Deum eſſe auctorem falſi, vel neceſſarium eſſet, vna cum Manichęis, ponere alterum principium efficiens, quod eſſet auctor mali. Poſtea, ſequeretur Deum ſcire duo oppoſita, & contradictoria, vtputa, ſe eſſe Trinum & vnum ſecundum veram Theologiã, & ſe nõ eſſe Trinum & vnum, vt humana ratio probare videtur: quod eſt omnino abſurdum, cum præſertim Deus omnia in ſua eſſentia cognoſcat; quæ non poteſt eſſe ratio rerum inter ſe pugnantium. Ad hæc, cuncta conueniunt in ratione entis, ergo & in ratione veri: quoniam verum ita late patet, vt ens, cum ſit eius paſſio: ergo non licet dicere, aliquid ſecundum vnam rationem eſſe verum, & ſecundum aliam eſſe falſum. Denique, iſta doctrina Olcoth pugnat
Seſſ. 8. cum decreto Concilij Lateranenſis ſub Leone Decimo, vbi viris doctis præcipitur, vt ſoluant rationes, quæ cum ijs, quæ ſunt de fide, pugnare videntur. Ex ijs quæ diximus primum colligere

ligere



ligere licet, philoſophum ad veritates fidei debere ſe habere mere negatiue, id eſt, non debere eas impugnare, ſed fateri, ſe eas non percipere. At vero philoſophus lumine fidei illuſtratus, poteſt eas declarare, & exponere, atque earum cõgruentiam demonſtrare: cum per rationem naturalem nihil inferat rebus fidei contrarium. Colligitur deinde, nos non poſſe dicere, vt aliquos Theologos dicere me audiſſe memini, aliquid eſſe verum ſecundum Theologiam & falſum ſecundum philoſophiam: poſſumus tamen dicere aliquid eſſe verum ſecundum Theologiam, & falſum ſecundum philoſophiam Ariſtotelis, & contra: cuius tamen philoſophia in ijs, quæ cum fide pugnant erit falſa. Tertia concluſio: Omnes rationes, quæ afferuntur contra veritates fidei, ſunt falſæ, peccantes, vel in materia, vel in forma: & ita ducuntur ex falſa philoſophia. Patet hæc concluſio, primum ex his, quæ in confirmationem ſecundæ concluſionis diximus. Deinde, ſi principia quæ ſumuntur ſunt vera, non poterit ex illis concludi falſum, cum falſum non colligatur ex vero: ſi ſunt falſa, peccabunt in materia, & non pertinebunt ad veram philoſophiam. Poſtremo, ratio naturalis, vt ſtatim dicam, non poteſt demonſtrare ea, quæ per ſe ad fidem pertinent, ergo multo minus poterit ea deſtruere: cum ratio quæ rem deſtruit, non ſolum rem adæquare, vt illa, quæ probat, ſed etiam ſuperare debeat. Quarta concluſio:

Hh 4 concluſio:

cluſio: Propoſitiones quæ per ſe pertinent ad fidem, vel ad Theologiæ principia, eſſe veras, euidenter probari non poteſt. Nam, vt ait ſcriptura, quæ Deus nobis reuelauit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec vnquam humana mens excogitauit. Et ſi probari poſſent, vel probarentur a priore, & hoc pacto probari nequeunt, quia nullam habent cauſſam, niſi voluntatem diuinam: vel a poſteriore, neq; hoc modo, quoniam effectus creati nō oſtendunt exempli gratia, Deum eſſe Trinum, ſed potius vnum: & tamen bona ex parte Theologicę concluſiones pēdent ex iſto principio, Deum eſſe Trinum & vnum: & quæ ſub hanc doctrinam cadunt, ſunt ſpeciatim effectus prouenientes a Deo, vt eſt auctor gratiæ, quæ ſuperat omnem naturæ ordinē. Quare per effectus naturales Theologiæ principia demonſtrari non poſſunt, vt fortaſſe phyſicus demonſtraret ſua. Adde etiam, quod veritates noſtræ fidei, etiam ipſis fidelibus ſunt obſcuræ, cum eas nō teneant, niſi per auctoritatem Dei dicentis, ſiue reuelantis: & quod Deus reueler, nō eſt eis euidens. Quo fit, vt diuus Thomas docte ſapienterq; ſcriptum reliquerit, temerarie, ac periculoſe facere eos, qui noſtrę religionis veritates rationibus humanis demonſtrare conantur. Quincta concluſio: Theologus non poteſt euidenter demonſtrare argumentum ab aduerſario allatum eſſe falſum. Hæc concluſio liquet ex ijs, quæ diximus in diſtinctione quarta: quia,

Iſa. 64.

1. p. q. 32. ar. 1. cōt. gent. l. 1. c. 9.



quia, ſi poſſet demonſtrare argumētum contrarium eſſe euidenter falſum, demōſtraret etiam, euidenter, id quod fide tenetur eſſe verum: at id, vt eſt probatum, demonſtrari non poteſt, igitur. Sexta concluſio: Poteſt Theologus euidenter ſoluere rationes omnes quæ contra veritates fidei afferuntur. Eſt hæc concluſio contra doctrinam Durandi, qui hac in parte duram ſuſtinuit ſententiam, contrarium affirmando. Contraquē in primis facit, quod Sapientiæ capite octauo de hac doctrina dicitur: Scit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum. Deinde decretum Concilij Lateranēſis ſub Leone X. vbi præcipitur omnibus philoſophiæ præceptoribus, vt non ſolum veritates catholicas doceāt, vbi opus fuerit, ſed etiam philoſophorum argumenta, cum omnia ſint ſolubilia, pro viribus reſoluant. Facit etiam communis Theologorum ſententia, & ſpeciatim diui Thomæ, non ſolum hoc loco, ſed etiam libro primo contra Gentes. Adde præterea, quod cum certiſſimum ſit eas procedere ex falſa philoſophia, & peccare vel in materia, vel in forma, poterit proculdubio vir doctus per ſcientiā naturalem eas euidenter diluere. Vt exempli gratia: probet philoſophus ex nihilo nihil fieri, & reſurrectionem eſſe impoſſibilem: ſoluet Theologus primam rationem dicendo, Deum, qui eſt agens perfectiſſimum & omnipotēs, nō egere materia; qua ſi egeret, eſſet impotens, imperfectus, & penderet a creatura. Soluet

q. 1. prol. ar. 2.

Cap. 7. Franc. Zum.

Soluet alteram, dicendo, hominē debere potiri ſuo fine, & ſua beatitudine, quæ eſt animę cōmunis cũ corpore. Itaq; ſi doctus Theologus, vel antecedens, vel conſequentiam neget, afferatq; euidentē inſtantiam, quã ſcientiarum, & ſpeciatim Dialecticę auxilio afferre poteſt, falſam argumētationē, rem in principia veræ philoſophiæ reſoluendo, poterit euidenter ſoluere. Septima cōcluſio: Ratione naturali poteſt doctus Theologus indirecte demonſtrare nullam fidei veritatem, ſecundum philoſophiam, eſſe falſam: Quod dixerim contra eundem Durãdum. Nam omnis ratio, quæ probat aliquem fidei articulũ eſſe impoſſibilem, probat eundem eſſe falſum: ſed euidenter probare poſſum talem rationem non concludere, & eſſe ſolubilem; ergo euidenter ſcire poſſum articulum nō eſſe falſum. Cum autem dico indirecte, intelligo per rationem extrinſecam: quia probare directe, eſt per ea, quæ ſunt rei intrinſeca, aliquid demonſtrare. Itaque, quando viro chriſtiano cum infideli diſputandum erit: primum demonſtrabit argumentum nihil neceſſario concludere: deinde, oſtendet ex illo falſo principio, quo infidelis vtitur aliqua abſurda enaſci: tandem, etiam ſi neſciat rationem ſoluere, non ideo erubeſcat, aut vacillet, fidemve neget, cum multa ſint argumenta ſophiſtica in humanis ſciētijs, quæ extricari nequeũt. Memineritq; eſſe hominis parum prudentis, relinquere agnitam veritatem, ea de cauſſa, quod quæ afferuntur in contrarium ſophiſmata ſoluere nō queat. Octaua concluſio: Poteſt Theologus euidenter demonſtrare, ea quæ ſunt noſtræ fidei eſſe euidenter credibilia. Hæc concluſio paullo inferius a nobis probabitur. Nona concluſio: cum Theologo conceditur aliquod principium proprium, contra aduerſarium, non ſolum probabiliter, ſed etiam neceſſario poteſt aliquid demonſtrare. Quare, ſi cum Iudæo, vel cum Hæretico diſputationem habeat, poterit eũ neceſſario ex principio conceſſo conuincere, vt Chriſtus diſputando cum Iudæis fecit. Itaque Theologiæ candidatus, contra negantes propria principia probabiliter, at contra eos, qui aliqua principia concedunt, etiam neceſſario diſputare poterit. Quare, cum diuus Thomas in articulo octauo ait, contra concedentes principia licere argumentari, non ſolum intelligit de argumētatione probabili, ſed etiam de neceſſaria: at, cum contra negantes omnia principia nos nō poſſe argumentari affirmat, intelligit de argumentatione neceſſaria. Et quoniam per has concluſiones propoſitæ difficultati ſatisfactum eſſe putamus, reſtat vt ad argumenta in contrarium allata reſpondeamus. Ad primum, reſpōdent Thomæi, ſanctum Doctorem cum principia Theologiæ probat, non afferre demonſtrationes, ſed ſolum rationes probabiles, quæ ad perſuadēdum valent: cum autem hoc loco ait, non poſſe probari, intelligit demonſtratiue. Ad ſecun-

ſecundum, cum Paulus reſurrectionem probat, arguit contra eos, qui eam negabant, & concedebant Chriſtum reſurrexiſſe, ex qua conceſſione inducebat quoddam inconueniens, quod ni eſſet reſurrectio, non eſſet verum, quod ſcriptura ait, mortem fuiſſe victam. Neque conſequentia, quam Paulus facit, eſt euidens lumine ſolo naturali, ſed ex ſuppoſitione, quod ſcilicet Chriſtus, qui eſt caput reſurgentium, ſurrexerit. Sed dices, cur diuus Thomas attulit hoc exemplum ex Paulo, ad probandum ſacram doctrinam nō eſſe argumentatiuam, cum potius ex eo contrarium probetur? Dicerem, ideo attuliſſe, vt oſtēderet quo pacto argumentari poſſimus contra negantes principia, ad ea defendenda, & vt nos doceret, qua ratione ex diuina ſcriptura argumenta ſumantur. Tertium argumentum ſolum probat, nos poſſe afferre rationes probabiles ad perſuadendum, quę ſunt fidei, non autem ad demonſtrandum. Ex quibus etiam patet quid ſit dicendum ad quartum.

Oſe. 13.

*De certitudine principiorum ſacræ Theologiæ. Cap. XI.*

QVAMVIS de propoſita quæſtione in tractatione de fide diſputari ſoleat: tamen, hæc difficultas nullo modo a noſtro inſtituto, quod eſt ſacræ Theologiæ naturā explicare, aliena cenſenda eſt. Nanque, demonſtrata principiorum



piorum certitudine, demonſtratur etiam doctrinæ, quæ ex principijs colligitur, firmitudo; quæ ad perfectam rationem ſcientię neceſſaria putatur. Et quamuis longam hic poſſem diſputationem habere: tamen breuitatis memor, quæ fuſius dici poſſent, in pauca conferam. Omiſſis itaq; opinionibus, quas tamen docendo inſinuabo, noranda quædam proponam, ex quibus, cōcluſiones propoſitam difficultatem explicantes, colligam. Quod primo loco notandum occurrit, eſt, vt explicemus, quid & quotuplex ſit certitudo. Certitudo ergo, ſi proprie loqui velimus, differt a firmitudine, ſeu adhæſione. Nam certitudo nihil aliud eſt, quam infallibilitas, ſeu infallibilis cognitio: ſiquidem ea dicitur certa cognitio, per quam falli non poſſumus; cuiuſmodi eſt certitudo ſcientiæ. Firmitas vero nihil aliud eſt, quam tenacitas aſſentiendi, qua firmiter alicui rei aſſentimur, & tenaciter aliquid credimus. In hac tamen diſputatione confundimus has duas voces, ſumendo certitudinē pro adhæſione & tenacitate, & contra. Nec deſunt, qui dicant, certitudinem vtrunque includere ſcilicet infallibilitatem, & firmitatem: ideo ſic definiri ſolet: Certitudo eſt firma adhæſio intellectus in ordinē ad aliquod obiectum verum. Ex qua deſcriptione, quæ eſt diui Thomæ, hæc inferuntur. Primum, certitudinem duos includere reſpectus, alterum ad intellectum adhærentem, alterum vero ad obiectū verum: ita vt, ſi ex his duobus

duobus alterum deſit, non ſit vera certitudo. Secundo infertur in hæreticis non eſſe veram certitudinem, dum perſeuerāt in ſuis erroribus, ſed potius pertinaciam, cum ad res falſas adhæreſcant. Poſtremo, cum certitudo has duas cōditiones includat, fieri poteſt, vt vna veritas ſuperet aliam in vna, in altera vero ab alia veritate ſuperetur. Eſt autem certitudo duplex: altera ſpeculationis, quę ex ſolo intellectu, nulla cauſſa extrinſeca iuuante oritur; qualis eſt certitudo ſcientiæ, & primorum principiorum. Altera adhæſionis, quæ nō ſolum ab intellectu pendet, ſed etiam ab aliqua cauſſa extrinſeca, vt eſt certitudo, ſeu firmitudo fidei, quæ etiam a voluntate procedit. Vnde, cum quæritur de certitudine alicuius habitus, vel ſcientiæ, poteſt intelligi, vel de certitudine ſpeculationis, vel adhæſionis. Rurſus certitudo triplex eſt, alia eſt certitudo rei ex parte obiecti, vel ſecundū illud eſſe quod habet, uel ut dicit ordinem ad intellectum diuinum, a quo omnia habent eſſe, & conſequenter certitudinem: quæ certitudo poteſt ſtare cum noſtra opinione: quia huiuſmodi certitudo ex ſe nihil præſtat intellectui: quo fit vt de re certa poſſit aliquis opinionem habere: & hæc certitudo conſiſtit in indiuiſibili. Alia eſt certitudo ex parte cognoſcentis, quæ eſt ipſa adhærentia, per quam aliquis pro ſua voluntate, ſeu pertinacia, rem aliquam certam eſſe affirmat: qualis eſſe ſolet in hæreticis, qui ſuis erroribus pertina-

tina-



tinaciter adhærent: & hæc poteſt eſſe maior, vel minor, pro voluntate hominis aſſentientis. Tertia eſt certitudo aſſenſus, quæ oritur ex ratione formali obiecti, & ex lumine & habitu inclināte intellectum ad aſſenſionem. Hæc etiam, ratione eiuſdem obiecti, prout formalis aſſentiendi ratio fuerit magis vel minus percepta, aut applicata, poteſt eſſe maior, vel minor. Quando igitur fit comparatio certitudinis, debet intelligi de certitudine tertio modo ſumpta, quæ habetur ex ratione formali illius habitus, ſeu luminis, per quod gignitur certitudo: & hæc de primo notando. Notandum deinde eſt, triplex eſſe lumē per quod in hac vita in nobis aliquis producitur aſſenſus: vnum naturale, quo aſſentimur primis principijs: aliud ſcientificum de nouo acquiſitum, per quod aſſentimur concluſionibus: quo lumine carent, qui ſcientias non didicerunt: tertium, eſt lumen ſupernaturale fidei ex ſpeciali dono nobis a Deo conceſſum, quo rebus ſupernaturalibus præbemus aſſenſum. Hæc tria lumina ita ſe habent, vt naturale maiorem vim habeat, quam acquiſitum: & ideo Ariſtoteles aiebat, nos aſſentiri concluſionibus ob principiorum veritatem: & eorum eſſe aliquam doctrinam præſtantiorem, ſcientia. At vero lumen fidei vtrunque lumen ſuperat, cum ſit maior quædam participatio diuini luminis, & per hoc Deus immediatius nobiſcum loquatur: ita vt magis aſſentiendum & adhæreſcendum ſit

L. 1. poſt.

ijs,

ijs, ad quæ lumen diuinum, quam ijs, ad quæ lumen naturale inclinat: quæ res hoc aptiſſimo ſimili explicari poteſt. Si eſſent duo, quorum alter obtuſam haberet oculorum aciem, alter vero peracutam: & ambo aliquid a longe proſpicerent: & ille diceret eſſe columnam, hic vero hominem: proculdubio ſtultus eſſet, qui minore vteretur lumine, ſi ei, quem acutius videre pro certo habet, non magis, quam ſibijpſi crederet. Ad rem, cum nos videamus per lumen fidei, videmus quodammodo per oculos Dei, vel Deus videt in nobis: cum uero lumine naturali, uel ſcientifico utimur, oculis noſtris uidemus. Quo fit, ut ex ui atque natura ſua maiorem certitudinem, & aſſenſionem lumen fidei in nobis efficiat, quam quodcunque aliud lumen. Tertium notandum, in quo explicabitur, cur, cum fidei lumen ſit ita efficax, ut omne aliud participatum lumen in hac uita ſuperet, contingat, ut fideles patiantur ſcrupulos, ut dubitent, & aliquando a fide recedant, quod non contingit in cognitione principiorum, & concluſionum per ſcientiam cognitarum. Animaduertendum itaque eſt, in hoc differre lumen naturale a lumine fidei, quod illud neceſſario in natura recipitur, ſeu naturam ſequitur; non ſecus ac lumen ſolis, eiuſdem ſolis exiſtentiam: ex quo etiam lumine neceſſario ſcientiæ lumen naſcitur. Quo fit, ut hæc lumina, uelit nolit homo, ſuum in ipſo producant effectum, certam nimirum aſſenſionem



ſionem circa eas ueritates, quæ his luminibus cognoſcuntur. At uero lumen fidei, non conſequitur naturam, nec neceſſario in ea recipitur, ſed a Deo extrinſecus infunditur, cum noſtræ uoluntatis conſenſu, ita ut poſſit eſſe maius, & minus, & maiorem, uel minorem producere aſſenſionẽ, prout quis eſt magis uel minus ad hoc lumen recipiendum diſpoſitus. Cuius luminis augmentum & magnitudo potiſſimum ab ipſo
Deo pendet. Ideo aliquando apoſtoli, cum non Luc.17.
dum eſſent hoc lumine plene illuſtrati, Chriſto Mat.17.
dicebant, Adauge nobis fidem. Hinc naſcitur, ut, ſecundum quod quis hoc lumine magis, uel minus utitur, clarius, uel minus clare uideat, uel ueritati creditæ adhæreſcat. Cum ergo humanus intellectus ex ſe ſolo non pertingat ad ueritates fidei, quæ eius aciem ſuperant, & idcirco eget lumine extrinſeco, quod uoluntarie recipit, eoque uoluntarie utitur; cumque hoc lumen ratione noſtri ſit obſcurum, nec enim clare rem demonſtrat, ſed opus eſt, ut intellectus a uoluntate ad aſſentiẽdum inflectatur; propterea in eo, in quo reperitur, dubitatio ſuboriri poteſt: non quod lumen ex ſe non ſit maius, & efficacius, alijs luminibus; ſed quia eius receptio, & uſus ſunt in libera uoluntate poſita. Quare, ſi luminis naturalis, & ſcientiæ uſus in noſtra eſſet poteſtate, pari ratione in ijs, quæ ſub his luminibus continentur, dubitationes ſuboriri poſſent. Itaque cum ad intelligendum duo concurrant, res

intelligenda,ſiue obiectum, & uia per quam intellectus in obiectum ducitur, quæ eſt lumen aliquod, ſiue diſcurſus: hinc eſt, quod intellectus a rebus fidei poteſt diſſentire, quod in eas, non ſuis, ſed uoluntatis, ut ita dicam, pedibus, peruenit. His ita adnotatis, ſequentibus concluſionibus propoſitæ difficultati ſatisfacio. Prima concluſio: Fides ſecundum ſe, & ex parte rationis formalis, id eſt, ex parte medij, & auctoritatis diuinæ cui innititur, & per quam credit, eſt magis certa & firma, quã quæuis alia cognitio, ſiue ſit ſcientiæ, ſiue primorum principiorum. Hanc rationem, ſi uir fidelis ſpectet, magis debet pro certo habere Deum eſſe Trinum & unum, quam quod ipſe uiuat. Eſt hæc doctrina contra opinionem Durandi, qui aliter ſentit, cuius opinionem erroneam eſſe puto: noſtra autem ſententia, quæ eſt communis, his rationibus breuiter comprobatur. Primum auctorirate Chriſti dicentis, Cœlum & terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt. Si cœli potius poſſunt deficere, ac conſequenter eorum ſcientia, & quæ ſub fidem cadunt, non ita; fidei certitudo, ex hac parte, erit longe maior, quam quæuis alia: hic autẽ locus intelligendus eſt de firmitate ex parte dicentis & rationis formalis fidei. Sicuti etiã hic alius apud diuum Petrum, cum ait, Habebemus firmiorem propheticum ſermonem, & quæ ſequuntur. Diuus etiam Paulus in epiſtola ad Gallatas hanc fidei certitudinem non modo humanæ,

[Margin: Supra li. 2.c.7. — 3.ſent. d. 23. q.3. — Luc.21. — 2. Pet. 1. — Cap.1.]



humanæ, ſed etiam angelicæ ſcientiæ prætulit, cum dixit: ſed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet nobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Deinde, confirmari poſſet multorum patrum auctoritatibus, quas breuitatis ſtudio, in præſentia non referam, cum in re omnino certa verſemur. Mitto igitur Dionyſij Areopagitæ, Clementis Alexandrini, qui non vno in hoc hanc veritatem docuit, diui Auguſtini, Baſilij, & denique Chryſoſtomi auctoritatem. Ad quorum patrum ſententiam accedit communis Scholaſticorum opinio. Quare contraria ſententia a temeritate excuſari non poteſt. Poſtremo, confirmatur ratione: quia impoſſibile eſt Deum mentiri, & nos illuminare ad aſſentiendum falſo: at non eſt impoſſibile hominem decipi, etiam in rebus clariſſimis, igitur. Secunda concluſio: Certitudo ex parte adhæſionis, & quatenus includit voluntatis concurſum, in ipſis fidelibus poteſt ſuperare, & ex ſe ſuperat omnem aliam humanam certitudinem. Eſt hæc concluſio contra doctrinam Durandi, Capreoli, & Caietani: quæ his rationibus confirmatur. Primum hæc veritas habetur expreſſe in ſacris literis, in quibus fides appellatur Dei potentia, & virtus: & ob eius vim atque efficacitatem, quam exercet in animis fidelium, grano ſinapis cõparatur. Huc facit illud Iſaiæ, quo ad hanc veritatem cõfirmandam vtitur Paulus: Perdam ſapientiã ſapientium, & prudentiã prudentium

[Margin: Cap. 1. Cap.7.de diu.nom. Lib. 2. & 7. Strom. Hom.1.in Gen. In epiſto. ad Hebr. c. 11. — D. Bona. in Breuil. — 1. Cor.2. 2.Cor.10. — Iſa.33. 1. Cor.1. 2. Cor.8.]

dentium reprobabo: quo nam modo Deus per-
didit ſapientiam, niſi quod per maius fidei lu-
men huius mundi ſapientes illuſtrati, magis cre
diderunt, quæ fides eos docuit, quam quæ ſcien-
tiæ lumen eis demonſtrabat? quo lumine robo-
rati ea ſine ratione humana crediderunt, quæ
alias ſtulta eſſe exiſtimarunt. Huc etiam facit
illuſtre illud exemplum Abrahæ omnium cre-
Rom. 4. dentium patris, qui contra ſpem in ſpem credi-
Gen. 17. dit, id eſt, qui contra perſuaſionem humanam,
quam de vxoris ſterilitate habebat, credidit
eius futuram fœcunditatem. Idem eiuſdem lu-
minis efficacitate motus, uoluit filium immo-
lare, certiſſimus, ſi eum necaſſet, fore vt Deus in
Cap. 11. vitam eum reuocaret, vt epiſtola ad Hebræos
non obſcure docet Apoſtolus: apud quem vide-
re poteris, quãta ſit fidei certitudo per exempla,
& effectus, quos ibi ipſe recenſet. Quo etiam
pertinet Martyrum conſtantia, Virginum forti-
tudo aduerſus omnem humanam ſapientiam,
violentiam, & cruciatus omnes: quod certi eſ-
ſent de futura beatitudine, & corporis reſurre-
ctione. Tanta itaque eſt fidei vis, tantumque
robur, vt omnem humanam ſapientiam, mun-
dum, ac etiam Dæmones ipſos vincat. Propte-
rea Petrus apoſtolus cõtra rugientem & circum
euntem leonem, nos fide armauit, cum dixit:
1.Pet.5. Cui reſiſtite fortes in fide. Sciebat enim Domi-
num dixiſſe; tantam eſſe fidei potentiam, vt cõ-
tra eam portæ inferi præualere non queant. Huc
etiam



etiam pertinet, quod dicitur, fidem mundum
vincere. Deinde confirmatur auctoritate ſan- Luc. 12.
ctorum patrum quos, ſupra citaui, qui ſpecia- Chryſoſt.
tim de hac certitudine adhæſionis ſermonẽ ha- hom.4.ad
buerunt: ex quibus multos alios hic citarem, ſi Coloſ.
longior eſſe vellem; ſed lector eorum legat mo- Orig.ho-
numenta, ex quibus maximam conſolationem mil. 8. in
capiet. Adde patrum auctoritati communio- Geneſ.
rem Scholaſticorum ſententiam, quæ huic veri- Ber.ep.90
tati ſubſcribit: a qua non puto eſſe alienum di- Bonau.
uum Thomam, cum in tertium ſententiarum, Marſ.
& in quæſtione decimaquarta de veritate, hoc Gabr.
expreſſe docuerit. Et licet multis rationibus 3.S.d.23.
corroborari poſſet, vna tamen, vel altera conten- q.2. ar.2.
tus ero. Primum, vir fidelis certo ſcit lumen quæſtiũc.
naturale poſſe deficere, diuinum vero non ita, 3.
ergo magis huic lumini, quam illi innititur. De-
inde, vir fidelis paratus eſt ad negandam omnẽ
demonſtrationem & ſciẽtiam, & etiam ſenſum
ipſum, vt patet ſpeciatim in ijs quæ credit de
ſacramento Euchariſtiæ, ergo nulli veritati ma-
gis adhæret, quam ei, quæ ſub fidem cadit. Con-
firmatur, fides corrigit omnes humanas ſcien-
tias, tum ſpeculatiuas, tum practicas, vt ſupra
ſcripſimus: illis igitur debet eſſe certior. Poſtre-
mo, potuit dare Deus huic lumini talem vim,
idque neceſſarium fuit, vt fideles omnia huma-
næ ſapientiæ ſophiſmata contemnerent, & om-
nes cruciatus ſuperarent, ad retinendam doctri-
nam, ſine qua ſalutem conſequi nõ poſſunt, igi-

 tur

tur Deus hanc vim huic lumini tribuit. Tertia concluſio: Si loquamur de certitudine, ſeu firmitudine ſpeculatiua, quæ ſe tenet ſolum ex parte intellectus, ſecluſa voluntate, certitudo fidei non eſt maior, omni alia certitudine. Hæc concluſio eſt manifeſta: quia fides ſpeculatiue non excludit omne dubium, ſicuti facit ſcientia, & principiorum notitia. Sed hoc loco animaduertendum eſt, quoſdam doctores concedere fidem admittere aliquod dubium, non tamen tale, quod ſit contrarium fidei, vel fidei actum ſuſpendat. Ita Scotus, & eius ſectator Gabriel. At vero Adrianus putat hanc ſententiam eſſe falſiſſimam, & ideo affirmat, fidem excludere omnẽ dubitationem. Tu vero hunc in modum hanc dubitationem dirimeres. Cum ad actum fidei duæ concurrant cauſſæ, nimirum intellectus, & voluntas, ſi ſuboriantur dubia, & ſcrupuli ex parte intellectus, nõ accedente voluntate, nihil detrimenti patitur fides: immo huiuſmodi dubia, ſi patienter ferantur, merendi materiam ſumminiſtrant: ſi autem oriantur ex parte voluntatis, ita vt homo libere dubitare velit, tunc procul dubio tollitur fides. Poteſt itaque fieri, vt quis patiatur dubia, ſed non ſua ſponte, & tamen cõſtantiſſime credat. Et his concluſionibus huic difficultati ſatisfactum ſit. Ex quibus colligere licet, verum eſſe, quod ſupra docuimus, Theologiam ex parte certitudinis omnem ſuperare ſcientiam, cum ex ijs principijs colligatur, quibus

3. S. d. 23. & 24.



bus certiſſime & conſtantiſſime adhæreſcimus. Et quoniam dubitationes quæ fieri contra noſtram ſententiam poſſent, facile ex dictis ſolueres, nihil eſt, cur eas in mediũ afferamus, & diſſoluamus. Sequitur ergo, vt nonnulla capita breuiter attingamus, ex quibus, quæ fide tenentur, eſſe euidenter credibilia demonſtretur: vt his cognitis bonus Theologus, & vir fidelis tenacius ſuis principijs & catholicæ veritati adhęreſcant.

*Afferuntur aliquot rationum capita, quibus demonſtratur doctrinam Chriſtianam eſſe diuinitus datam, & eſſe euidenter credibilem, & dignam quæ ab omnibus recipiatur. Cap. XII.*

INTEGRUM profecto volumen de ſuſcepta conficerem materia, ſi omnia quæ de ea poſſem literis commendare, huc afferre vellem. Vt itaque in ſuſcepta ſcribendi ratione perſiſtam, breuiter fontes ipſos, ſeu capita proponam, vnde rationes ſumi poſſunt ad demonſtrandum, nihil eſſe Chriſtiana doctrina credibilius. Primum caput, ex veris miraculis in confirmationem huius doctrinæ factis, quæ a ſolo Deo fieri poſſunt, qui mentiri, & decipere nequit. In quibus animaduerteres numerum, diuerſitatem, magnitudinem, tempus, modum, cauſſam, & perſonas. Secundum caput, ex prophetijs; quia, quæ

Lact. Fir. Gregor. hom. 6. in Ezech. Aug. li. 4. de ciuit. c. 34. Euſ. Cęſ. in proœ. hiſt. eccl. Sap. 10.

quæ in Chriſtiana philoſophia traduntur, multo ante, & a prophetis, & a ſybillis fuere prædicta: at futura prædicere ſolius Dei eſt propriũ, ſicuti & vera dicere: erit igitur hæc doctrina a Deo, & propterea digna quæ recipiatur. Tertium caput, ab antiquitate, quia hæc doctrina, quod ad eius ſubſtantiam attinet, fuit a principio mundi, & per eam ſalui facti ſunt omnes, qui ab orbis creatione Deo placuerunt: & nullam aliam inuenies doctrinam hac noſtra antiquiorem: a qua omnes aliæ diſciplinæ aliquid acceperunt. Quartum, ex duratione, quia ſemper durauit, & nunquã omnino ceſſauit, vt omnes aliæ diſciplinæ: cum tamen vniuerſus orbis terrarum, & portæ inferi ad eam euertendam, omnes ſuas vires contenderint. Quinctum, ex propagatione, quia hæc vnica doctrina ad omnes totius mundi penetrauit nationes; quod de nulla alia affirmare licet: quare, digniſſima eſt, quæ recipiatur. Sextum, ex huius doctrinæ integritate, quia nihil contra Deum, nihil contra mores, docet: omnia vitia damnat, omnes virtutes approbat, & veram beatitudinem proponit, ad quam conſequendam viam oſtendit, & vires præſtat. Septimum, ex eo, quod hæc doctrina eſt ſibi conſentiens, nullam continet pugnantiam, licet multa altiſſima myſteria tractet, & per varios homines, diuerſis temporibus ſcripta fuerit. Octauum, ex diuerſitate hominum, qui hanc doctrinam receperunt, qui fuerunt diuerſarum

Tertul. li. de pręſcr.

Eucher. i orat. parę netica.

Aug. lib. 2. de ciu. c. 28.

Grego. c. 25. in Iob

Augu. de ciu. c. 21.



uerſarum nationum, ſectarum, & morum; & tamen in ea admittenda inter ſe conuenerunt: qui profecto conſenſus non poteſt eſſe niſi a ſupernaturali ui. Nonum, ab integritate vitæ eorum, qui hanc doctrinam ſequuntur, & ex ea viuunt: qui, vt etiam Alienigenæ & aduerſarij fatentur congruenter naturæ viuunt, & inculpatam vitam traducunt, ac propterea olim Gentes admirabantur cum viderent noſtros recte vire, ac dicebant, Qui ſunt iſti, qui ea faciunt, quæ docent? Decimum, a conditione eorum hominũ, qui hanc diſciplinam amplexati ſunt: quia viri ſapientes, philoſophi, nobiles, potentes, Reges, & Imperatores, ſuis relictis ſectis, & opinionibus, huic doctrinæ ſeſe ſubiecerunt. Vndecimũ, ex modo quo introducta fuit: cum ſine verborum fuco, ſine vlla violentia, ſine vlla promiſſione humanorum bonorũ, ab hominibus alias indoctis, pauperibus, & humili loco natis tradita fuerit: qui magiſtri, hominem cruci affixum ſequendum omnibus vitæ commodis poſthabitis, proponebant: & tamen hanc doctrinam vniuerſo terrarum orbi perſuaſerunt. Poſtremo, vt multa alia capita omittamus, optima ratio ſumitur ab effectis, quos hęc doctrina in ijs procreat, qui eam amplectuntur: nam mentem illuminat, affectum inflammat, animum trãquillat, vires ad bene agendum corroborat, & hominem alias flagitioſiſſimum, & omni vitiorum genere corruptum bonum, ac integrum reddit.

Tertul. in apol. Ioſephus Hebr. Plinius. epiſ. ad Trai.

Tacian. orat. contra Græcos.

Lact. Fir.

Conclu-

Concludere ergo cum propheta licet. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, hoc eſt valde. Et hæc breuiter de hac re, ad alium locum magis pertinente, dixiſſe volui: plura qui cupiet hos, quos citabo conſulat auctores. Legendus ergo eſt Ficinus, libello de religione Chriſtiana: Sauonarola libro de triumpho crucis: Franciſcus Picus libro de fide & ordine credendorum: Medina de recta in Deum fide, qui fuſe per duodecim capita hac de re diſputat: Dionyſius Carthuſianus in opuſculo de hac materia, quod habetur in ſecundo tomo opuſculorum eius: & denique aliquot Scholaſtici in prologum Sententiarum: vt omittam antiquos patres, qui admonitorios, & apologeticos libros contra gentiles ſcripſerunt, & nonnullos alios ſcriptores, quos alias in noſtris inſtitutionibus citabimus. Explicatis itaque ſacræ Theologiæ principijs, ad eius quæſtiones, ſeu propoſitiones explicandas tranſeamus.

Tertul. Iuſtin. Euſeb. de Præpar.

*Afferuntur nonnullæ diſtinctiones ad explicanda varia quæſtionum genera, & quid ſit quæſtio docetur. Cap. XIII.*

Luc. 1. 2. & 20. Ioan. 5. Eccl. 3. 1. Reg. 2.

SACRÆ atque diuinæ literæ, nunc otioſos & oſcitantes homines ad rerum diuinarum inquiſitionem ſcrutationemq; hortantur, atque inuitant: nunc vero importunos & curioſos earundem rerum inquiſitores reprehendunt, & ab inqui-



inquirendo deterrent; id quod etiam ſancti patres, vt ex ijs, quæ ſupra ſcripſimus, manifeſte apparet, facere conſueuere, ex quo non obſcure colligitur aliquem in rebus diuinis tractãdis, & quærendis modum adhibendum eſſe: ita vt non quæcunque quæſtio laudanda, nec quęlibet vituperanda ſit. Cum itaq; in re theologica aliquis habendus ſit quęſtionum delectus, ne in alterum extremum, aut nihil, aut nimium quærendo, delabamur, quæ a pio prudentiq; Theologo quærenda, quæve ſilentio inuoluenda ſint, manifeſtare operæpretium erit. Varijs itaque ſignificationibus, quas habet hæc vox, quæſtio, ac etiam varijs quæſtionum diuiſionibus, quæ a Dialecticis & Rhetoribus accurate traduntur, ac explicantur, omiſſis, nos hoc loco, quæ quæſtiones laudabiles, quæ vero vituperabiles, ſeu quæ tractandæ, & quæ omittendæ a Theologo ſint, breuiter explicaturi ſumus. Nomine autem quæſtionis, vt id vno verbo dicamus, intelligimus rei incertæ, atque dubiæ inquiſitionem. Quæſtio itaque eſt illa propoſitio, qua aliquid dubium ad probandum cũ interrogatione proponitur: eadem cum fuerit per aliquod mediũ probata, dicitur cõcluſio. Qui de quæſtionũ natura, diuiſione, & varietate cognoſcere aliquid cupit, quæ nos libro primo de Inuẽtione ſcripſimus, ea legat. Vt autẽ facile, atque dilucide, quæ dicturi ſumus doceamus, quaſdam diſtinctiones in medium primum afferemus: poſtea per varias

1. Tim. 1. 2. & 6.

varias concluſiones rem omnẽ explanabimus, ac ſi quæ ſunt dubitationes vltimo loco diſſoluemus. Prima diſtinctio, in omni quęſtione conſtituenda duo ſpectare poſſumus, rem ſcilicet de qua quęritur, & perſonam quę, vel inquirit, vel quæſtionem explicat. Nomine aut rei, non ſolum ipſum quęſitum intelligi volumus, ſed etiam quidquid ad rem propoſitam explicandam pertinet, vt eſt medium, quod ad quęſtionem diſſoluendam ſumitur. Quare, omnis in quęrendo culpa, vel ex quęſito, vel ex perſona, vel ex medio nobis ſpectanda erit. Secunda diſtinctio, id, quo de quęritur, aut eſt omnino per ſe notum, vt eſt id, quod vel rationi eſt omnino perſpectum, vt ſi quęratur, an ignis ſit calidus, & an duo & tria faciant quinque: vel eſt prorſus ignotum, ita vt nulla ratione, ac uia cognoſci poſſit: uel denique eſt huiuſmodi quod licet ſit ignotum, tamen aliqua inueſtigatione fieri poteſt notum. Rurſus, in eo quod quęritur poſſumus ſpectare, tum honeſtatem, cum ſolum honeſta perconctari liceat, tum utilitatem, cum id quęrere debeamus, cuius inuentio ſit futura utilis. Tertia diſtinctio, in quęſtione poſſumus ſpectare duo, & nomen rei, de qua quęritur, & rei naturam: quo fit, vt etiam ex parte nominis aliqua quęſtio laudabilis, aut uituperabilis dici queat: cum has quęſtiones interdũ laudari, interdum uero uituperari uideamus. Vt autem quę ſit laudabilis de uocabulis quęſtio,

Clẽ. Alc. li. 5. ſtro.



ſtio, quæ vero vituperatione digna intelligatur, animaduertendum eſt; an nomina immutata, vel noue prolata idem penitus quod nomina antiqua a ſcriptura, vel ab Eccleſia vſurpata, ſignificent, an aliquid diuerſum: ſi idem prorſus ſignificant, vel id eſt incertum, vel certum: erit autem certum, vel Eccleſiæ auctoritate, vel euidenti aliqua ratione. Vt quod hoc nomen homouſion idem ſignificet, quod, Ego & Pater vnum ſumus, & hoc nomen Theotocos, idem quod, Dei Mater, ſeu Deipara, certum eſt auctoritate Eccleſiæ: quod autem bis ſex, idem ſignificet, quod, duodecim, ipſa ratione manifeſtum eſt. Si nomen aliquid diuerſum ab vſitatis & veteribus vocibus ſignificat, ſimiliter, aut id eſt certum, aut ambiguum: vt ſi nomen haberet varias ſignificationes, & dubium eſſet, an cum diuina ſcriptura, & traditione, vſuq; bonorum doctorum conueniret. Quarta diſtinctio, cum omnis quæſtio ſit de medio, vt Ariſtoteles docuit, quod medium ad quæſtionem probandam accommodatum eſſe debet, ex hac parte quęſtio poteſt reddi vitioſa, vel quia medium ſua natura non eſt idoneum ad id probandum, ad quod aſſumitur, vt, ſi quę ſenſum omnino ſuperant, velles probare per ea, quæ ſenſibus ſunt ſubiecta: vel quia inter ipſos diſceptantes de medio non conuenit: vt ſi per auctoritatem Eccleſiæ probares aliquid contra philoſophum qui talem auctoritatem negat. Quincta diſtinctio, ex parte perſonæ

perſonæ quærentis poſſumus eius propoſitum, ſiue intentionem ſpectare; quæ intentio, vel eſt ordinata ad inquirendã veritatem, vel ad oſtentationem ingenij, & ad inanem gloriam aucupandam; vel ad contentionis, & rixæ ſtudium, vt aliena dicta vellicet, & mordeat. Sexta diſtinctio, ad cognoſcendam quæſtionis laudem, & vituperationem oportet rem ipſam de qua quæritur, cum perſona, tum proponente, tum reſpondente conferre; & ita ex rerum & perſonarum varietate aliqua diſceptatio poteſt, vel honeſtatis, vel turpitudinis nomen mereri: huc etiam pertinet temporum, & locorum conſideratio.
Prou. 26. Vnde ſapiens aliquando reſpondendum eſſe ſtulto, alias non reſpondendum eſſe dixit. Poteſt itaque conditio tum perſonæ, tum tẽporis, tum loci, quæſtionem alias non culpabilem, culpabilem reddere, vt poſtea planius dicetur. Poſtrema diſtinctio, quæſtiones earum rerum, quæ in diſputationem veniunt, aliæ ſunt quæ ſenſu & ratione inueſtigari poſſunt, vt ſunt quę in humanis ſcientijs tractantur: aliæ vero, quæ ſolo lumine fidei percipiuntur: quarum aliæ ad fidei elementa & principia explicanda pertinent, & ab omnibus aliqua parte cognoſci poſſunt, ac debent, aliæ vero quæ ex principijs fidei ducuntur, & quæ ad reddendam rationem de ea, quæ in nobis eſt fide ſpectant: vt ſunt, quæ proprie facultati Theologicæ ſubijciuntur: demum aliæ ſunt, quæ in hac vita ingenij humani imbe-

cillitate



cillitate percipi nequeunt, ſed percipiendæ beatis in cœlo reſeruantur. His ita adnotatis diſtinctionibus, quæ quęſtiones ſint laudabiles, quę vero culpabiles, & quę Theologię, proprię, & quę a Theologia alienę quibuſdam concluſionibus, pręter ea, quę ſupra de varietate quęſtionum Theologicarum diximus, facile deinceps Li. 1. c. 6.
aperiemus, ſi prius hanc vnã concluſionem, quaſi omnium aliarum fundamentum, hoc capite propoſuerimus. Sit ergo talis concluſio: Quęſtionum tractatio in eo rerum genere eſt reponenda, in quo res indifferentes ponuntur: hoc eſt, non omnes quęſtiones ſunt bonę, vel malę; ſed aliquę poſſunt eſſe bonę, aliquę malę. Confirmãt hoc dictum in primis illę diuinę ſcripturę auctoritates, quarum alię ad inquirendum inuitant, & quęrentes non damnant; alię vero Mat. 11.
quoſdam tanquam non bene quærentes vituperant. Quarum auctoritatum verba, nihil eſt cur Act. 1.
in medium afferam, cum in re manifeſta verſemur. Corroboratur deinde eadem doctrina ſanctorum patrum auctoritate: & vt e multis vnum, vel alterum afferam, Chriſtus, ait Grego- In Mat. c. 19.
rius Nazianzenus, quaſdam quęſtiones ſoluere, atque explicare ſolet, quaſdam comprimere, atque obſtruere: & addit, nos idem ad imitationem Chriſti facere debere. Quęſtio, vt ſcribit In 1. epiſt. ad.
Oecumenius, res media eſt, & indifferens; contingit enim & bene quęrere, & male quęrere. Ex qua doctrina inferre licet, ſacrę Theologię

candidato

candidato diligentiam adhibẽdam eſſe, vt quæſtionum varietatem cognoſcat, vt tandem ea tantum quærat, quæ ſibi quærenda ſunt: quod his luculentiſſimis verbis idem Gregorius faciendum monuit. Non immodico contentionis ſtudio finem imponemus? non cognoſcemus quænam quæſtiones a nobis percipi, ac comprehendi, & quatenus comprehendi poſſint? Quænam rurſus noſtram facultatem ſuperent? Quænam huius temporis ac terrenæ perturbationis, & confuſionis mentis noſtræ tenebras effundentis? Quænam rurſus futuri ſæculi cœleſtiſque libertatis, vt alijs tantiſper acquieſcamus, alijs purgemur, ac præparemur, veluti ijs poſtea initiandi deſiderijque finem habituri? Non apud noſmetipſos diſtinguemus quænam ſint huius generis, vt ne quærenda omnino ſint? Quænam mediocriter indaganda? Quænam contentioſis, & rixandi libidine flagrantibus concedenda, ac permittenda quoquo tandem modo ſe habeant, vtpote doctrinam noſtram nullo modo conuellentia? Quæ fidei ſoli donanda? Quæ rationibus quoque & argumentis? Quæ denique huiuſmodi ſint, vt pro ijs fortiter ſtrenueque decertandum ſit, rationibus tamen, non ferro atque armis. Hactenus Gregorius: cuius doctrinam nos paullo fuſius hoc loco explicaturi ſumus.

Orat. de pace.

*Quæ*



*Quæ nominum quæſtiones laudabiles, quæve vituperabiles ſint. Cap. XIIII.*

QVASDAM eſſe nominum quæſtiones friuolas, ac proinde reijciendas, manifeſta diui Pauli docet auctoritas. Quod vero aliquæ honeſte, & vtiliter quærantur, ſanctorum patrũ, ac doctorum vſus euidenter demonſtrat. Quæ igitur nominum quæſtiones tractari poſſint, & quæ vitari debeant, his concluſionibus aperiemus. Prima concluſio: Quæſtio nouarum vocum, quæ idem prorſus ſignificant, quod nomina vetuſtiora a diuinis literis, & a ſacris ſcriptoribus vſurpata; idque, vel ex approbatione & vſu Eccleſiæ, vel ex euidenti ratione certum eſt, ex parte eius, qui noua nomina impugnat, vituperabilis eſt: at vero ex parte alterius, qui nouum nomen retinet & defendit, laudabilis cenſeri debet. Hæc concluſio, & ſi ex diſtinctionibus ſupra allatis manifeſta ſit: tamen adhuc clarius explicabitur. Ergo, ſi quod nouum nomen introducatur quod apud ſacros ſcriptores non reperitur, & conſtet idem ſignificare, quod ſignificat aliud nomen, quod in canonicis ſcripturis habetur, vel idem, quod aliud nomen antiquitus vſurpatum, huiuſmodi nomen non eſt reijciendum, & qui retinendum eſſe contendit, laudabilem quæſtionem tractat: contra vero, qui refellit. Vt ſi proponatur quæſtio de voca-

Tit. 3.

Kk bulo,

bulo, homouſion, quod Arriani tanquam nouum reijciebant, & theotocon, quod Neſtoriani omnino reſpuendum eſſe contendebant. Hæc concluſio, quantum ad eas voces, quas idem ſignificare certa ratione conſtat, diui Dionyſij auctoritate confirmatur: qui irridens nouorum nominum calumniatores, ſic ſcribit. Quaſi non liceat, quattuor, per bis duo ſignificare. Huc pertinent etiam, hæc Gregorij Nazianzeni verba. Quid ſi te bis quinque, aut bis ſeptem dicente, decem, aut quattuordecim ex verbis tuis colligerem. Quantum vero ad ea nomina, quæ auctoritate Eccleſiæ, & doctorum vſu approbantur, vt ſunt duo nomina paullo ante allata, confirmatur primum Cyrilli Alexādrini ſententia, qui aliquādo dixit, nihil damni verbum ſecum afferre, ſi quidem veriſſimum fuerit, quod per id ſignificatur. Accedat deinde malleus hæreticorum Athanaſius, qui hac de re hunc in modū ſcripſit. Nihil refert, ſi quis voces in ſcriptura non repertas vſurpet, quandiu pias ſententias complectitur. Nomen, ait Hilarius, nihil habet criminis, quod ſenſum non perturbat religionis. Adde rurſus luculentam Gregorij Theologi ſententiam, quæ ita habet; Nec ſi quid aliud eorū, quæ, vel nullo modo, vel certe non ſatis aperte dicuntur, ex ſcriptura tamen intelligi, colligiq; reperirem, tam te ſycophantam pertimeſcerem, vt a pronuntiatione ipſa refugerem. Denique, vt alios omittam patres, Vigilius martyr ita hac de

De diuin. nom.

L. 1. dial. de Trin.

Epiſt. ad Synod. Arim.

L. de Syn.

Orat. 5. de Theol.

Vigilius.



de re ſcripſit. Eccleſiaſticæ ſemper moris fuit diſciplinæ, ſi quando hæreticorum noua doctrina exurgit, contra inſolentes quæſtionum nouitates, rebus immutabiliter permanentibus nominum vocabula immutare, & ſignificantius rerum naturas exprime, quę tamen exiſtentium cauſſarum veritatibus congruant, & quæ magis eaſdem antiquitus fuiſſe demonſtrent, non ortus nouitatem menſuret, & quæ ſequuntur. Secunda concluſio: Noua vocabula quæ expreſſe aliquid contrarium, aut diuerſum ijs quæ ſunt in ſacris literis, patrumve decretis, aut certe non ita bene eandem rem ſignificant, ſunt omnino tanquam impia & periculoſa explodenda: & qui ea explodit vtilem & laudabilem quæſtionem tractat, contra vero is qui ea introducit. Huius generis innumeras fere voces, vt veritates ipſas corrupant, & euertant his miſeris temporibus introduxerunt hæretici. Vt ecce: pro, Verbo, ſermonem: pro Eccleſia, congregationem: pro Sacramento, ſecretum: pro presbytero ſeniorem, pro crucifigere, ad palum alligare; & ſexcentas alias. Et hæ ſunt illæ verborum nouitates, quas beatus Apoſtolus vitandas eſſe dixit: non quaſcunque, ſed profanas, & quæ fidei puritatem violant: quas etiam Synodus Nicęna, referente Euſebio, iure optimo damnauit. De quibus legendus eſt aureus, & nunquam pro dignitate laudatus Vincentij Lirenēſis libellus. Tertia cōcluſio: Noua vocabula ambigua, ideſt, ea

diſp. inter Ar. & Atha.

Nicol. Sāderus. l. 2. de Schiſ. Anglic.

Aug. trac. 96. in Io.

Vinc. Lir.

ea de quibus non eſt certum, an aliquid contrarium, vel diuerſum ab ijs, quæ ſcriptura, aut Eccleſia docet, ſignificent, idque vel per Eccleſiæ auctoritatem, vel manifeſtam rationem, nõ poſſunt promiſcue a quouis ſine temeritate, & errandi periculo imponi, & vſurpari: Quod ſi quis huius generis vocabulo iam a patribus impoſito vteretur, id ei per nos liceat: modo parce, & abſque omni ſchiſmatis ſuſpicione faciat. Quæſtio igitur quæ oriretur de voce ambigua nuper impoſita, damnanda non eſſet. Si vero de eadem voce iam a patribus vſurpata, pieque & ſincere impoſita, ſuboriatur quæſtio, vituperatione digna videri poſſet: niſi fortaſſe vir doctus, & perſpicaci ingenio præditus in ea aliquid periculi latere, clare demonſtraret, atque eandem vocem facile ad errorẽ detorqueri, aut iam deflexam fuiſſe indicaret. Quarta concluſio: Poterit Theologus abſq; erroris periculo illud genus vocis de nouo imponere, quod, non certum appellari poſſe diximus, eoque libere vti. Huiuſmodi autem voces in ijs rebus explicãdis innouare fas eſſet, in quibus varie opinari, ac diuerſe ſentire licet. Id a diuerſis Theologorum ſcholis iam factum eſſe videmus: quæ certa quædam habent vocabula, quaſi ſibi propria, & a ſe genita; quæ etiam cõſtanter retinent, ac defendunt. Nec eſt cur in præſentia aliquod de hoc nominum genere exemplum afferam, cum in re verſemur manifeſta, & cuius nota, vel ſi ſemel



mel diui Thomæ & Scoti ſectatores inter ſe diſputantes audiuerit, aut eorum ſcripta legerit. Quæſtiones autem, quæ de his nominibus suboriri poſſunt, inter eas reijceres, quæ non multam laudem merentur, nec multum vtilitatis habent: quippe quæ ſint de re indifferente, nec ad pietatem, & Eccleſiæ ædificationem, vel ad ſubiectæ rei intelligentiam multum conferant. Quare cauendum eſt, ne in hoc genere ſolum de vocibus ſit altercatio, ne a Critolao Philete, per ignominiam, ὀνοματομάχοι, nominemur. Cæterum, ſi ob aliquem exortum errorem, non certum vocabulum a Theologo innouatum, errãtibus fauere inciperet, vt noſtris temporibus, non ſemel accidit, ab eo abſtinendum eſſet. Id olim ſancti patres fecerunt, quos pro magiſtris in rebus & vocibus habere debemus: qui vidẽtes hæreticos, ex hac forma loquendi, Verbum factum eſſe carnem, errorem illum confirmare, Dei Filiũ ſolam carnem aſſumpſiſſe, pro carne, cœperunt dicere, hominem: qua voce, & caro, & humana natura ſignificatur. Similiter, cum prius promiſcue his duabus vocibus, vſia, & hypoſtaſi, vterentur, cum animaduerterunt hæreticos tres naturas, & ſubſtantias introducere, harum duarum vocum ſignificationes diſtinxerũt; vnam dicentes vſiam, id eſt, ſubſtantiam, & tres hypoſtaſes, hoc eſt tres perſonas. Poterit ergo quiſpiam ambiguis vocibus, quę ſunt in ſcriptura, & in monumentis patrum vti: a quibus tamen

Lege Euth. in panop. par. 1. tit. 2.

men abſtinebit, cum viderit eas fuiſſe ad aliquē errorem cōfirmandum verſute deflexas, aut certe ob aliquam Eccleſiæ conſtitutionem, iam eſſe reiectas, aut certe in ſuſpitionem adductas. Quare, non liceret nunc appellare Monogamū, eum, qui poſt baptiſmum ſuſceptum aliam duxiſſet vxorem; cum Innocentiana conſtitutione iam ſit ſancitum, hunc eſſe bigamum: quod tamen olim licuit. Et vt breui hunc de nominum quæſtionibus concludamus locum, cautus Theologus nominibus ambiguis, & non certis vtatur: certa, ſi cum pietate pugnent, reijciat: ſi ſint veritati conſentanea, ea, vna cum ijs, quæ idem prorſus ſignificant, retineat: quæſtiones certorum, & incertorum verborum fugiat, ambiguorum vero caute examinet: & denique iiſdem conetur vti vocibus, quibus ſacra concilia, & ſancti patres loquuntur: ac non ſolum rerum determinandarum, ſed etiam vocabulorum imponendorum, & reijciendorum facultatem, apud Eccleſiam Romanam eſſe, vt egregie Boethius docuit, pro indubitato habeat. Et vt etiam id pium lectorem moneamus, quod nos non ſine noſtra magna vtilitate, legendis patribus, fecimus, dum ſacros & doctos libros de rebus diuinis, & noſtræ fidei dogmatibus leget, & loquendi modos, & vocum ipſarum vſus, diligenter obſeruet. Atque hæc de nominum quæſtionibus vtilibus & inutilibus ſatis. Nunc de quæſtionibus, quæ ex parte rerum,

Diſt. 26. Deinde.

Li. de duabus nat.



rum, ac perſonarum honeſtæ, vel turpes eſſe cenſentur, diſputemus.

### *De quæſtionum bonitate & prauitate ex parte rerum & perſonarum: & quæ ſit quæſtio theologica. Cap. XV.*

QVOMODO a rebus ipſis, & a perſonis quęſtio laude vel vituperatione digna cenſeri debeat explicaturus, has concluſiones in diſtinctionibus ſupra allatis fundatas, pono. Prima concluſio: Quæſtio de re, vel ſenſui, vel rationi omnino manifeſta, cum ſine neceſſitate, & vtilitate proponitur, inter malas & ineptas reijcienda eſt. Scimus, ait Clemens Alexandrinus, quod neque ea quæruntur, quæ ſunt manifeſta; vt exempli gratia, an ſol luceat: quas quæſtiones ſenſu indigere ait, quod etiam Ariſtoteles prius dixerat. Secunda concluſio: Ea quæſtio cenſetur non bona, quæ eſt de re, quæ a nobis nullo modo percipi poteſt. In quo genere reponuntur multæ, quæ ad perfectam diuinæ naturæ cognitionē pertinent, & ad Trinitatis myſterium, & ad quædam alia noſtrę religionis arcana. Hoc quæſtionum genus damnauit doctiſſimus pater Clemēs Alexandrinus, poſt verba paullo ante citata: cuius opinioni, Cyrillus eiuſdem ciuitatis antiſtes, his verbis ſubſcripſit: Stultiſſimum omnium fuerit examini ſubijcere ea, quæ mentem noſtram tranſcendunt; & tentare

Lib. 5. Strom.

L. 1. Top. c. 9.

Lib. de recta fide.

tentare intelligere, quæ intelligere impoſſibile eſt. Ex quibus patet, quonam pacto quædam ſacræ ſcripturæ & patrum auctoritates intelligendæ ſint, cum nos a rerum diuinarum cognitione & tractatione deterrent; de illis nimirum quæſtionibus, quę intelligentiam noſtram omnino effugiunt. Huc referunt aliqui eas quæſtiones quarum ſubiectum & prędicatum, nunquam in rerum natura reperietur, niſi quibuſdã poſitis, quę rerum ordinem ac ſtatum peruerterent. Verum, cum non eſt repugnantia in ipſo quęſito, harum quęſtionum tractatio, ſi ad alicuius rei naturam, vel aliquam aliam dubitationem melius explicandam, & intelligendam cõferat, & præſertim, ſi leui brachio id fiat, non eſt omnino damnanda: quas quæſtiones Ariſtoteles, problemata adiuuantia vocat. Vt ecce, an Deus poſſit facere infinitum: an quantitas re ſeparetur a ſubſtantia: an Dei Filius poſſit naturã rationis expertem aſſumere, & id genus aliæ. Tertia concluſio: Illud etiam quæſtionum genus eſt illaudabile, quod vel contra pietatem, vel contra bonos mores exiſtit. Vt ſi quis vere hac de his dubius quæreret, An Deus ſit colendus? an rerum caducarum procurationem habeat? an quod furto eſt ablatum reſtitui debeat? an parentes ſint diligendi? quam quæſtionem pœna dignam eſſe Ariſtoteles affirmauit: & harum aliæ ſimiles quæſtiones. Quod ſi vides Philoſophos & Theologos huiuſmodi quæſtiones inter-

Prou. 25. Pſal. 35. & 36. Rom. 11.

Roger.

L. 3. Top. c. 9.

Loc. cit. Cle. Alc.



interdum tractare, non propterea eos impietatis, aut imprudentiæ, vt quidam ſtultiſſime faciunt, damnabis; cum id ſolum ad veritatem melius dilucidandam & confirmandam, & ad obiectiones aduerſariorum diluendas, faciant. Illi ergo ſolummodo vituperandi, ac reijciendi ſunt, qui his de rebus vere dubitantes, rationes quærunt. Quarta concluſio: Illa etiam quæſtio pro ſtulta & inani haberi debet, quæ in re inutili, & ſuperuacanea verſatur. Huiuſcemodi quæſtiones priuatim vitandas eſſe, Paulus Titum docuit: idemq; ſancti patres nullibi non docẽt: inter quos ſpeciatim beatus Chryſoſtomus, Clemens Alexandrinus, & Auguſtinus, qui non vno in loco ſe has quæſtiones declinare aperte teſtatur. Immo etiam Æſchylus, quem Clemens citat, aliquando ſcripſit,

*Ne in ijs labores temere, quæ nihil iuuant.*

Has omnes concluſiones, quas hactenus attulimus luculenta Ariſtotelis auctoritate, quæ in topicis habetur, confirmare poſſes. Quincta concluſio: Inter vitioſas quæſtiones ea reijcienda eſt, cuius medium ex ſe non eſt idoneum, & accommodatum ad eam probandam; vel ſaltem apud eum, quo cum diſputatio inſtituta fuerit. Hoc quæſtionum genus diuus Hieronymus dãnauit, cum hunc in modum ſcripſit; Quia multiplices, & diuerſæ ſunt quæſtiones, propterea Salomon de ijs, qui quærunt Deum locutus eſt, dicens: Recte autem quærentes eum, inuenerunt.

Ad Tit. c. 3. In epi. ad Ephe. c. 3. Lib. 5. Strom. Lib. 2. de Gé. ad lit.

Lib. 1. c. 9.

In epiſt. ad Tit.

runt pacem: qui igitur Deum non recte quærunt, pacem inuenire non poſſunt. Plurima exempla ſunt quærentium non recte Deum. Iudæi praue quærunt Deum, ſperantes ſe eum inuenire poſſe ſine Chriſto. Hæretici vano ſermonum ſtrepitu concrepantes quærunt, quæ inuenire non poſſunt. Philoſophi quoque & Barbari de Deo vana ſentientes, quæſierunt Deum; ſed quia non recte quæſierunt, fuerunt eorum fatuæ quæſtiones; putãtes Deum humanis ſenſibus poſſe comprehendi. Ab his igitur Paulus nos reuocat quęſtionibus. Sexta concluſio: Vt quęſtio culpa vacet, debet is, qui quærit, habere pro ſcopo veritatem, pietatem, & caritatem. Hanc doctrinam hę ſanctorum patrum confirmant ſententię, quibus ij ſpeciatim damnantur, qui inanis glorię amore, diſputationem inſtituunt, qui non tam veritatem, quam nouas opiniones conſectantur: qui ideo diſputant, vt aliorum dicta carpant, & lacerent. Hinc autem, ait Alexandrinus Clemens, ductus deſiderio ad id, quod bonum eſt, & honeſtum inueniendũ benigne quærere citra controuerſiam, & citra gloriæ cupiditatem interrogando, & reſpondendo, & ea etiam, quæ dicuntur conſiderando. Oportet enim non ſolum eos, qui ad diuinas ſe applicant ſcripturas, ſed eos etiam qui communes ſequuntur notiones, ita proponere quęſtiones, vt deſinat inuentio in aliquem finem vtilem. Turbulentos enim homines, & forenſes inuentiones (Lib. 1. Strom.)





nes alius excipit locus, & alia turba: eum autem qui veritatis ſimul eſt amator & familiaris, decet eſſe pacificum, & in inquiſitionibus per demonſtrationem, quæ fit ex ſcientia, non nimio ſui amore laborantem, ſed veritatis amantem accedere ad eam, quę comprehendit cognitionem. Hęc Clemens. Vos, Iuſtinus Martyr loquitur, qui Eccleſię filij ęſtis, quęſtionemq; pie proponitis, & de ijs, quæ vobis dubitationem afferunt, non tentandi ſtudio, ſed diſcendi quęſtiones proponitis, hoc modo mihi mẽtem animumq; præparate. Et Leo dignitate & doctrina magnus, Decet, inquit, in talibus cauſſis hoc maxime prouideri, vt ſine ſtrepitu concertationum, & caritas cuſtodiatur, & veritas defendatur. Quanta potes contentione, ait Caſſianus, deuita ne vanæ gloriæ amore detentus, illius quem Propheta collaudat particeps eſſe non poſſis: Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram. Omnis enim, qui eloquia Dei (de quibus dicitur, Eloquia Domini eloquia caſta argentũ igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum) humanæ laudis amore diſpenſat, pecuniam ſuam erogat ad vſuram, non ſolum nulla pro hac præmia, ſed etiam ſupplicia meriturus. Ex his itaque auctoritatibus propoſita patet concluſio. Quod ſi ſanctorum patrum in hac parte ſequeremur conſilia, multo maiorem ex rerum diuinarum tractatione reportaremus fructum. Septima concluſio: Quæſtio, quæ

(In expoſ. fidei.) (Epiſt. 8.) (Collat. 14. c. 17.)

alias honeſta & laudabilis eſſet, ſi ratione perſonarum, & locorum, & temporum reddatur incongrua, ac periculoſa, vitanda eſt. Huc pertinet illud ſapientis dictum, Altiora te, & fortiora te ne perſcrutatus fueris. Et Chriſtus Dominus apud Ioannem, Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Apoſtolus etiã quædam maiora myſteria, ſcribens ad Hebręos, reticuit, quod imbecilles facti eſſent ad audiendum. Eandem doctrinam multis in locis antiqui patres nos docuerunt, atque ipſi id diligenter ſeruarunt. Iam de quibus, inquit Gregorius theologus, & quouſque diſputandum? De his ſolum, quæ ingenij noſtri modulum captumq; auditoris non excedunt: ne alioqui, vt nimia vocis intentio, & immodicus cibus aures, & corpora labefactant, itemque ſarcinæ viribus grauiores ſubeũtium humeros, ac crebiores pluuiæ terram opprimunt, ita etiam Auditores quæſtionibus grauioribus ac durioribus oppreſſi, atque confecti priſtinas quoque vires amittant. Quod quidem obſeruans Auguſtinus, & Auditores ipſos ab eiuſmodi quæſtionibus ſtudioſe auocans, dicebat, Agnoſco modulum meum, ſentire mihi videor etiam modulum veſtrum: altius eſt hoc incrementis meis, & fortius viribus meis, puto quia & veſtris ſimul: ergo audiamus ad monentem ſcripturam, atque dicẽtem, Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne perſcrutatus fueris. Hanc ſanctorum patrum conſuetudinem,

Eccli. 3.
Cap. 16.
Cap. 5.
Orig. homil. 12. in Gen.
Orat. de modo in diſp. Seruan.
In Ioan. tract. 33. c. 12.



tudinem, vtinam multi ex ijs, qui populum in Eccleſia docent, ſibi quoque ſeruandam putarent: quod, cum non faciant, grauiſſime offendunt. Quæ autem cuique perſonæ, loco, & tempori ſit accommodata quæſtio, id prudenti doctori iudicandum relinquimus: cum res ſingulæ certa doctrina non facile cõprehendi queãt.
Octaua concluſio: Quæſtiones, quæ ſenſu ipſo, vel puro naturę lumine in humanis ſciẽtijs probantur, non ſunt cenſendæ theologicæ, nec in Theologia repetendæ: ne ſemel acta, iterum agi videantur. Primum, quoniam id qui faciunt, videntur profecto falcem in alienam meſſem mittere, atque extra ſuos cancellos petulanter euagari, ac ſcientiarum terminos a ſua ſede dimouere: quod etiam Ariſtoteles damnaret, qui ſingulis ſcientijs ſuos ſtatuit fines, quos nulla ſcientia abſque neceſſitate debet tranſilire. Quid igitur ea, quæ in varijs ſcientijs, quę varijs principijs & medijs vtuntur, in vnum locum confuſa quadam ratione, miſcendo humana profanis, conijciuntur? Quod ni faceret, multo facilius, citius, & vtilius ſacræ Theologiæ conficeretur curſus: qua in re pauci ſunt qui non offendant. Deinde, cum ſacra Theologia ſit omnium ſcientiarum domina, non debet ſe commiſcere cum ancillis, & earum functiones ſine neceſſitate explere, ſed ſolum eis grauiter, & honeſte vti. Poſtremo, eſto id Theologo liceat; tamen nunquã expediet, cum ei multa, maxima, difficillima, ad ſe

Lib. 1. de ſen. & ſen. L. 1. poſt.
Baſ. hom. 1. in hexa.

Lib. Fons vitę.c.22. ſe maxime pertinentia cognoſcenda ſint; quæ cognoſcere nõ queunt, qui in humanis quæſtionibus explicandis ſe totos implicant. Imprudẽtis itaque eſt, velle ſine vtilitate aliena perquirere, & ad ſe pertinentia ſcrutari nolle. Et vt breui cõcludam, ſancti patres optimi fuerunt theologi; & tamen ſua ſcripta non tam multis quæſtionibus ab humanis ſcientijs repetitis, repleuerunt. Abijciantur igitur quæſtiones non theologicæ a theologorum ſcholis. Poterit tamen interdum doctor Theologus, aliqua de cauſſa alterius artificis induere perſonam, ac de rebus humanis humana ratione, quantum res ipſa poſtulabit, diſſerere. Primum quando oriretur dubitatio ſuper re aliqua, de qua nemo verba fecerit: aut ſi qui fecerit, male ſenſerit, & quæſtio illa ad aliquam veritatem theologicam explicãdam, aliqua parte conferet. Poſtea, ſi quid in re quapiam aliquo pacto ad religionem pertinente, humana ſcientia peccauerit, quod emẽdatione egat: quam ob cauſſam nonnulla tractantur in theologia, vt humanæ ſcientiæ corrigantur errata. Poſtremo cum alicuius veritatis humanæ notitia eſſet omnino ad ſupernaturalẽ quæſtionem explicandam neceſſaria, præſertim cum res illa de qua ageretur nõ eſſet ita in promptu, vt oporteret. Nona concluſio: Illæ quæſtiones, quæ ad fidem pertinent, & in primis noſtræ religionis elementis verſantur, vt ſunt articuli fidei, & decalogi præcepta, & alia quę ad fideles inſtituendos



tuendos ſunt neceſſaria, neque ex parte docentis, neque eius qui docetur cenſendæ ſunt inutiles & vanæ, ſed potius fructuoſæ & maximæ neceſſariæ, & theologicæ. Siquidem euangelium prædicandum, hoc eſt, exponendum & declarandum eſt omni creaturæ, idq; quantum ad ea, quæ ſunt omnibus ſcitu neceſſaria ad ſalutẽ conſequendam. Et hoc genus quæſtionũ olim antiqui Chriſtiani ſanctis patribus proponere ſolebant, quas ipſi, diſſoluerent. Etenim huiuſmodi quæſtiones ſunt veluti ſpirituale lac, quibus infantes ſpirituales aluntur, & tanquam panis quotidianus, quem paruuli petere, & doctores frangere debent. Nona concluſio: Si idiotæ, & ij quorum non eſt myſteria diuina tractare, maiores explicationes, quam opus eſſet, de rebus dictis, requirerent, iam quæſtio ex parte eius qui quæreret, fieret vitioſa, ac propterea prætereunda eſſet: & multo magis ſi de rebus abſtruſis, ſibi non neceſſarijs, erudiri vellent. Itaque cum in quærendo non ſeruatur modus, quæſtio vitioſa euadit: propterea a cordato theologo diligenter obſeruandum eſt, quãdo & apud quos, & quatenus, ſeruare debeat id, quod diuus Petrus docet, cũ ait, Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe, & fide: ſed cum modeſtia, & timore, &c. Hoc Leonidem martyrem Origenis patrem ſeruaſſe legimus, qui cũ a filio adhuc paruulo multa acute interrogaretur, ad ea, quæ ætatem

Mat. vlt.

Iuſt. qq. ad orthodox.

1. Pet. 2.

1. Pet. 3.

Euſebius Cæſar.

tem illam percipere non poſſe animaduertebat,
Epiſt. 190 non reſpōdebat. Et diuus Bernardus quendam
doctorem in hac re peccantem, his verbis ele-
ganter reprehendebat. Dum paratus eſt de om-
nibus reddere rationem, etiam quæ ſunt ſupra
rationem, & contra rationem præſumit, & con-
tra fidem. Quid enim magis contra rationem,
quam ratione rationem conari tranſcendere? &
quid magis contra fidem, quam credere nolle
quicquid non poſſis ratione attingere? Profun-
L. 3. cōtra Celſum. diores ſenſus, ait Origenes, celamus, & ſilentio
præterimus in cœtu eorum, qui opus habent la-
cte. Quæ autem celari idiotæ debent, ſunt diſ-
ficiliora dogmata, magis a noſtra ratione remo-
Dion. Areop. de Eccl. hier. de diu. nomi. ta: reuelata arcana quæ traditione habentur, &
ſacramentorum myſteria, vt paſſim antiqui pa-
tres monent: de qua re legendus eſt priuatim
Cyrillus Hieroſolymitanus in ſuis catecheſibus.
Præfat. in Catech. Solebant autem antiqui patres plura catechumi-
nis manifeſtare, quam ethnicis, & plura iam ba-
Cyr. lib. 7. contra Iulia. ptiſmo renatis, quam catechumenis. Cauendū
itaque eſt, ne detur ſanctum canibus, & ne mar-
Baſ. li. de Spir. ſan. garitæ porcis poterendæ proijciantur: ſed ſan-
cta ſanctis manifeſtentur, quod perpetuo vſu
Sixtus 3. antiqui patres obſeruarunt. Decima concluſio:
Illa quæſtio cenſenda eſt theologica, quæ rerum
diuinarum fide comprehēſarum, rationem, mo-
dum, ac conditionem, quantum humanæ vires
patiuntur, inquirit, ac docet. Quod quæſtionum
genus, ſi quis ſtultum, & infructuoſum, ſiue te-

merarium



merarium eſſe putaret, is proculdubio theolo-
giam deſtrueret; cum eius ſit ex ijs, quæ fide te-
nentur, quædam alia, ad explicationem eorum,
quæ creduntur, ratiocinando concludere. Illud
autem quæſtionum genus, quo de rebus diui-
nis, & myſterijs noſtræ religionis quæritur, rem
ipſam ita eſſe ſupponit per fidem, quæ eſt iſtarū
quæſtionum baſis ac fundamentum: re ipſa ſup-
poſita, ſine vlla temeritate, vt alias diximus, hu-
iuſmodi quæſtiones excitantur, & tractantur, &
præcipue, cum aduerſariorum improbitas cogit.
Hanc concluſionem hæ luculētæ patrum aucto-
ritates confirmant. Eam, ait Clemens Alexan- Lib. 5. Strom.
drinus, quæ vna cum fide conuenit quæſtionē,
quæ ſupra fundamentum fidei ſuperædificat
ſplendidam, ac magnificam veritatis cognitio-
nem, optimam eſſe ſcimus. Et Origenes eius
diſcipulus, libro tertio Periarchon, cum dixiſſet
Apoſtolos quædam omnibus manifeſtiſſime tra-
didiſſe, & rationem aſſertionis alijs, qui Spiri-
tus ſancti dona haberent inquirendam reliquiſ-
ſe, hæc adiecit verba, Deo alijs vero dixerūt qui-
dem, quia ſunt, Propter quid autem, aut vnde
ſint, ſiluerunt profecto, vt ſtudioſiores quoque
ex poſteris ſuis amatores ſapientiæ exercitium
habere poſſent, in quo ingenij ſui fructum oſtē-
dere valerent; hi videlicet, qui dignos ſe & ca-
paces ſapientiæ præpararent. Huc pertinet etiā Li. de preſcript.
hic Tertulliani locus: Quæramus ergo in noſtro,
& a noſtris, & de noſtro; in eo dumtaxat,

Ll quod

quod ſalua religione fidei poteſt in quæſtionem deuenire. Ex quibus intelligi licet,quo nam pacto accipiendi ſint patres illi, qui nolunt rationem quęrendam eſſe earum rerum,quas fide tenemus: nimirum,niſi prius credantur,& ſalua religione,quærantur. Vltima concluſio: Quædam ſunt quæſtiones theologicæ, quæ proponi quidem a theologo poſſunt: ſed tamen earum explicatio, & notitia theologiæ diuinæ, & beatorum relinquenda eſt. Huiuſmodi,ex Athanaſio,eſt quæſtio illa, de ratione, qua Filij generatio a Spiritus ſancti proceſſione differat,quamuis Scholaſtici eam explicare conati ſint. Itaq; nos qui ex parte ſapimus, qui videmus per ſpeculum in ænigmate,nolimus plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed quædam ijs, qui vident omnia,qui perfectam habent theologiam, explicanda relinquamus. Caueamus igitur, vt prudenter admonebat Ruſinus, ne dum inaceſſæ lucis fulgorem pertinacius ſcrutari volumus, exiguum ipſum, qui nobis diuino munere eſt conceſſus, aſpectum perdamus. Ex ijs ergo rebus, quæ in Theologia quæruntur, aliæ ſunt, quas omnes cognoſcere debent: aliæ quas viri docti, & Theologiæ candidati: aliæ denique, quarum intelligentia & ratio beatis ſpiritibus relinquenda eſt.

D.Tho.p. par.q.27. ar.4.
1.Cor.13
Rom.12.

Expoſi.in Symbol. Apoſt.

*Affe-*



## *Afferuntur, ac ſoluuntur nonnullæ dubitationes circa ea, quæ dicta ſunt. Cap. XVI.*

VT adhuc multo magis concluſiones ſuperius allatas confirmemus,nonnullæ rationes, quæ contra afferri poſſunt, explicandę nobis ſunt. Et primum contra id, quod dicebamus,non licere Theologo paſſim philoſophicas quęſtiones examinare: ij qui aliter ac nos docemus faciunt, his rationibus ſuam conſuetudinem defenderent. Primum, Theologia eſt veluti Regina aliarum ſcientiarum,quę ad eam ſe habent tanquam ancillę ad dominam: ergo pro ſuo arbitratu poterit quę in alijs diſciplinis tractantur,examinare,& explicare, vt de illis iudicium ferat. Hac argumentatione ſolum id euincitur,licere Theologo vti rebus,quæ in philoſophia tractantur, ad res ſuas explicandas; & eas examinare quęſtiones, in quibus male Philoſophi ſenſerunt,aut quas ipſi non attigerunt,quod ei concedimus: ſed huiuſmodi quęſtiones rariores ſunt. Deinde, in ſacris literis agitur de omnibus rebus, quę in alijs ſcientijs tractantur, vt de mundo, de cœlo, de anima, de elementis, vt patet ex primis capitibus Geneſeos; & in omni fere ſcriptura ſermo habetur de rebus animantibus, & inanimis, & generatim & ſpeciatim: idem dicas de actibus humanis, & de ijs quę ad omnes moralis philoſophię partes pertinent;

Lib. Fons vitæ. c. 9.


nent;

nent; igitur non erit alienum ab inſtituto Theologico hiſce de rebus diſſerere, cum earum cognitio ad ipſa diuina eloquia explicanda maxime conferat. Facilis eſt ſolutio: primum, ſi hæc ratio omnino concluderet, licere Theologo de natura cuiuſcunque rei, de qua in diuinis literis fit mentio diſſerere: fruſtra eſſent aliæ ſcientiæ, vel Theologus acta ageret: & quod abſurdum omnino eſt, rationẽ ſui obiecti amitteret, & terminos ſuæ facultatis tranſiliret: quoniam de quauis minima re, & cuique arti ſubiecta materia, ei diſputandum eſſet. Perſiſtat ergo in quęrendo intra ſuos cancellos; & cum res naturales ad ſacras ſcripturas dilucidandas vult tractare, miniſterio vtatur ancillarum. Eſt etiam alia dubitatio contra id quod diximus, quęſtiones quaſdam euitandas eſſet, & ſi proponantur, eis nos reſpondere non debere: quoniã Chriſtus ſępe reſpondit ſtultis & curioſis quęſtionibus ab Hebręis ſibi propoſitis: & ſapiens aliquando dixit, reſpondendum eſſe ſtulto. Facilis eſt ſolutio: nam, vt Chriſtus interdũ huic quęſtionum generi reſpondit, vt is, qui optime hominum corda & oportunitates cognoſcebat, vt interrogantium ſaluti conſuleret; ita etiam aliquando eorum quæſtiones eluſit; & aliquãdo ad eas nihil reſpondit. Sapiens etiam alibi dixit, non eſſe reſpondendum ſtulto. Et ſi quãdo ei reſpondere licet, reſpondendum eſt, iuxta eius ſtultitiam, vt eum ad ſuæ fatuitatis cognitionem



tionem inducamus. Rurſus dubitares, ſi occultiora myſteria non ſunt propalanda, vt ſupra ex ſanctis patribus docebamus, cur ipſi ea in lucẽ ſuis ſcriptis protulerunt, ita vt non ſolum ad manus fidelium, ſed etiam alienigenarũ venerint. Hanc dubitationem diſſoluẽtes, dicimus, id eos feciſſe neceſſitate, & aduerſariorum improbitate compulſos: vt & hęreticorum, & gentium nefarias opiniones, & blaſphemias in ipſam religionem, & veritatem, euerterẽt: vt fecit Origenes reſpondens Celſo, Cyrillus reſpondendo Iuliano, & alij pariter ſcribendo contra hęreticos, vel reprimendo philoſophorum calumnias. Sed compellimur, ait Hilarius, hęreticorum & blaſphemantium vitijs illicita agere, ardua ſcandere, ineffabilia loqui, inconceſſa præſumere. Lib. 1. de Trin. Hæc oportebat abſcondere, ait Origenes, & in medium non proferre, ſed hęretici nos, vt celanda efferamus, in publicum, quia tecta ſunt vtiliter apud eos, qui adhuc paruuli iuxta animę ętatem ſunt. Præterea, diceret aliquis, ſi tantus eſt habendus quæſtionum delectus, qui fieri id poteſt? cum tanta ſit perſonarum locorum, temporum, rerumque varietas, atque diuerſitas? ita vt non videatur humani ingenij eſſe, ita ſingula ſingulis comparare, vt ſemper quæ ſit cõgrua quæſtio, videri queat. Fatemur ſane non eſſe facile ſemper, & vbique videre quæ ſit congrua quęſtio: idque non mediocrem prudentiam requirere: verum, ſi quis ea animaduertat, quę nos

 ſupra

ſupra docuimus, aut incongruā quęſtionem non tractabit, aut certe leuiter in hac parte peccabit. Neque ad cōgruam & laudabilem quęſtionem conſtituendam neceſſe eſt ſingula perſonarum, aut locorum & temporum diſcrimina obſeruare: ac proinde, ſi ea quę diximus prudens Theologus tenuerit, & aliquam prudentiam adhibuerit, laudabiliter quærere poterit. Sed hoc loco maior quædam ramanet explicanda dubitatio, circa quæſtiones theologicas: quoniam nulla videtur eſſe quæſtio, ſiue concluſio theologica, quod hac ratione probatur. Demonſtratio theologica, hoc eſt ratio firmiſſima, cuius conſequētia ex præmiſſis neceſſario colligitur, aut fit ex duabus præmiſſis fidei lumine cognitis, aut ſaltem ex vna propoſitione eodem lumine cognita, & ex altera lumine naturali perſpecta: ſed in neutro argumentandi modo infertur concluſio quæ ſit theologiæ propria, igitur nulla eſt concluſio theologica. Non priore modo, quia cum cognitio præmiſſarū ſit cauſſa cognoſcendi concluſionem, ſi pręmiſſæ cognoſcantur lumine diuino, etiam concluſio eodem lumine cognoſcetur: pertinebit igitur talis concluſio ad lumen fidei, non autem ad lumen theologicum. Non poſteriore modo, quoniam concluſio, vt Dialectici docent, ſequitur ignobiliorem partem: atqui ignobilior eſt propoſitio lumine naturali cognita, ergo talis concluſio pertinebit ad naturalem ſcientiam, nō autem ad Theologiam: Nulla





la igitur erit concluſio, ſiue quæſtio, quæ ſit proprie Theologica. Ad hanc dubitationem explicandam, ſtatuo hæc dicta. Primum dictum: ad conſtituendam concluſionem theologicam duo lumina intercedere debent, alterum diuinum, quo ſaltem vna ex præmiſſis immediate, vel mediate cognoſcatur, alterum humanum: nam ſi vnicum tantum lumen concurreret, id quod cognoſcitur pertineret omnino vel ad fidem, vel humanam ſcientiam. Secundum dictum: cum ambæ præmiſſæ cognoſcuntur lumine fidei, neceſſitas concluſionis cognoſcitur lumine humano: & ideo, cum ad hunc effectum producendum duo lumina concurrant, diuinum ſe habet tanquam cauſſa vniuerſalis, humanum vero tāquam cauſſa proxima: quo fit, vt talis concluſio ſub lumen humanum ſciētiæ theologicæ cadat: cū effectus magis proprie tribuatur cauſſæ proximæ, quam remotæ. Quare, ſicut in ſcientijs humanis concluſio ſcita refertur in lumen ſcientificum immediate, & mediate in lumen principiorum; ita etiam in noſtro propoſito, probata concluſio proxime reuocabitur in lumen humanum. Tertium dictum: quamuis cōcluſio quæ colligitur ex præmiſſis duplici lumine cognitis, ſit minus theologica, quam quę ſolum lumine reuelato cognoſcitur: tamen ſimpliciter loquēdo theologica cenſeri debet. Quod ſit minus theologica ex eo patet, quia non ſolum reducitur in principia Theologię propria, ſed etiam

in principia communia cum humanis ſcientijs. Quod autem cenſeri debeat theologica, probatur, quoniam concluſio ſequitur propoſitionem minus euidentem, cuiuſmodi eſt illa præmiſſa, quæ lumine fidei tenetur. Adde etiam, quod præmiſſa naturaliter cognita adhibetur ad probandam concluſionem in Theologia, tanquam miniſtra, ſiue inſtrumentum; & ideo eius cognitio refertur ad concluſionem theologicam, quæ ob ſuam obſcuritatem eſt magis ſimilis præmiſſę, quæ ſub fidem cadit. Sed diceres, magis certa eſt præmiſſa quæ fide, quam quæ lumine naturali cognoſcitur; igitur concluſio ſequetur propoſitionem naturaliter cognitam, cum ſit debilior, & minus certa. Conceſſo eo, quod in argumento ſumitur, negatur compleſſio: nam in conſecutione, non tam attenditur certitudo, quam euidentia, cuius vi aſſentimur concluſioni: euidentia autem conſequentiæ a lumine pẽdet humano. Quartum dictũ: Concluſio theologica, non ſolum dicitur ea, quæ ex vna vel altera lumine fidei cognita demõſtratur, ſed etiá, quę ex alijs cõcluſionibus theologicis iam probatis deducitur: Vt ſi probares Chriſtum eſſe fletus capacem, & ratione prędıtum, ex hoc principio de fide, quo ſcimus, Chriſtum eſſe hominem. Quinctum dictum: Nihil prohibet, quin principium fidei aliqua demonſtratione a poſteriori demonſtretur. Vt ſi probares Chriſtum eſſe mortuum, quod pertinet ad articulos fidei, ex eo, quod qui reſurgit, mortuus eſt. Sextum dictum: prima concluſio, quæ probatur in Theologia, ante quam nullum præcedit lumen theologicum acquiſitum, cenſenda eſt theologica. Quoniam, licet non dum ſit genitus habitus theologicus: tamen ipſa actualis ratiocinatio eſt cauſſa cur primum lumen theologicum gignatur. Idem enim accidit in prima demonſtratione theologica, quod in prima concluſione in aliqua ſcientia ex ſolis principijs demonſtrata. Ad extremum, quod attinet ad illud pronunciatum, concluſio ſequitur ignobiliorem partem, ita accipiendum eſt, vt quod eſt in concluſione infirmitatis, referatur in præmiſſam debilem atque infirmam: neque enim neceſſe eſt, vt ſi præmiſſa eſt falſa, concluſionem etiam eſſe falſam, cum verum ſequatur ex falſo: & ſi demonſtratio fuerit ab effectu, concluſio erit præmiſſis firmior: quando vero erit a priori, ſi quid erit debilitatis & ineuidentiæ in concluſione, referendum erit in præmiſſam debilem. Atque de hac dubitatione, & de quæſtionibus, concluſionibusve theologicis ſatis. Deinceps de ijs dicemus propoſitionibus, quæ a Theologo fugiendæ, ac reijciendæ ſunt.



*Quid*

## *Quid ſit hæreſis, & propoſitio hæretica. Cap. XVII.*

QVÆ nam quæſtiones ad Theologum pertineant, & quæ laudabiles, & vituperabiles ſint, ſatis ex ijs, quæ ſupra ſcripſimus, manifeſtum eſſe arbitramur. Nunc, quoniã ex quæſtionibus concluſiones efficiuntur, quarum omnino diuerſa eſt ratio, cum aliæ ſint veræ, aliæ falſæ: aliæ erroris expertes, aliæ impietatis ſuſpectæ: aliæ retinendæ, aliæ prorſus abijciendæ, de concluſionibus, ſiue propoſitionibus, quæ bono & pio Theologo omnino vitandæ ſunt, nunc nobis agendum eſt. Ac primũ quidem de propoſitione hæretica, cum de ea maior ſit difficultas, diſputabimus. Vt autem quæ ſit propoſitio hæretica planius explicetur, breuiter quid hæreſis ſit, miſſis ijs, quæ de nominis etymologia & vſu dici poſſent, deſcribemus. Hæreſis ergo, ex ſe conſiderata, hunc in modum deſcribi ſolet.

23. qõ. 3. can. Hæreſis.

Hæreſis eſt error intellectus contra catholicam fidem. Errare autem, ex Auguſtino, eſt id verum putare, quod falſum eſt, & falſum quod eſt verum, vel certum, habere pro incerto, & incertum pro certo. Ceterum, non quicunque error facit hæreſim, ſed is, qui eſt contra catholicam fidẽ. Quo ſit, nullum eſſe inconueniens, vt aliqui putant, ſi Eccleſiæ doctores inter ſe diſſentiant, ſi in ijs ſint diſcordes, quæ ad fidem catholicam non pertinent: vt in quæſtione de ſalute Salomonis, & alijs ſimilibus. Dicitur hæreſis eſſe error intellectus, quia non eſt error in opere: & ita, qui periurium committit, qui furtum facit, licet erret: tamen non cenſetur hæreticus, niſi periurium, vel furtum licitum eſſe intellectu credat. Quod ſi petas, cur hæreſis dicatur error intellectus, cum ſit actus voluntatis, idem enim græce, ſignificat hæreſis, quod latine, electio, quæ ad voluntatem pertinet, reſponderem ex Auguſtini doctrina, dicendo, quod ſicuti non credimus ſine voluntatis imperio, ita nec a fide recedimus, niſi voluntatis adſit pertinacia. Si autem hæreſis conſideretur, vt ab ea aliqua propoſitio dicitur hæretica, hoc pacto deſcribitur. Hæreſis eſt propoſitio falſa, quę fidei catholicæ adeo repugnat, vt cum ea eſſe non poſſit. Ad conſtituendam igitur propoſitionem hęreticam, non ſpectatur hominis electio & pertinacia, ſed ſolum repugnãtia, quam habet aliqua propoſitio cum doctrina catholica. Quare, etiã ſemota hominis voluntate, adhuc hęretica propoſitio ſuã rationẽ formalem habet. Quo fit, vt hęreſis hoc modo ſumpta, a quocunque, & quomodocũque dicatur, damnetur; & ne in poſterum quis eã pronuntiet, inhibeatur. Vnde intelligi licet, quanta ſit hęreſis turpitudo & labes, cum vbicunque reperta fuerit, & quacunque ratione prolata, expungenda, & delenda ſit. Si vero hęreſis conſideretur, vt ab ea aliquis dicitur hęreticus, ſic finitur.

In Enchi. cap. 17.

In Ioan.

nitur. Hæreſis eſt, qua falſum dogma contra catholicam fidem ab eo, qui eam ſuſcepit, aſſeritur, vel catholicum dogma in dubium reuocatur. In qua deſcriptione ponitur hæreſis ſubiectum, nimirum homo, qui fidem ſuſceperit, & fidem violauerit: ponitur etiam cauſſa, cur hæreſis ſit in hoc homine culpabilis, ſcilicet pertinacia, hoc eſt voluntas obſtinata in errore, cum quis cognoſcit id, quod affirmat, eſſe contra fidei canones, & tamen adhuc in errore perſiſtit. Quare, ſi quis per ignorantiam vel in curiam aliquam propoſitionem hæreticam pronuntiaret; ſi monitus, vel errore cognito, ſe corrigeret, ab hoc errore, hæreticus nominari non poſſet. Poſtremo dicitur, vel in dubium reuocatur: quoniam non ſolum is dicitur hæreticus, qui contra fidem aliquid pertinaciter affirmat, ſed etiam qui cum pertinacia de catholico dogmate voluntarie dubitat. His hunc in modum expoſitis, quæ ſit propoſitio hæretica, erit explicatu, & intellectu facile. Propoſitio igitur hęretica eſt, quæ ſub proprijs terminis, in ſenſu quem facit, ex ſe, vel neceſſaria conſequentia, canonicæ ſcripturæ, Eccleſiæ traditionibus, decretis Pontificum, & Conciliorum, atque communi ſanctorũ patrum, & Eccleſiæ doctorum cõtradicit. Vt autem hæc hæreticæ propoſitionis deſcriptio, quæ eſt paullo obſcurior melius intelligatur, quædã diligenter animaduertenda ſunt. Primum, nos has potiſſimũ regulas noſtrę fidei habemus, quibus,

De hære. cap. 1.



bus, quid tanquã catholicum retinendũ, quidve tanquam hæreticum reijciendum ſit, metiri debemus: nimirum diuinas ſcripturas, perpetuam a Chriſto Eccleſiæ traditionem, ſummorũ Pontificum & Conciliorum conſtitutiones, atq; cõmunem in re, ad fidem & mores pertinente, doctorum ſententiam. Deinde obſeruandum eſt, vt propoſitio cenſeri debeat hæretica, eius termini, in proprio ſenſu, quem faciunt, ſunt accipiendi: Vnde, hæc propoſitio, Chriſti corpus non eſt in Sacramento, vt eſt in cœlo, nõ eſt hæretica: cum re vera non ſit in hoſtia eo modo, quo eſt in cœlo: at vero hæc, ſanguis Chriſti non eſt in hoſtia conſecrata, licet intelligi poſſit, ibi nõ eſſe vi verborum, hæretica cenſenda eſt: quoniam huius propoſitionis termini, negant ſanguinis exiſtentiam in Sacramento, nõ autem modum, quo ibi exiſtit. Et in materia traditionum, hæc non eſt hæretica, Apoſtoli tradiderunt nobis Sacramentum confirmationis, hęc vero maxime: Apoſtoli confirmationis Sacramentum inſtituerunt. Poſtea notãdum eſt, propoſitionem hæreticã poſſe eſſe contrariam allatis regulis duobus modis, altero, ex ſe ſuaq; vi, altero ex neceſſaria conſecutione. Tunc cenſetur contraria ex ſe, cũ talis propoſitio ſine vlla ratiocinatione opponitur, vel ſcripturæ, vel traditioni, vel põtificum conciliorumve decretis, vel tandem cõmuni ſanctorum patrum conſenſui. Vt ſi quis diceret, Chriſtus nõ eſt natus: nullum Sacramentum imprimit charactere:

Concil. Triden.

De pœni. Cap. oĩs Vtriuſ.

ćterem: omnia Sacramenta poſſe iterari: nemiñe eſſe obligatũ ad confitenda peccata proprio Sacerdoti: Filium non eſſe eiuſdẽ ſubſtantię cum Patre: quę omnes propoſitiones, ex ſe, vni, vel alteri ex dictis regulis aduerſantur. Tunc autẽ ex neceſſaria conſequentia, quãdo ex ſcriptura, vel ex vna ex dictis regulis aperte contrariũ colligitur. Vt ecce, hęc propoſitio dicetur hæretica, Christus non aſſumpſit animã, quæ mentem haberet: quia facile contrarium colligitur ex
Ioan. 1. ſcriptura, quæ ait, ipſum fuiſſe hominem: ac proinde animam aſſumpſit, quæ non eſt ſine
Ioan. 20. mente, ſine qua fuit Apollinaris, qui tanquam amens, contrarium docuit. Et ex eo quod Apoſtolis data fuit poteſtas dimittendi peccata, deducitur eorum neceſſaria confeſſio. Quare, cum aliquid, vel ex ſcriptura, vel ex concilio, & alijs regulis non neceſſario deducitur, non conficitur vt contraria aſſertio ſit propoſitio hæretica, vel quod deducitur ſit certa fide tenendũ.
Iudith c. 10. Vt ex eo, quod Iudith in diuinis literis laudatur, non ſequitur neceſſario, non fuiſſe mentitam, cum dixit, ſe populi ſui ſecreta prodituram veniſſe. At vero, ſi quis diceret Tobiam non habuiſſe canem, eſſet hæreticum; quia inde neceſſario colligitur ſcripturam eſſe mẽdacem, quod eſt hęreticum. Et hę tres admonitiones obſeruandę ſunt pro omnibus illis fidei regulis, ſupra numeratis. Nunc nonnullas alias ad ſingulas regulas pertinentes ſubijciemus.

*Ponuntur*



### *Ponuntur admonitiones quædam neceſſariæ ad intelligendum, ac diſcernendum quænam ſit hęretica propoſitio. Cap. XVIII.*

CVM inter alia boni Theologi munera, illud ſit præcipuum, vt hæreſes refellat, & fidei dogmata confirmet: propterea ei perfecta propoſitionis hæreticæ notitia omnino neceſſaria eſt: vt vbicunque eam inuenerit, confodiat. Et cum eius faciem non facile ſit internoſcere, idcirco alias adhuc priuatas admonitiones circa regulas fidei, quibus de propoſitione hæretica ferenda eſt ſententia, tradere, Theologiæ candidatorum cauſſa, non grauabimur. Quod igitur ad primam regulam attinet, primum illa ſolum propoſitio dicetur hæretica, quæ canonicæ ſcripturæ, id eſt, libris ſacris ab Eccleſia pro canonicis approbatis, eſt contraria. Qui autem libri ſint tanquam canonici recipiendi ex Synodo Tridẽtina ſeſſione quarta patet. Deinde, vt propoſitio pro hæretica haberi poſſit, debet eſſe contraria ſcripturæ, quæ non varie de ea re ſit locuta, quanuis nulla ſit vera in ſcriptura contradictio: vt accidit in exponendo tempore mortis Chriſti, cum vno in loco dicat, hora tertia, in alio vero hora quaſi ſexta, ſecundum diuerſos Euangeliſtas. Quare, ſi quis alteram ex his propoſitionibus affirmet, non erit putandus hæreticus, licet aliter loquatur, atque alio in loco

Mar. 15. Ioan. 19.

ſcri-

ſcripturæ dicitur. Similiter, ſi quis diceret,
Gen.12. Deum tentare, cum tentauerit Abraham, licet
Iac.1. alibi dicatur, Deum neminem tentare. Poſtea,
ad hoc vt propoſitio aliqua inter hæreticas reij-
ci poſſit, locus cui videtur aduerſari, non debet
eſſe obſcurus: quia, ſi quis affirmet, quod loco
obſcuro contradicit, non erit tanquam hæreti-
1.Reg.13. cus notandus. Vt ſi quis diceret Saulem non
fuiſſe filium vnius anni, cum regnare cœpiſſet,
licet id ſcriptura dicat: quod, vel ad Saulis pu-
ritatem eſt referendum, vel ad librarij corru-
2.Paral. ptionem. Similiter de Ioachin, quod fuerit
36. octo annorum cum regnare cœpit. Ad hæc, ſi
ſcripturæ loco, varie a receptis doctoribus expli-
cato, aliquid contrarium dicatur, non erit pro
Mat.16. hæreſi habendum. Vt ſi illud, ſuper hanc pe-
tram, non de Petro aliquis intelligeret, cum
varie locus iſte exponatur. Præterea, adnota-
runt alij opus eſſe, vt ſcripturæ locus ſit expoſi-
tus iuxta ſenſum literalem: quia quod ſenſui
myſtico opponitur, hæreticum haberi non de-
bet. Vt ſi quis diceret beatam Virginem non
fuiſſe ab originali peccato ſanctificatam; licet
id opponatur huic ſcripturæ loco, in ſenſu my-
Pſal.45. ſtico accepto, Sanctificauit tabernaculum ſuum
altiſſimus. Similiter ſi quis diceret, fuiſſe a ma-
cula originali præſeruatam, non contradiceret
Cant.4. ei, quod dicitur: Tota pulchra es amica mea.
Verum, vt ego exiſtimo, ex ſenſu myſtico poteſt
interdum neceſſarium argumentum duci: qua
de



de re poſtea. Poſtremo, cum iam per Cōcilium Infra l. 5.
Tridentinum decretum ſit, quænam editio pro Seſſ. 4.
canonica ſcriptura haberi debeat, nimirum ve-
tus, & euulgata latina ab Eccleſia Romana
approbata, ea propoſitio pro hæretica habebi-
tur, quæ ſit huic æditioni contraria. Quod ve-
ro ad traditiones attinet, hæc obſeruanda ſunt.
Primum, illa traditio cenſetur verbum Dei, ac
proinde fidei regula, quæ verbo non ſcripto da-
ta fuit a Chriſto apoſtolis, qui alijs poſtea tradi-
derunt. Quo modo imaginum adoratio, ali-
quorum ſacramentorum formulę & alia multa,
quæ recenſere longum eſſet, traditione tenen-
tur. Hæc, ſi quis negaret, non minus in fide er-
raret, ac is, qui ea nō crederet, quæ in verbo ſcri-
pto habentur. Deinde, non ſolum ad diuinas
traditiones pertinent, quæ Chriſtus Apoſtolos
verbo tenus docuit, ſed etiam quæ Apoſtoli di-
uino ſpiritu illuſtrati, tanquam dogmata per-
petuo in Eccleſia retinenda ſtatuerunt. Vt, quod Cap. cum
aqua in ſacrificio miſſæ ſit permiſcenda vino: Martæ de
quod baptiſmi aqua debeat eſſe ſacro oleo per- celebrar.
mixta, & id genus alia, quæ ita debent haberi Miſſarū.
firma, ac ea, quæ Chriſtus ſuo ore docuit. Ve-
rum, huc non pertinent illæ Apoſtolorum con-
ſtitutiones, quas ſanciuerunt, vt Eccleſiæ paſto-
res, quæ diſpenſationem recipere poſſunt: Vt
illa de bigamo in Epiſcopum non ordinando. Ext. de Bi
Quare, ad hoc genus traditionis requiritur, vt gam. non
id, quod traditur ſit perpetuo duraturum, cuiuſ- ordin.

 modi

modi non fuit decretum illud Apoſtolicum de
Act.15. abſtinendo a ſanguine & ſuffocato. Poſtremo, traditio non debet eſſe dubia: vt illa, An olim Apoſtoli baptizauerint in nomine Chriſti tantum: an balſamum ſit neceſſaria materia ſacramenti confirmationis: an quadrageſimale ieiunium ſit a Chriſto, an vero ab apoſtolis inſtitutum: de quibus, citra hæreſis notam, affirmare, vel negare licet. Quod attinet ad decreta Pontificum, hæc animaduertenda ſunt. Primum, opus eſt vt Pontifex decernat aliquid, prout in Cathedra Petri reſidet, quatenus oues paſcit, & fratres confirmat, in ijs, quæ ad fidem & mores pertinent, in quibus decernendis errare minime poteſt. Deinde, in ea conſtitutione Pontifex nõ errat, in qua facienda pendet a Spiritu diuino: in alijs vero, in quibus pendet a prudentia, & iudicio, & teſtimonio humano errare poteſt: vt in ferenda aliqua cenſura, in diſpẽſatione alicuius matrimonij, & in ſimilibus: in quibus aliter ſentire licet, abſque hæreſis periculo. In quo tamen genere non reponerem, vt quidam faciunt, ſanctorum canonizationem, licet ad eam conficiẽdam humanum teſtimonium requiratur: cum hæc materia, quod negari nullo modo poteſt, ad mores pertineat. Quo loco obſeruandum eſt, tria eſſe genera earum rerum, quę a Pontifice in Eccleſia fiunt. Quædam ſunt, quæ non pertinent ad materiam fidei, vel morum, vt ſunt diſpenſationes, diſtributio beneficiorum, & quæ

ad



ad politicam Eccleſiæ gubernationem referuntur. Quædam ſunt, quæ affinitatem habent cum ijs, quæ ſunt fidei & morum; vt grauiorum criminum reſeruatio, cæremoniarum circa ſacramentorum adminiſtrationem inſtitutio. Quædam poſtremo ad fidem & mores proxime pertinentia: vt iudicare de vera ſcriptura, leges ad ſtatum ſpiritualem Eccleſiæ neceſſarias condere, & ſimilia. Si quis ergo non approbaret, quæ ſunt prioris generis, nõ eſſet hæreſis inſimulandus, vt is qui negaret, quæ in ſecundo & tertio genere continentur. Ad hæc, animaduertendum eſt, in illis decretis non poſſe Pontificem errare, quæ pertinent ad mores neceſſarios toti Eccleſiæ: ita vt in inſtitutione cõſuetudinũ particularium Eccleſiarũ non habeat ita ſpiritum aſſiſtẽtẽ, vt errare nequeat. Vt ſi aboleret ritus Ambroſianos circa miſſarum ſolemnia: & aliqui ritus permittuntur in Eccleſia orientali, qui in occidentali non concederentur. Itaque, vt quidam Dam. Roſ.
ſcribunt, in inſtituendis, & abolendis priuatis moribus poteſt contingere, vt Pontifex erret: & in his oppoſitum ſentire non eſſet hæreticum. In hoc genere non debet reponi, ni fallor, Religionum approbatio, cum proxime materiam ad mores pertinentem, contineat. Inſuper, notandum eſt, non omnia, quæ in aliquo Pontificis decreto habentur, eſſe fide tenenda, ſed ſolum id, quod principaliter, & ex profeſſo eſt definitum, cum in acceſſorijs poſſit errare: quo fit vt

Mm 2 pro-

propoſitio, quæ huic rerum generi contradicit, non ſit hæretica, vt ea, quę aduerſatur ijs, quæ ex intentione decernit. Vt ecce, Nicolaus reſpondens ad conſulta Bulgarorum, ſtatuit ex intentione baptizatum ab Iudæo non eſſe rebaptizandum: ſed tanquam acceſſorium, ſubiecit, valere baptiſmum adminiſtratum in nomine Chriſti tantum: cui, ſi quis ſeſe opponeret, non erraret, immo, vt arbitror, bene cum Origene, Baſilio, Dydimo, Theophilacto, Damaſceno, Cyprianoq; ſentiret. Itaque, cum multa in decretis conficiendis, diſputando, digrediendo, explicando, & probando Pontifices dicant, non habent in omnibus Spiritum diuinum aſſiſtentem, ſed in eo tantum, quod ex profeſſo decernunt: poterunt itaq; in alijs errare. Poſtremo, Pōtifex in ijs, quę tanquam priuatus doctor iudicat, & docet, labi poteſt. Vnde, quod Cœleſtinus, vt priuatus doctor, dixerat, altero cōiugum in hæreſim labente, alterum ad alias nuptias cōuolare poſſe, Innocentius III. etiam, vt priuatus doctor, vt quidam ſcribunt, non approbauit: & ita non iudicialiter rem definiuit. Dixit enim Nos credimus, non autem, Nos definimus. Et Alexander III. dixit matrimonium ratum non diſſolui per conſequens conſummatum, quamuis aliter a prædeceſſoribus fuiſſet iudicatum, non dixit, iudicialiter definitum. Quare, non quidquid in Pontificum decretis dicitur, eſt iudiciali ſentētia definitum: nec quidquid in volumine

De cōſ. d. 4. A quodam.

Cap. licet de ſponſ. duorum.



lumine iuris canonici habetur, id totum eſt tanquam fidei dogma tenendum; ſed diligenter animaduertēdum eſt, an ſub pœna anathematis mandetur, ne quis contrariū ſentiat: an ſi quis, hoc, vel illud fecerit, cenſeatur ratum, vel non ratum: an damnentur pertinaciter tenentes, a Pontificibus damnata: an vniuerſis, tanquam fidei dogma, tenendum proponatur: an aliquid aſſeratur tanquam Euangelij & Apoſtolorum doctrinæ conforme, an vero tanquam eis oppoſitum reijciatur. Ex his itaque loquendi formulis, videndum eſt, quid tanquam fidei dogma recipiendum, quidve tanquam fidei repugnans reijciendum ſit: vt iuxta hanc regulam, quæ propoſitio ſit hæretica ſtatuere poſſimus. Circa concilia, illud primum notandum occurrit, ea ſolum aliquid de fide certo continere, cui repugnare ſit hæreticum, quæ fuerint a Romano Pōtifice approbata, ſiue ſint uniuerſalia, ſiue prouincialia, ſiue diœceſana. Deinde, in ijs rebus hęc concilia rem de fide ſtatuunt, in quibus pēdent a diuino motu, non autem in ijs, in quibus ab iudicio humano. Nam, ut Innocentius III. ſcriptum reliquit, Iudicium Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequi, quam & fallere, & ſæpe falli contingit. Poſtea, notādum eſt, ea in quibus dicta cōcilia errare non poſſunt, eſſe ſolum, quę ad fidem & bonos mores, ad animarum ſalutem neceſſarios, pertinent. Quare, propoſitio contraria alijs rebus, quæ in præfatis concilijs

De hære. cap. cum Chriſtus ca. ſi quis de bap. & eius effec. Leo X. in bulla.

Cap. a nobis de ſententia exc.

ſtatuuntur, hæretica cenſeri non debet. Præterea, illud putatur determinatum tanquam fide tenendum, quod vniuerſali Eccleſiæ ſeruãdum proponitur, aut ab vniuerſali Eccleſia ſeruari debet: in quo rerum genere approbata Concilia non errant. Multa huiuſmodi habentur in Concilio Tridentino ſeſſione vigeſimaquincta de Regularibus, & Monialibus. Ad hæc, videndũ eſt, an id, quod a Concilio definitur, ſit principaliter intentum, vt ſupra de conſtitutionibus Pontificum admonuimus. Vnde cum in ſecũda Synodo Nicæna, vbi agitur de imaginũ adoratione, fit mentio de Angelis, diciturq; eos pingi poſſe, quod corporei ſint, hoc non eſt fide tenendum, cum id ex propria intentione non decernatur: nec etiam in Cõcilio Lateranenſi ſub Innocentio III. contrarium ex profeſſo ſtatuitur. Poſtremo, obſeruandum eſt, an id, quod a Concilio definitur, definiatur firma fide tenendum, an vero tanquam probabilius, & veritati conformius. Huc pertinet id, quod in Concilio Viennenſi dicitur de infuſione habituum in baptiſmo paruulorum: & illud Concilij Tridentini de confeſſione peccatorum ante cõmunionis ſumptionem, ſi ſacerdotis adſit copia; cuius contrarium ſolummodo ſub pœna excommunicationis damnatur. Quare, hic etiam animaduertendi ſunt illi loquendi modi, quos in decretis Pontificum obſeruandos eſſe diximus: Si cõtrarium aſſerentes, tanquam hæretici, damnentur:

Cap. Firmiter de ſum. trin. & fid. cat.

Clem. de ſum. trin. & fid. cat.

Seſſ. 13. cap. 11.



tur: ſi dicatur, Anathema ſit: & ſi quid tanquã fidei dogma firme ab omnibus tenendum proponatur. Et hæc breuiter circa ſcripturam, & Pontificum, conciliorumq; decreta, vt quæ ſit hæretica propoſitio percipi queat, adnotaſſe ſufficiat: quibus libro ſequenti, cũ de locis theologicis agemus vtemur: quæ omnia potuiſſem copioſius tractare, ni breuitati ſtuderem.

## *An communis ſanctorum patrum conſenſus faciat propoſitionem hæreticam. Cap. XIX.*

NVNC, quoniam de communi ſanctorum patrum conſenſu dubitari ſolet, an faciat propoſitionem de fide; hac de re nobis diſputandum, atque quo pacto eorum auctoritas propoſitionem hæreticam faciat, explicandum eſt. Quod autem communis patrum opinio non ſit tanti momenti, vt faciat aliquid de fide, his poſſet rationibus demonſtrari. Primum, ipſorum Patrum teſtimonijs, cum id ipſimet affirmare videantur: nam Hieronymus aliquando ſcripſit ſolos Apoſtolos vera dicere, alios vero tractatores interdum aberrare: & Auguſtinus, nullorum diſputationes, quamuis catholicorum, & laudatorum hominum, nos ita venerari vult, vt nobis nõ liceat, aliquid in eorum ſcriptis improbare, cum aliter ſenſerint, quam veritas habet: aitque, Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum. Quam doctrinam

Diſtin. 9. can. Ego ſolis.

D. 9. cap. Neque.

Lib.2. de bap.cōtra Don. c.3. Epiſto. 7. 48.& 111.

nam varijs in locis maximæ auctoritatis pater nos conſtanter docuit. Idem docet diuus Thomas in articulo octauo in reſponſione ad vltimum; vbi ait ex doctorum auctoritate non duci argumentum neceſſarium. Deinde, ſancti patres in multis rebus communiter conſentiūt; & tamen oppoſitum ſentire,non cenſetur hæreticum; igitur eorum auctoritas non eſt tanta, vt rem faciat de fide. Antecedēs patet, in hac propoſitione,Angeli ſunt corporei,quam multi patres tanquam veram tradiderunt: & tamen contrarium verius, immo ſimpliciter verū eſſe cenſetur. Similiter communis conſenſus patrum tenet nō omnia ſimul a Deo a principio mundi facta fuiſſe; & tamen Auguſtinus oppoſitum ſine errore defendit. Similiter, vt Turrecremata,Caietanus,& Vandellus ſcribunt, communis eſt antiquorum patrum ſententia, beatam Virginem conceptam fuiſſe in originali peccato; & tamen nunc cōtrarium tanquam magis verum, cum pietate tenetur. Et horum ſimilia multa alia poſſent afferri exempla. Denique, ſinguli patres errare poſſunt,quod nemo prudens negaret; igitur & omnes ſimul: ergo quantumuis conueniant, nihil nobis, tanquam certa fide tenendum, ſtatuere poſſunt. In hac difficultate, quidam exiſtimarunt contra communem ſanctorum opinionē nos poſſe ſine errore aliquid affirmare: ita Petrus Abaylardus referente Bernardo, & Vuiclephus, vt Vualdenſis ſcriptum reliquit.

Origen. Auguſt. Baſil. Bernar. ſerm.6.in cant.

Epiſ. 190. Lib.doct. ſid.



In eadem ſententia olim fuerunt Arrius, Neſtorius, & Eutyches. Noſtris etiam temporibus multi hæretici qui parum auctoritati patrum tribuunt,idem exiſtimant.Et dominus Caietanus, vir alias doctus, & pius, initio ſuorum commentariorum in Geneſim, auſus eſt dicere, licere nouam ſcripturæ expoſitionem contrariam communi antiquorum patrum explicationi, afferre; idq; ea ratione nixus, quod Deus expoſitionem ſacræ ſcripturę ſenſibus antiquorum doctorum non alligauerit. Contrariam ſententiam communiter omnes ſcholaſtici doctores defendunt, eo modo, quem nunc explanabimus: quę proculdubio doctrina,tanquā veriſsima, conſtanter retinenda eſt. Vt autem hæc dubitatio explicetur, primum animaduertendum eſt, non eſſe hoc loco diſputationem de conſenſu,ſiue auctoritate aliquorum tantum doctorum,vel etiā multorum, a quibus aliqui alij diſſentiant, ſed omnium ſimul, & quidem eorum,quos Eccleſia tanquam probatos admittit, & quorum auctoritate,& ſcriptis vti ſolet. Qui autē ſint probati ſcriptores,poteſt cognoſci partim ex canone Sancta diſtinctione decimaquincta, partim ex capite Glorioſus,de venerat. ſanctorum libro ſexto,ac etiam ex capite, Ne innitaris de conſtitutionibus. Deinde, ex locis proxime citatis animaduertendum eſt,non omnia, quæ in patrum ſcriptis leguntur, eſſe huiuſmodi,vt ſint certa fide credenda,vt ea, quæ in libris canonicis

Turrecrema. Alb. Alphon. a Caſtr. Mag.can. Bannes Fran. Zumel. Dam.Ro. Iac.Simā. Epiſ.Pac.

Innoc.

Diſtin.9. cano.Ego ſolis.

canonicis habentur; licet quidam ineptiſſime contra ſenſerint; ſed ſolum ea, quæ tanquam dogmata fidei contra hæreticos retinenda eſſe docuerunt. Itaque in eorum monumentis triplex doctrinæ genus diſtinguere poſſumus: vnũ, quod mere ſpectat ad humanam philoſophiã: alterum, quod in rebus quidem ſacris continetur, ſed tamen eiuſmodi ſunt res, vt in ijs nihil tractetur, quod proxime fidei materiam includat: vt ſi quæreretur, vter fuerit præſtantior propheta, Moyſes an Dauid; vtra ſit nobilior operatio, diuinæ maieſtatis contemplatio, an amor? tertium, quod continet rem ad fidem & bonos mores pertinentem: vt, an Pater & Filius ſpirent Spiritum ſanctum: an pœna damnatorum ſit futura perpetua: an ſimplex fornicatio ſit graue peccatum: & de hoc poſtremo rerum genere eſt dubitatio. Poſtremo notandum eſt, inter multa alia diſcrimina, quæ ſunt inter ſcriptores canonicos, & ſanctos patres, illud eſt, quod illi, etiam ſinguli, & in ſingulis rebus, quas tanquam diuini Spiritus ſcribæ exarabant, errare non poterant: hi vero non in ſingulis rebus, vt eſt dictum, neque ſinguli, ſed omnes ſimul: ita vt, tunc ſolum eorum auctoritas poſſit facere rem de fide, quando omnes vno eodemque conſenſu, aliquid fide tenendum eſſe docent: quo fit, vt ſi qua in re inueniantur diſcordes, eorum auctoritas non ſit indubitata. Vt exempli gratia in declaratione huius ſcripturæ diuinæ loci,



loci, Pater maior me eſt, an debeat intelligi ratione Patris ſecundum diuinitatem, dantis auctoritate, quo modo aliquando Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Nazianzenus, Baſilius Magnus, Auguſtinus, Hilarius, Gregorius Beticus, & vt alios omittam, Damaſcenus, intellexerunt. an ratione Filij ſecundum aſſumptam humanitatem. Ad hoc etiam vt patrum auctoritas ſit irrefragabilis, debent id, quod affirmant, aperte, conſtanterq; aſſeueraſſe; ita vt ipſorum verba aliam expoſitionem non patiantur, nec aliter alibi ſenſerint, niſi quod dixerant, retractauerint. Poteſt autem hic communis patrum conſenſus conſiderari, vel in explanatione alicuius loci ſacræ ſcripturæ, vel in comprobatione alicuius dogmatis ad fidem pertinentis, & quod de vno dictum fuerit, idem de alio intelligendum erit. His ita adnotatis, has ſtatuo ſuper re propoſita concluſiones. Prima concluſio: In rebus philoſophicis, & ad humanas ſcientias pertinẽtibus a communi conſenſu patrum, cum ratione, diſſentire licet. Primum, quoniam in his rebus tantum eorum valet auctoritas, quantum ratio, qua innixi, aliquid affirmant. Deinde, quia non omnes fuerunt valde erudit in humanis doctrinis, cum magis in diuinis, quã in profanis libris legendis fuerint verſati. Secunda concluſio: Valde periculoſum ac temerarium eſt, a patrum doctrina in rebus, quæ ad noſtram religionem pertinent, velle recedere. Nam, vt ait Auguſtinus,

Ioan. 14. L. 2. Theſ. c. 3. Orat. 1. de Filio. Li. 1. cõt. Eun. Li. de fide & ſymb. Lib. 9. de trin. L. de fide. Lib. 1. c. 9.

L. de vtil. cred. c. 17 ſtinus, ſi vnaquęque diſciplina, quanquam vilis, & facilis, vt percipi poſſit doctorem requirit, quid temerariæ ſuperbię plenius, quam diuinorum ſacramētorum libros ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere? Epiſt. 5. d. 37. Relatum. Et, vt Hieronymus ſcribit, ſcripturæ ſanctæ intelligentiam abſque Dei gratia, & maiorum doctrina, ſibi imperitiſſimi vendicant. Oportet, inquit Clemens Romanus, ab eo intelligentiam ſcripturarum diſcere, qui eam a maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruat: vt ipſe poſſit ea, quæ recte ſuſceperit, competenter aſſerere. Quare, auctore Cap. 1. cęl. hier. Dionyſio, ad ſanctiſſimas ſcripturarum intelligentias, prout illas a patribus accepimus, contuendas pro viribus pergamus. Et quoniam hæc concluſio, ex ijs, quæ in confirmationē tertię cōcluſionis dicemus, manifeſta fiet, nihil eſt neceſſe, vt eam pluribus comprobemus. Tertia concluſio: Contra communem, conſtantem, certumque antiquorum patrum conſenſum in explicatione ſacræ ſcripturæ, & in re pertinente ad fidem, recedere, & contrarium affirmare, facit propoſitionem hæreticam. Probatur primum hæc concluſio nonnullis diuinæ ſcripturæ teſtimonijs, ex quibus euidenter colligitur. Verba ſapientium, inquit Sapiens, ſicut ſtimuli, & Eccleſ. 12 quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a paſtore vno: his amplius fili mi, ne requiras. In quem locum hæc ſcripta reliquit Hieronymus. Exceptis his verbis,



bis, quæ ab vno paſtore data ſunt, & concilio, atque conſenſu probata ſapientium, nihil tibi vēdices, maiorum ſequere veſtigia, ab eorum auctoritate non diſcrepes. Vnus itaq; paſtor Deus eſt, qui per magiſtros nos docet, a quibus nō eſt diſcrepandum. Quid hic diceret dominus Caietanus? Alio loco, idem ſapiens, hæc nos ſapienter admonet. Eccleſ. 8. Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt a patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectus, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum. Huc pertinent illa Luc. 10. Chriſti domini verba: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Paulus ad Epheſios capite quarto ait, Deū dediſſe Apoſtolos, quoſ- 1. Cor. 12. dam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ędificationem corporis Chriſti. Et ne plura diuinæ ſcripturæ loca afferam, cenſendum eſt impletū fuiſſe vaticinium illud Iſaiæ, quo Deus pollicitus eſt, ſe tales daturum Eccleſiæ doctores, qui eam doctrina veritatis paſcant: quod tunc certe cōtingit, quando omnes in ijs rebus conueniūt, quæ ad populos paſcendos pertinent. Secundo, eadem concluſio probatur Romanorum Pontificum conſuetudine, qui hæreticos patrum auctoritate damnarunt. Hac ratione Agatho con- In Syno. Later. firmauit fide eſſe tenendum, in Chriſto duas eſſe voluntates. Martinus Primus eos condemnauit, qui ſecundū ſanctos patres non reſpuunt,

&

& anathematizant nefandiſſimos hæreticos. Eadem ratione Clemens V. damnauit errorem cuiuſdam dicentis, Chriſtum non fuiſſe lanceã percuſſum, dum in cruce pendebat. Accedant tertio loco Cóciliorum teſtimonia. Concilium Epheſinum patrũ antiquorũ teſtimonio ſtatuit
Cap.3. contra Neſtorium Chriſtum non fuiſſe purum hominem: eorundem auctoritate Hiſpalenſe concilium in Chriſto duas voluntates eſſe decernit. In Trullana Synodo admonentur prælati, ne alia dogmata doceant, quam quæ ab Eccleſiæ luminaribus, & doctoribus accepere. Nicænum ſecundum anathemate ferit eos, qui patrũ
Seſſ.8. doctrinam contemnunt. In Conſtantienſi dãnati fuerunt Vuiclephi articuli, quod eſſent a ſanctis patribus reprobati. In Lateranenſi ſub
Seſſ. 11. Leone Decimo, mandatur omnibus, vt ſanctam ſcripturam iuxta declarationem, & interpretationem Doctorum, quos Eccleſia, vel diuturnus vſus approbauit, legendoque hactenus recepit, & in poſterum recipiet, prædicent, & explanent, nec quicquam ei ex proprio ſenſu contrarium,
Seſſ.4. vel diſſonum adijciant. In Tridentina Synodo definitur, ne quis contra vnanimem conſenſum patrum ſcripturam ſacram interpretari audeat: etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Refert tandem Epiſcopus Pacenſis, olim veteres Hiſpanos in quodam Toletano Concilio ſtatuiſſe, omnes debere patribus cõſentire: quia omne, quod contra



contra ipſos ſapitur, a rectæ fidei regula abhorrere ſentitur, nec eſſe amplius cum illis contendendum, qui ab eorũdem Patrum dogmatibus auſi fuerint diſſentire. Ideo recte ab Eccleſiã Concil. Trid.
ſtatutum eſt, vt cum quis doctoratus inſignia ſuſcipit, profiteatur ſe nõ aliter ſacram ſcripturã expoſiturum, ac patres faciunt. Quarto eandem veritatẽ qui poſteriores fuerunt patres de prioribus loquendo, conſtanter nos docuerunt. Et præter auctores ſupra citatos, Athanaſius ſcripſit ſententiam a maioribus confirmatam habere irrefutabilem fidei auctoritatem. Orat. cõtra idola.
Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus vir magnæ eruditionis & auctoritatis, dãnauit, vt in ſexta Synodo generali habetur, quorundam prauas ſcripturæ explanationes, dixitq; omnino neceſſe eſſe, non ſolum ſecundum ſenſum ſequi ſanctorum patrum dogmata, ſed etiam eiſdem vocibus vti cum illis. Act. 11. & 13.
Ambroſius ſcribens ad Gratianum ait, ſeruemus præcepta maiorum, neq; hęreditaria ſignacula rudi temeritate violemus. Item, Hieronymus patrum auctoritate damnauit Heluidium aſſerentem beatam Mariam non eſſe Virginem: Alio loco ſcripſit, Non tam Eccleſiæ doctores docere, quã Deum in ipſis. In epi. ad Gal.c.1.
Sunt & alia multa in diuo Hieronymo loca, in quibus eandem veritatem docuit, quæ breuitatis gratia omitto. In epi. ad Euagr. ad Paulin.
Diuus Auguſtinus eadem ratione Pellagianos dicentes, præcepta legis ſine Dei gratia ſeruari poſſe, damnauit. Et libro primo contra

contra Iulianum, cum eius errores ſanctorum patrum ſententijs confutaſſet, hęc adiecit verba: Audis omnes vno corde, vno ore, vna fide id ipſum dicere, & hanc eſſe catholicam fidem, non diſſonante conteſtatione firmatam. Vnde colligere licet, qualis debeat eſſe patrum ſententia, vt rem aliquam neceſſario probet. Aponius ſuis commentarijs in Cantica, dixit, ſcripturarum intelligentiam a patribus, & a Deo precibus petendam eſſe. Omitto hic Clementem, Alexandrinum, Epiphanium, Gregorium, & alios multos eiuſdem ordinis patres, atque eandem concluſionem quibuſdam rationibus confirmo. Primum, inter alia dona, quæ Chriſtus dedit Eccleſiæ, vt ex Paulo diſcitur, fuerunt doctores ad conſummationem ſanctorum, id eſt, vt fideles per eorum inſtructionem perfecti euadant: in opus miniſterij, id eſt, vt in credita ſibi adminiſtratione operentur: vt non ſimus paruuli fluctuantes, & ne circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circũuentionem, id eſt, ne in errorem mittamur per hominum aſtutiam & nequitiam, circumuenti, & inſidijs intercepti. Ergo, ſi doctores nobis dati ſunt, ne decipiamur, ipſi conſentiendo decipi non poterunt. Alias enim illud Iſaiæ vaticinium verum non eſſet, Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui a modo, & vſque in ſempiternum. Deinde, Chriſti doctrina,

Et li. 2. cõtra eũdé. In proœ. de doctr. Chriſt. Lib. 5. Strom. Hæreſ. 61. Lib. 28. mor. c. 9. Epheſ. 4. Ioan. Gagn. Cap. 59.



ctrina, non tam in ipſis ſcripturis, & in cortice literæ continetur, vt patres docent, quam in vero ſcripturarum ſenſu, ergo ſi ſanctorum communis conſenſus poſſet errori eſſe ſubiectus, Eccleſia non haberet veram Chriſti doctrinam; quod aſſerere impium eſt. Poſtremo, fideles ſunt obligati, ex Chriſti præcepto, credere doctoribus, quos ipſe Eccleſiæ ſuæ dedit: ergo ſi hi poſſunt errare, male Dominus ſuis fidelibus cõſuluiſſet, & tota Eccleſia errare poſſet: quod ſi fideles ſuis præceptoribus fidem habere non deberent, tanquam de falſitate ſuſpectis, iam cuiq;, eum quẽ vellet ſenſum, pro ſua voluntate, ſequi liceret; & ita Eccleſiæ vnitas diſſiparetur, corpusq; Chriſti ad cuius perfectionem dati ſunt doctores, diſſolueretur. Quarta concluſio: Vt aliqua propoſitio contra ſententiam patrum cenſeatur hæretica, debet eſſe cõtra ſenſum propoſitionis a patribus pronuntiatæ, quem facit ſecundum propriam terminorum ſignificationem. Vnde, qui intelligit formationem Euæ ſolum allegorice, vere contradicit propoſitioni, quam affirmant patres, dicentes intelligendam eſſe hiſtorice. Similiter, qui hanc ſententiam, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. intelligeret ſolum de aqua myſtice, aduerſaretur patrum ſententiæ, qui de vera aqua eam exponunt: in quo grauiter Franciſcus Georgius errauit. Et hæc dicta ſint pro reſolutione huius difficultatis, quam latius pertractauimus, quoniam quæ hic diximus erunt

Hilar. Auguſt. Hier. Luc. 10. Gen. 2. Ioan. 3.



nobis

nobis vtilia pro diſputatione de locis Theologicis, de quibus ſtatim ſcribemus. Reſtat ergo vt argumenta in contrarium allata, diſſoluamus. Primum, facile ex dictis ſoluitur: ſolum enim probat priuatam alicuius, vel etiam aliquorum patrum auctoritatẽ nihil neceſſario demonſtrare; quod libenter cõcedimus. Et cum ipſi patres dicunt, alios poſſe errare, eos dãnare volunt, qui alios ſcriptores canonicis ſcriptoribus æquare ſolent. Secundum, ſolum concludit, in ijs rebus, in quibus non omnes conſentiunt, vel in ijs, quæ nõ continent dogmata, vel mores, nos poſſe aliter ſentire: quod etiam nos affirmamus. Tertium ſolueres, ſi conceſſo antecedenti, negares conſequentiam: quia licet ſinguli queant errare, non tamen omnes ſimul: quoniam, cum in Eccleſiæ doctoribus, in ijs quæ ad mores & fidem pertinent, debeat eſſe diuinus ſpiritus, eo aſſiſtente, labi non poterunt.

## *De propoſitione erronea, hæreſim ſapiente, male ſonante, ſcandaloſa, temeraria, iniurioſa, & ſchiſmatica.* *Cap. XX.*

EX ijs, quæ tribus capitibus fuſius diſputata ſunt, quæ nam ſit propoſitio hæretica, ſatis manifeſtũ eſſe exiſtimamus. Ad alia igitur malarum propoſitionum genera explicanda, tranſitum faciamus: ac primum quidem quænam ſit propoſitio erronea, quę proxime ad hęreticam accedit,



accedit, dicamus. Quod autem huiuſmodi propoſitio, ſit ab hæretica diuerſa, ex Concilio Conſtantienſe, vbi articulorum Vuiclefi, alij erronei, alij hęretici vocantur, ſatis aperte conſtat. Vt autem qua ratione hę duę propoſitiones diſcrepẽt, aperiamus, notandum eſt, veritatem catholicam eſſe duplicem: alteram, quę iam ab Eccleſia determinata eſt, cuius oppoſitum affirmare, eſt hęreticum: alteram non dum determinatam, cui contradicere exiſtimatur erroneum. Hanc diſtinctionem innuit Auguſtinus libro ſecundo contra Pelagium, vbi ait, Alias quęſtiones eſſe contra fidem, alias vero pręter fidem: atque in ijs, quas, ſalua fide, ignorare poſſumus, ſine aliquo hęretico dogmatis crimine, nos etiam poſſe errare. Quare, propoſitionem erroneam ſic deſcriberes. Propoſitio erronea proprie ea dicitur, quę catholicę veritati, non adhuc tamen de fide terminatę, contradicit. Huiuſmodi propoſitionis exempla, hęc ſunt. Si quis affermaret beatam Virginem conceptam in peccato originali, vel ſine eo eſſe conceptam, eſſe hæreſim, aut peccatũ mortale, eſſet erroneum: quoniam, hoc non eſt ab Eccleſia deciſum, ſed ſolum ſub excõmunicationis pœna prohibitum. Similiter, affirmare veſtem nuptialem eſſe ipſam fidem, nõ autem caritatem; cum id Mat. 22. non exprimatur. Item, Chriſtianum non poſſe intendere litẽ proximo, vt Lutherus affirmauit: iniurias & damna Chriſtianis omni ex parte eſſe ferenda,

Cap. 23.

Extrau. Graue nimis.

1\. Cor.4. cum id non dicat Apoſtolus, ex cuius doctrina iſta propoſitio deducitur. Eſt alia mala propoſitio, quæ dicitur hæreſim ſapiens, quæ ſic deſcribitur. Illa propoſitio hæreſim ſapit, quæ prima verborum ſignificatione, quam verba ipſa præ ſe ferunt, ſenſum habet hæreticum: quamuis pie intellecta, ſenſum poſſit habere catholicum. Itaque ad huiuſmodi propoſitionem conficiendã, requiritur, vt ex ipſa (alia veritate, quæ nulla ratione poſſit negari, poſita) ſequatur hæreſis manifeſta, & quod talis propoſitio, qualitercunque ad catholicum ſenſum pertrahi queat. Huius propoſitionis duas poſſumus cõſtituere ſpecies: vnam, quæ hæreſim ſapiat manifeſte, vt ea, quæ eſt contra fidei articulos, quos fide tenendos eſſe omnes norunt: alteram quæ ſapit hæreſim occulte, vt eſt ea, quæ eſt contra fidei dogmata ſolum viris doctis perſpecta. Quarum propoſitionum hæc ſubijcio exempla. Si quis diceret, Dei Filius pati non potuit, ſapit hæreſim manifeſtã;

In ſymb. quia prima facie opponitur articulo manifeſto, quo confitemur, Paſſus ſub Pontio Pilato: ſed poteſt pie intelligi, hoc modo: Filius Dei ſecundum diuinitatem pati non potuit. Hæc vero, Chriſtus eſt creatura, ſubolet hæreſim arrianã, cum videatur affirmare Filium eſſe minorem Patre: ſed pie explicari poteſt ſecundum naturam humanam: quo modo explicandi ſunt qui-

Damaſ. Hieron. dam ſcriptores, qui interdum iſtam propoſitionem vſurpant. Quidam modernus ſcriptor in ſuis



ſuis monumentis hanc propoſitionem reliquit, Luciferum traxiſſe ſecum tertiam partem angelorum iam beatorum: ſapit hæc propoſitio occultam hæreſim, ſuppoſita hac propoſitione de fide, Beatum non poſſe damnari: ſed iſta propoſitio, quamuis non ſatis commode, pie exponi poteſt, de beatitudine naturali; quod ſcilicet Angeli illi ſolum beati eſſent, quadam naturali beatitudine. Rurſus, hæ etiam propoſitiones hæreſim ſapiunt: Imagines, quæ adorentur, non ſunt faciendæ: ſolum id eſſe credendum, quod eſt in verbo Dei: ſolam fidem iuſtificare, & huius generis ſimiles, ex ſacris literis in prauum ſenſum deflexæ: quæ tamen, aliqua adiecta declaratione, ſaluari poſſunt. Eſt item alia propoſitio, quæ dicitur, Male ſonans, ſeu pias aures offendens: & eſt ea, quæ, licet nihil hæreticum guſtui ſapiat, quia offenſio non eſt ita grauis, vt guſtum, qui eſt ſenſus craſſior, quam ſenſus auditus, lædat: tamen auditum, qui eſt ſubtilior, offendit, dum quiddam ingratum & aſperum reſonat: vt ſunt huiuſmodi propoſitiones: Plures ſaluantur ex laicis, quam ex clericis: vniuerſitates & collegia hominum vanitate ſunt introducta: leguminibus & piſcibus venter inflatur, & ad concubitum redditur aptior. Alia item reperitur, quæ ſcandaloſa nominatur, & eſt ea, quę cum male ſonet, piaſque aures offendat, ſimul etiam ijs, qui eam audiunt ruinæ occaſionem præbet. Itaq; cum aliquid tale profertur, quod Apoc.12.

ſit aptum ad præbendam infirmioribus errandi anſam, ſcandaloſa oritur propoſitio. Vt ſi quis apud plebem incommoda ſacramenti confeſſionis recenſeret: vel religioſorum vitam minus honeſtam, manifeſtaret. Huc referenda ſunt obſcęna verba, & exempla, etiam ſi id non ſignificent, quod eſt turpe factu, modo ſit turpe dictu. Poſtremo, alia eſt propoſitio, quæ dicitur temeraria, & eſt ea, quæ inſolenter, & audacter contra eccleſiaſticam modeſtiam, abſq; vlla auctoritate aſſeritur. Itaque, ſi quis ſine ratione & maturo iudicio aliquid nouum & inauditum proferret, id, ad propoſitionem temerariam referri poſſet. Vt ſi quis diceret, iudicij extremi diem poſt annum venturum: Chriſtum poſt reſurrectionem per quadraginta dies manſiſſe in arca fœderis: Deum homini ſufficienter præpaparato non ſemper dare gratiam: paruulos poſſe alia ratione a peccato originali liberari, cum non adeſt baptiſmi ſuſcipiendi facultas: & huius generis alias propoſitiones aſſereret. His, iam explicatis malarum propoſitionum generibus, ſolent quidā alia duo genera ſubijcere: in quorum vno, ſchiſmatica, in altero iniurioſa reponitur propoſitio. Schiſmatica, quæ etiam ſeditioſa vocatur, eſt, quæ vnionem membrorum Eccleſię, vel vniuerſaliter, vel particulariter, quauis ratione tollit: cuiuſmodi ſunt hæ propoſitiones. Epiſcopus non eſt ſimplici ſacerdote ſuperior: Papa non eſt ſuperior ceteris epiſcopis:

Alfonſ. a Caſt.

malo



malo prælato non eſt obediendum: omnia bona ſunt communia: per peccatum omnis amittitur poteſtas: ſubditi poſſunt pro ſuo arbitratu ſuos ſuperiores peccantes redarguere. Propoſitio iniurioſa eſt, quæ alicui ſtatui fidelium, vel alicui illuſtri perſonæ detrahit. In quo genere continentur multæ propoſitiones Ioannis Vuiclefi in Conſtantienſe concilio damnatę: Vt ſunt iſtæ: Qui ingreditur aliquam priuatam religionem redditur ineptior ad obſeruātiam mandatorum Dei: Romana Eccleſia eſt Synagoga Satanę: Cardinales ſunt miniſtri Antichriſti: omnes de ordine mendicantium ſunt hæretici, & dātes eis eleemoſynas ſunt excommunicati. Atque hæc de malarum propoſitionum varietate, & qualitate dicta ſufficiant: ad quarum tamen maiorem intelligentiam, antequam huic capiti finem facio, vnum vel alterum adnotabo. Primum, hæ omnes propoſitiones, non ſunt ita inter ſe diſiunctę, vt vnius qualitas non poſſit alteri conuenire: quo fit, vt vna & eadem poſſit eſſe hæretica, ſcandaloſa, ſchiſmatica, & iniurioſa, vt hæc, viuentes in aliqua priuata religione, non ſunt de religione chriſtiana. Hæc autem, qua quidam concionator alias doctus, & fama celebris ſuam exorſus eſt concionem, Deus non fuit antequam mundus eſſet, fuit male ſonans, ſcandaloſa, & ſapiens hæreſim: quia poteſt exponi, Deum ante mundi molitionem nō habuiſſe relationem dominij ad creaturas. Deinde, omnes

Nn 4 hæ

hę propoſitiones ita ſunt a prudenti pioq; Theologo fugiendæ, ac ſi eſſent expreſſæ hæreſes: cũ non ſolum error; ſed etiam erroris ſuſpicio cauenda ſit. Poſtea, propoſitio erronea & ſapiens hæreſim, non ſolum ex ipſis verbis, perpendenda, ac iudicanda eſt, ſed etiam ex perſonarum, locorum, temporumque circunſtantijs. Præterea, circa temerarias propoſitiones, obſeruandũ eſt, eas hoc nomine notari, quæ ex impetu quodam, & ex contemptu regulę, quæ ſeruari in docendo & ſcribendo debet, proferuntur: quia, ſi quid inſolitum, & ſine auctoritate, pie tamen excogitatum, pietatis, & ſalutis fidelium zelo, adhibita modeſtia, proferatur, quod aliquam vtilitatem fidelibus afferat, pro temerario non erit habendum. Huiuſmodi ſunt multa, quę pij viri contemplationi dediti circa Chriſti paſſionem, vel aliquid aliud ſimile, veriſimiliter geſta, fuiſſe dicunt. Poſtremo, illud obſeruandum eſt, quanta cum cautela fidei dogmata, & res diuinas tractanti, ſit loquendum, ſcribendum, ac imprimendum: cum varijs modis in rebus diuinis explicandis errare contingat. Atque de his propoſitionibus hæc ſatis.

*Libri Quarti Finis.*

# INTRODVCTIONIS
## In Sacram Theologiam,
## *Liber Quinctus:*

De locis Theologicis, de diuinæ Scripturæ ſenſibus, & de Sacræ Theologiæ Auditore, atque Magiſtro.

### *Quid ſit locus Theologicus, quotuplex, & quam ſit vtilis & neceſſaria horum locorum notitia. Cap. I.*

QVANTVS ſit locorum communium vſus, quantaque vtilitas, atq; neceſſitas, ij ſane norunt, qui vel leuiter Dialecticam, & Rhetoricam attigerunt: cum hæ duæ facultates locorum communiũ tractationem ſibi, diuerſa tamen ratione, vendicent. Quorum locorum notitia qui caret, is quaſi pauper & nudus incedit, & veluti inermis in

Lege noſtrum lib. de Inuẽt. cap. 1.

in arena literaria verſatur. Is, ſi quid ei ad explicandum propoſitum fuerit, hæſitat, tempus ad cogitandum, reſpondendumq; ſibi dari petit, cum difficultate aliquid ſtatuit, & denique, quæ excogitauit ieiune & exiliter explicat. Quibus incommodis paucos inuenies in omni fere ſciẽtiarum, ac artium genere, quod communes locos penitus cognitos, atq; tractatos non habeãt, qui non vehementer laborent. Et, vt de Theologo loquamur, qui ſcripturas diuinas in promptu nõ habet, qui in lectione ſanctorum patrum non eſt verſatus, qui ſummorum Pontificum & Conciliorum decreta non euoluit, qui denique eccleſiaſticas traditiones & hiſtorias non lectitauit, is, vt leuiter dicam, infeliciter, in ſchola theologiæ verſabitur. Et hinc eſt, quod multos videmus Scholaſticos, a quibus, ſi quæ ab humana tantum philoſophia mutuati ſunt, repeteres, parum quid eis ſupereſſet: & ſi extraneis veſtibus ſpoliares, vix eos agnoſceres, an ſint Theologi. Quare, omnem curam, cogitationem, & laborem huc omnes Theologiæ candidati conferant, vt ſuos locos communes penitus cognitos, atque tractatos habeant. Vt igitur in hac noſtra Inſtitutione nouos in acie Theologica tirones ſuis armis muniamus, & promptos expeditoſque ad decertandum reddamus, cum ſuperius de principiorum, quęſtionum, ac concluſionum theologicarum natura, breuiter pro rerum magnitudine, egerimus; nunc eiuſdem artis locos,



cos, quibus ad ſuas propoſitiones probandas vtitur, paucis, alias in opere de arte explicãdarum ſcripturarum fuſius dicturi, explanabimus. In præſenti igitur tractatione duo potiſſime in ſingulis locis explicandis præſtabimus: primum loci vim atque naturam aperiemus: deinde cuiuſque loci vſum, id eſt modum, quo ex eo argumenta ducantur, indicabimus. Sed antequam ad ſingulos explicandos aggredimur, quid ſit locus theologicus, & quotuplex exponamus. Locus ergo Theologicus eſt ſedes, vnde argumenta ſumuntur ad probandam quæſtionem theologicam. Vel, eſt communis quædam nota, cuius admonitu, quid in re theologica probandum ſit, poteſt inueniri. Cur id, vnde ſumuntur argumenta, locus, ſedes, & nota dicatur, ex ijs, quæ Dialectici ſcripſerunt, intelligi poteſt: id ad rem noſtram nihil. Loci theologici ſunt numero decem, vt communiter docetur: auctoritas ſacræ ſcripturæ, apoſtolica traditio, auctoritas vniuerſalis Eccleſiæ, Romani Pontificis teſtimonium, Conciliorum approbatorũ decreta, antiquorum Patrum & Eccleſiæ doctorum communis conſenſus: Scholaſticorum ſententiæ, quibus Iuris Pontificij peritorum adiungitur auctoritas, naturalis ratio, philoſophorum opinio, quibus accedit iuris Cæſarei conſultorũ auctoritas; ac demum eccleſiaſticæ, & humanæ hiſtoriæ teſtimonium. Hi loci varie diuidi poſſunt: primũ, alij ſunt proprij & intrinſeci huic facultati,

Cicero. Rodol. Arige. Lege noſtrum lib. de Inuẽt.

Melch. cano.

facultati, vt omnes ſeptem priores: alij extrinſeci,& alijs artibus communes, vt alij tres poſteriores. Deinde, alij ſunt qui ſola auctoritate nituntur, vt ſunt omnes, octauo excepto, qui a ratione ſumitur. Rurſus alij neceſſario rem aliquam fide tenendam eſſe demonſtrare poſſunt, vt omnes ſex priores: alij vero non ita. Quare locus ab auctoritate Scholaſticorum eſt quidem proprius, ſed nihil fide tenendum eſſe, ſe ſolo, demonſtrat: habet tamen maiorem vim, quam alij poſteriores. Qua autem ratione inter ſe diſtinguantur, cum de ſingulis agemus, planum fiet. Ex his autem omnibus locis, præcipuam vim habet, locus ab auctoritate diuina immediate aliquid reuelante. Quod autem Theologia quoſdam priuatos locos ab humanarum artium locis, diuerſos habere debuerit, manifeſtius eſt, quam vt lõga probatione indigeat. Nam, cum ſit ſcientia alterius ordinis, etiam locos alterius rationis eam habere oportuit: cum loci debeant eſſe maxime accommodati, & apti illi facultati, cui inſeruiunt. Cur autem locus ab auctoritate, & maxime diuina, primus habeatur, ex eo fit, quod hęc doctrina, ratione ſuorum principiorum, Deo dicenti & reuelãti innititur. Sed roget aliquis, cur diuus Thomas in prima quæſtione primæ partis articulo octauo ſolum mentionem fecit de tribus locis theologicis, & alios omiſit? Dicerem, diui Thomę propoſitum in eo articulo non fuiſſe tradere cognitionem loco-



locorum theologicorum, ſed ſolum docere ſacram Theologiam argumentatione vti: & reſpondens ad argumenta, indicauit quibus locis potiſſimum vtatur, & vnde neceſſario, & vnde probabiliter argumẽta petat. Adde etiam, quod ceteri loci ab ipſo prætermiſſi, ad illos tres reuocari poſſunt: ad auctoritatem ſcripturæ, locus a traditione, & ab eccleſiæ, pontificum, conciliorumq; auctoritate: ad locũ a teſtimonio patrũ, locus ab auctoritate ſcholaſticorũ, philoſophorum, & hiſtoriarũ. Expoſitores autem diui Thomę de quibuſdam locis hic fuſius agunt, de alijs alibi, de alijs nullibi: & alij plures hic exponunt, alij pauciores, alij nullos. Inter ceteros autem Melchior Cano integrum volumen copioſe ornateq; primus omnium de locis theologicis nobis ſcriptum reliquit: ex cuius tamen ſcriptis ob longã diſputationem, & multarum quæſtionum varietatem, poſt multos labores, vix aliquis, etiã bene eruditus, vim, naturam, vſumque horum locorum perciperet. Nos vero, quæ ad hoſce locos cognoſcendos, internoſcẽdos, & ad vſum traducendos pertinent, breui faciliq; methodo pro capacitate eorum, qui de nouo ad ſtudia theologica accedũt, explicabimus: ex qua explicatione tantũ vtilitatis noſtros lectores percepturos eſſe confidimus, quantũ ex longiſſima auctoris citati tractatione, quod ad rem ipſam attinet, perciperent. Sed quæret de nobis hoc loco quiſpiam, ſi omnes fere theologi agentes de natura Theologiæ,

logiæ nihil de his locis dixerunt; & ſi vnus, vel alter ex ijs, qui hanc materiam hoc loco tracta-runt, non omnes explicarunt, cur tu & hic, & de omnibus diſſerere vis? Expedita eſt reſponſio; quoniam nos, id, quod nemo hactenus fecit, abſolutam quandam Theologię cognitionem tradere, & nouos huius doctrinæ auditores, ad ea omnia, quæ in hac diſciplina traduntur, percipienda, idoneos reddere volumus. Meo autem iudicio, non erit omni ex parte idoneus auditor, qui principiorum naturam, & locos, fonteſque, vnde hæc diſciplina emanat, & ſuas deducit argumentationes, & quantum momenti rationes ex his locis ductæ habeant, ignorauerit. Nanq; ſine horum locorum notitia, quæ ratio neceſſario concludat, quæ probabiliter, quæ ſophiſtice, & quod magni intereſt, propoſitionum ſiue cõcluſionum qualitates, percipiet nemo. Male introducitur miles in aciem inermis: male tractatur ea ars, ab eo, qui eius inſtrumẽta ignorat, aut ſi nouit, vſum non tenet. Et denique, vt ſupra ſcripſimus, hæc noſtra introductio eſt veluti quædam priuata logica, ſeu pædia ad vniuerſam de Deo ſcientiam: ac proinde de locis, & quidẽ de omnibus, nobis diſputandum fuit. Et vt breui concludam, qui hos locos ignorat, theologiæ principia ignorat: quo nihil poteſt de eo, qui aliquam artem profitetur dici, aut excogitari ineptius. Debent itaque, & omnes, & a principio argumentorũ ſedes & notæ, bono futuro Theologo,



logo, eſſe cognitæ atque perſpectæ, vnde ad veritates confirmandas erroreſq; refellendos propria & idonea promere argumenta poſſit. Non erit itaque a noſtro inſtituto vllo modo aliena hæc tractatio. His hunc in modum expoſitis, rem ipſam aggredior, atque primum de loco auctoritatis ſcripturæ diſputationem inſtituo.

*De loco auctoritatis ſacræ ſcripturæ: vbi docetur quid ſit ſcriptura, ac etiam nonnullæ animaduerſiones ad huius loci notitiam neceſſariæ, traduntur. Cap. II.*

VT eam methodum, quam nobis ſeruandã eſſe in hac tractatione diximus, ſequamur, primum propoſitum locum hunc in modum deſcribimus. Sacra ſcriptura eſt doctrina de rebus diuinis a Spiritu ſancto non humano more inſpiratis, eiuſdemque afflatu abſque vllo errore in communem Eccleſiæ vtilitatem conſcripta. Dicitur doctrina de rebus diuinis, vt diſtinguatur a doctrina humana: dicitur ſcripta, ad differentiam eius diuinæ doctrinæ, quę verbo non ſcripto, ſed traditione habetur: dicitur a Spiritu ſancto inſpiratis, quia ſacri ſcriptores nõ ſcribebant, niſi Spiritu ſancto reuelante, vel ad res iam notas ſcribendas inſtigante. Erant enim eorum linguæ tanquam calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Dicitur, non humano more, id eſt, nulla adhibita diligentia, vel inquiſitione humana,

Pſal. 44. 1. Pet. 1. Ioan. 14.

na, vt diſtinguatur a decretis Conciliorum, & ſummorum Pontificum, in quibus aliquid, aſſiſtente Spiritu diuino, fide tenendum ſcribitur, ſed non ſine inquiſitione & diligentia humana, vt infra docebitur. Dicitur, eiuſdemq; afflatu, quia Spiritus diuinus ſacris ſcriptoribus non modo res, cum erant occultæ, ſed etiam verba ſuggerebat, vel ſaltem quibuſdam in locis, ni ſingula verba ſubminiſtrabat, ita tamen aſſiſtebat, vt in verborum delectu & contextu errare nullo modo poſſent. In quo etiam ſcriptura ſacra differt a Conciliorum, & Pontificum decretis; vbi Spiritus Dei ſolum ad ſententiæ definitionem, non ad ſcriptionem, concurrit. In poſtremis verbis cauſſa formalis, ac finalis huius doctrinæ manifeſtatur, quæ eſt, communis vſus & vtilitas totius Eccleſiæ. Ex hac allata & explicata deſcriptione, nonnulla colligere licet, ex quibus magis huius doctrinæ vis, atque natura nobis plana fiet. Colligitur itaque primum, quę ſint huius doctrinæ conficientes cauſſæ, quæ ipſa deſcriptione continentur: efficiens eſt diuinus Spiritus: materia, ſunt res diuinæ: forma conſiſtit in modo, quo dictata & ſcripta fuit, ac etiã in certitudine: finis, quod ſit ſcripta in communem fidelium vſum. Deinde, quidquid eſt in hac ſcriptura eſſe veriſſimum, & certa fide tenendum: ita vt in ea nullum prorſus ſit, vel leuiſſimum mendacium, ac proinde nulla vera contradictio. Poſtea, in ſcriptura nullum eſſe verbum otioſum,

Aug. li. de mor. Ecc. cap. 48. & Epiſt. 8. & 9. ad Hier.

otioſum,



otioſum, nihil ſuperflui, aut diminuti, cum ſit proxime a Deo dictata, cuius opera ſunt perfecta. Quo fit, quod pie, & docte libro tertio de doctrina Chriſtiana monuit Auguſtinus, vt huic doctrinæ nihil addendum, aut detrahendum ſit. Quod ſi hic quæras, vbi nam hæc doctrina, & quibus in libris contineatur; dicerem primo, præcipue contineri in corde Eccleſiæ: deinde in ijs libris, qui vocantur canonici, hoc eſt, regulares; ſic appellati, quod nobis dati ſint pro regula recte ſentiendi, atque viuendi. Neque omnes libri qui in Biblijs continentur, canonici putantur, nec ſimiliter quęcunque verſio pro canonica habetur, ſed in ijs, & ea, quos, & quam Romana approbat Eccleſia, nimirum in veteri, & vulgata editione. Libri autem, qui tanquam canonici approbantur, ſunt iſti. Teſtamenti veteris, quinque Moyſis, id eſt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, Rut, quattuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ Primus, & Secundus, qui dicitur Neemias, Thobias, Iudith, Heſter, Iob, Pſalterium Dauidicum cẽtum quinquaginta pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, Primus, & Secundus. Teſtamenti

Baſ. hom. 10.

Cap. 4.

Cõci. Tri. ſeſſ. 4.



noui,

noui, quattuor Euangelia, ſecundum Matthæū, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apoſtolorum a Luca Euangeliſta conſcripti: quatuordecim Epiſtolæ, Pauli Apoſtoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duę ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duæ, Ioannis Apoſtoli tres, Iacobi Apoſtoli vna, Iudæ Apoſtoli vna, & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli. Neque hic a me expectes prçter rem, diſputationem de ſingulis ſingulorum librorum ſcriptoribus, de verſionum varietate, earumq; auctoribus: cum his de rebus alibi integris libris iam ſcripſerim: nec hic ſit proprius locus diſſerendi de hac materia. Vt autem modum argumentandi ex hoc loco melius explicemus, aliqua prænotare neceſſe eſt. Primum, cum in hac ſcriptura non modo verba, ſed etiam res ipſæ aliquid ſignificent, hinc eſt vt duos in ea ſenſus, ex communi ſanctorum patrum ſententia, reperiātur: vnus qui dicitur literalis, ſiue grammaticalis, qui oritur ex ipſa verborum ſignificatione: alter qui ſpiritualis, ſiue myſticus nuncupatur, qui naſcitur ex rerum ſignificatione. Exempli
Ioan. 19. gratia, hic locus: Os eius non comminuetis: in priore ſenſu intelligitur de agno paſchali, in altero vero de Chriſto in cruce poſito, cuius crura non erant frangenda. Solet autem eſſe inter doctores dubitatio, an ex vtroque ſenſu efficax argu-



argumentum ſumere liceat, de quo poſtea quid ſentiendum ſit, ſtatuetur. Deinde, animaduertendum eſt, non omnia, quæ fidelibus ſunt ad ſalutem neceſſaria in his libris cōtineri, niſi aliqua ratione implicite: ita vt exiſtimandum non ſit, ea tantum eſſe probanda & retinenda, quæ in his codicibus ſunt ſcripta, & ea reijcienda, quæ in illis non habentur, vt planius in ſecundi loci explanatione dicam. Poſtea, obſeruandum eſt, vt cum volumus argumentum ex ſcriptura ducere, diligenter verborum vim ac proprietatem ſpectemus, ac diligenter perpendamus antecedentia & conſequentia, ne ſtatim ſimplici verborum ſono moti, velimus argumentum ducere, quod verba aliquid ad rem noſtram accommodatum, ſonare videantur. Vt ecce, ſi ad probandum beatam Virginem non eſſe conceptam in peccato originali, adduceres, cum quibuſdam, illud pſalmi, Quæretur Pſal. 9.
peccatum illius, & non inuenietur: cuius loci hæc eſt ſententia; tanta eſt in peccatore peruerſitas, vt etiam ſi de eius peccato inquiras, ſe nihil peccaſſe dicat, & nullius peccati ſe accuſet. Qui aliter faciunt, indigne ſcripturam tractant, ſæpe labuntur, & male apud catholicæ Eccleſiæ hoſtes audiunt. Poſtremo, animaduertendum eſt, quod licet omnia quæ ſunt in diuinis literis ſint certiſſima, & eiuſdem prorſus momenti atque auctoritatis; tamen non eſt exiſtimandum, quin varie ex ea argumentari con-

tingant, ita vt argumenta ex ea ducta, ob noſtri ingenij imbecillitatem, vim non habeant parem. Itaque, vt ex alijs quoque libris neceſſario, probabiliter, & ſophiſtice argumentamur, ita etiam ex diuinis literis: idque vel ex eo patet, quod ex vno eodemque loco catholicus, vel neceſſario, vel probabiliter diſputabit, hæreticus vero ſophiſtice; quod, vt dixi, noſtro accidit vitio.

### *Qua ratione, tum ex literali, tum ex ſpirituali ſenſu ſcripturæ argumentari liceat.* *Cap. III.*

His itaque hunc in modum notatis, alterum quod propoſui aggrediar: &, vt id plane perſpicueque exequar, rem omnem dictis quibuſdam comprehendam: ac primum quidem de ſenſu literali, tum de myſtico, ſeu ſpirituali dicam. Primum dictum: quattuor modis ex ſenſu literali certum, ac neceſſarium ducitur argumentum. Primo, quando aliquid immediate ex loco claro, & per ſe manifeſto, colligitur. Vt ecce, Deus creauit cœlum & terram, vt ait ſcriptura, igitur creatio datur. Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; creaturæ igitur non ſunt malæ. Secundo, cum argumentum ducitur ex loco declarato, ab aliquo, qui ad explicandam ſcripturam habet Spiritus ſancti aſſiſtentiam, vt fuerunt ſcriptores canonici dum citabant alium ſcripturæ locum ad aliquid probandum; ac etiam Eccleſia, dum aliquem locum, ex intentione exponit. Exempli gratia, Paulus ait in baptizato manere peccatum, exponit Eccleſia, & per peccatum intelligit, fomitem peccati: hinc neceſſario concludes, igitur per baptiſmum tollitur peccatum originale. Tertio, ex loco qui communi patrum conſenſu, ad aliquid de fide tenendum in aliquo ſenſu ſit expoſitus: vt patet ex ijs, quæ libro quarto capite decimooctauo, a nobis diſputata fuere. Quarto, quando neceſſaria ac manifeſta conſequentia, ex ijs, quę in diuina pagina dicuntur, aliquid argumentando conficitur: vt, Chriſtus eſt Deus & homo, vt ſcriptura docet; igitur duas habet voluntates. Secundũ dictum: Tribus modis ex ſenſu literali ſcripturæ probabiliter argumentari contingit. Primo, cum locus fuerit varie a doctoribus expoſitus, ac re vera varias patitur explicationes. Vt ecce, ex hoc loco; Terra autem erat inanis & vacua: aliqui colligunt in mundi molitione præceſſiſſe chaos: alij vero ſolum præceſſiſſe res informes, & nondum ornatas, factas tamen ſecundum ſuam ſubſtantiã. Secundo, cum locus non eſt omnino clarus, tamen illud ſignificare, videtur, quod inde conficitur; vt ex hoc loco, Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul. Auguſtinus ex his verbis probabiliter concluſit, omnes creaturas vno temporis articulo a fabricatore Deo conditas fuiſſe:

Gen. 2.



Rom. 17.

Gen. 1.

Eccli. 18

Lib. 1. ſuper Gen. ad Lit. c. 15.

cum id ſcriptura ſignificare videatur. Cæterum, cum in primo Geneſeos capite ſeorſim,& varijs diebus creationis, & perfectionis opera facta fuiſſe hiſtorice narretur, non omnia vnico momento condita fuiſſe, alij expoſitores magis pro-
Baſil. babiliter docent. Tertio,cum ex certo alias loco, quippiam conſecutione non admodum euidenti colligitur: vt ſi ex eo,quod dicitur. Hæc eſt vita æterna,vt cognoſcant,te Deum, &c. colligeres beatitudinem in ſola cognitione diuinæ naturæ poſitam eſſe, vt aliqui colligi poſſe putant: ex quo tamen loco id non conficitur neceſſario. Ex quibus intelligeres, nullum eſſe inconueniens, licet idiotæ id pro incõuenienti habeant, ſi inter ſcripturæ diuinæ expoſitores ſint opiniones diuerſæ,& ſæpenumero contrariæ: & ſi ex eadem ſcriptura ſuas contrarias opiniones confirment, cum ex ea, vt eſt demonſtratum, probabilia argumẽta ducantur: quod eſt naturæ
Sap.8. humanæ, & ſapientiæ diuinæ cuncta ſuauiter moderanti, maxime conſentaneum. Tertium dictum: In huius loci tractatione poſſunt eſſe aliqui abuſus; ac proinde aliquando ex eo ſophiſtice argumentari contingit. Abuſus autem ſunt fere iſti. Primus,ſi quis ex ſcriptura contra ſcripturam argueret,vt olim fecerũt Manichæi: & nunc etiam faciunt Iudæi. Quorum argumẽta,bonus ac fidelis ſcripturarum profeſſor deberet primum diluere, & deinde quæ in vna parte damnantur ex alia cõprobare. Secundus,ſi quis ex



ex induſtria, ſcripturæ teſtimonijs contra fidei dogmata Eccleſiæ auctoritate ſancita,diſſereret, vt hæretici faciunt: contra quos eadem ratione bono Theologo pugnandum eſſet. Tertius, ſi quis ex ſcriptura conaretur probare,vel falſa,vel inutilia,& ea de quibus ſcripturæ auctori, nulla fuit cura. Vt ſi quiſpiam ex hoc loco, Nunquã Prou. 30.
ignis dicit ſufficit, confirmare vellet philoſophi opinionem, non dari maximum in natura. Neque enim ſcriptor canonicus illis verbis explicare voluit quæſtionem,quam philoſophi de augmento ignis vltra omnem aſſignatum terminũ tractare ſolent. Quartus, ſi quis probaturus aliquid fidei dogma, non vteretur eo ſcripturæ loco,in quo,id plane continetur, ſed alio vbi id non expreſſe docetur, aut contrarium potius affirmari videtur. Vt ſi quis vellet probare hoc dogma, Non licere iterare baptiſmum, hunc in modum ex verbis ſcripturæ argueret: Vnus Epheſ.4.
Dominus, vna fides, vnum baptiſma; igitur baptiſmus vnus, & ita iterari non poteſt. At aliquis ex eodem loco ſic contra diſputaret. Eo modo,quo eſt vna fides,eſt vnum baptiſma: at fides iterari poteſt, igitur & baptiſmus. Similiter, ſi quis probaturus improbos homines poſt diſceſſum ex hac vita ſtatim in infernum delabi, hac Iobi vteretur ſententia, Ducunt in Cap.21.
bonis vitas ſuas, & in puncto deſcendunt ad inferna: igitur qui moriuntur ſtatim damnantur. Ex quo ſane loco potius quiddam valde diſſimile.

mile colligeres, nimirum, improbos homines etiam in ipſo mortis articulo eſſe felices, quod ſine vllo mortis, aut ægritudinis dolore, e vita ad ſepulchrum migrent: & ſane hæc videtur eſſe eius loci germana ſententia. Verum, hæc argumentandi ratio minus habet vitij, quam aliæ: & ſi caritatem ædificaret tollerari poſſet: quamuis in acie parum neruorum habeat. Atque hæc de modis argumentandi ex ſenſu literali dixiſſe ſufficiat: nunc de ſpirituali dicamus. Quartum dictum: Ex ſenſu ſpirituali licet aliquod argumentum ducere. Hoc dictum, vir doctus negaret nemo, nec antiquos patres recentioresve Theologos negare arbitror, cum paſſim in diuinis literis reperiantur argumenta ex hoc loco ſumpta: vt inferius latius demonſtrabo. Quinctum dictum: Ex ſenſu ſpirituali diuinæ ſcripturæ, etiam ad aliquod dogma probandum, efficax ſumitur argumentum. Primum, quia Chriſtus, & Apoſtoli ex hoc loco efficaciter argumentati ſunt, igitur. Vt cum
Ioan.19. Ioannes probauit Chriſti crura non eſſe frangenda, quod agni paſchalis, qui Chriſti figura fuit
1.Cor.9. frangi non deberent: & Paulus ex illo, quod os boui trituranti non ſit alligandum, quæ ad vitam tuendam ſunt neceſſaria miniſtris euangelicis ſuppeditanda eſſe concluſit: idem, ex hoc
Pſal.18. loco, In omnem terram exiuit ſonus eorum, Apoſtolorum prædicationem ad omnes permanaſſe nationes demonſtrauit: quæ omnes argumen-



gumentationes ex ſpirituali ſenſu conficiuntur. Sed quoniam de hac re inferius accuratius diſputaturi ſumus, ſatis nunc nobis ſit, hęc duo confirmaſſe dicta, quę ſunt eorum, quæ dicenda reſtant, fundamenta. Sextum dictum: Ex hoc ſenſu tunc ſumitur efficax argumentum, quando per Spiritum diuinum notum eſt, hunc, vel illum eſſe ſenſum ſpiritualem alicuius loci, ab ipſo auctore intentum: quo modo ex hoc ſenſu efficaciter argumentabantur Apoſtoli. Similiter ex loco declarato, vel per Eccleſiam, vel per communem conſenſum antiquorum patrũ, vel cum eſt omnino manifeſta congruentia inter rem ſignificantem, & rem ſignificatam: vt patet in allatis exemplis. Septimum dictum: Præter modos enumeratos, qui ex hoc ſenſu argumentum vtiliter duceret, ſolum probabiliter argumentaretur: vt ſi varijs modis locus aliquis myſtice exponeretur; vel eſſet parua inter ſignũ & rem ſignificatam congruentia. Poſtremum dictum: Ex hoc etiam ſenſu contingit argumentari peruerſe, illis eiſdem modis, quos ſupra in tertio dicto attulimus. Atque de primo theologico loco, pro noſtro inſtituto, hæc dixiſſe ſufficiat. Neque enim quæ contra noſtram ſententiam afferri poſſent dubitationes, in præſentia explicare volumus, cum de hac de re alio opere iam fuſe ſcripſerimus.

De

### *De loco traditionis: quid, & quotuplex ſit traditio.* *Cap. IIII.*

MVLTA his noſtris temporibus contra eos, qui ſolo verbo diuino, quod in ſcripturis continetur, contenti eſſe volunt, in eoque ſolo, quæ ad recte ſentiendum, agendumq; ſunt neceſſaria, contineri putant, a viris catholicis de traditionum neceſſitate, natura, diuiſione, & varietate ſcribuntur: quæ omnia ſi nos perſequi vellemus, integrum, præter noſtrum inſtitutum, faceremus opus: propterea, ea ſolum attingemus, quæ ad huius loci naturam explicandam proxime conducunt; atque argumentandi rationem paucis aperiemus. Nomine traditionis intelligimus, per metalepſim, doctrinam aliquā a maioribus quaſi per manus poſteris ſine ſcripto traditam. Traditionum autem aliæ ſunt humanæ, aliæ diuinæ & ſacræ, ſiue eccleſiaſticę, quæ ad Eccleſiæ gubernationem pertinent: & de hoc poſteriore genere a nobis habendus eſt ſermo. Quod autem quædam diuinæ traditiones dentur certius eſt, quam vt longa probatione ſit opus: propterea rem fide tenendam, vna vel altera ratione breuiter confirmabo. Primū, quod ſcriptura diuina detur, & quænam ſit, eſt fide tenendum: at hoc ſola traditione habetur; igitur ſine traditione verbum diuinū ſcriptum conſiſtere nequit. Deinde, multa, etiam qui traditiones negant, per ſolam traditionē, quod nullo modo negare poſſunt, habent: vt fidei Symbolum, diei dominici obſeruationem, & nonnulla alia, igitur. Adde poſtremo vnicum teſtimonium Pauli, cui nunquam hæretici poterunt reſpondere, vt innumeras ſcripturæ diuinæ & antiquorum patrum auctoritates omittā, quod ita habet. Itaque fratres ſtate; & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Et apud omnes populos ſemper vera fuit illa legum diſtinctio: τῶν νόμον οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι, id eſt, legum, aliæ ſcriptæ, aliæ non ſcriptæ. Hac igitur veritate, certa fide tenenda, poſita, quid ſit ea traditio de qua hic loquimur, definiamus. Traditiones ſunt viuæ vocis oracula, quæ a Chriſto per Apoſtolos ad nos, nō ſcripto, ſed vſu & conſuetudine perpetua Eccleſiæ peruenerunt. Quod ſi hanc deſcriptionem dilatare velles, ita vt etiam eas complectatur traditiones, quæ in veteri lege fuerunt, poteris, loco illorum verborum, quæ a Chriſto, &c. dicere, Quæ a primis parentibus, quibus Deus ea reuelauit, &c. Et quoniam hæc deſcriptio eſt ſatis plana, nihil eſt cur in ea explicanda pluribus immoremur. Aliquot igitur traditionum eccleſiaſticarum diuiſiones, quę nobis vſui erunt, afferamus. Sacrarum ergo traditionū, aliæ ſunt immediate a Chriſto domino traditæ, vt ſeptenarius ſacramentorū numerus, puerorum baptiſmus, & nonnullæ ſacramentorum formæ:

Tertul. li. de preſcr.

2. Theſ. 2.

Lib. 1. inſtit. tit. 2.

formæ: aliæ ab Apoſtolis, vt multæ Sacramentorum cæremoniæ, exorciſmi, ſacra vaſa, crucis ſignum, &c. aliæ a ſucceſſoribus apoſtolorum inſtitutæ, vt ritus quidam in celebratione ſacrificij, & aliæ multæ. Item, aliæ ſunt vniuerſales, conſtitutæ in vſum totius Eccleſiæ, quæ ab omnibus obſeruari debent, a Concilijs vniuerſalibus, vel a Pontificibus Romanis ordinatæ: aliæ vero priuatæ, quæ in priuatis Eccleſijs obſeruantur, a priuatis paſtoribus conſtitutæ: vt ſunt traditiones in Eccleſia Ambroſiana, & quędam alię apud alias priuatas Eccleſias. Vt illa in Eccleſia Hiſpalēſi ab Iſidoro inſtituta, vt quidam ſcribunt, de repetenda particula, Amen, in fine cuiuſcunque petitionis orationis dominicę. Item, alię ſunt quę pertinent ad dogmata fidei, vt Chriſtum deſcendiſſe ad limbum, ſacramenta quędam non poſſe iterari: alię quę ad mores, vt matrimonium ratum & non conſummatum per ingreſſum religionis poſſe diſſolui, Pontificem diſpenſare in votis & iuramētis: alię quę ad ritus Eccleſię, vt ratio conficiendi Chriſma, permiſtio aquę cum vino in ſacrificio miſſę. Denique, traditionum alię ſunt perpetuę, vt ſunt omnes traditiones diuinę; quales ſunt, quę ad dogmata & mores pertinent, quę ita ſtabiles ſunt, atque ea, quę in diuinis literis ſcripta habentur: alię vero mutabiles, quę ob temporum, locorum, & perſonarum conditionem mutari aliquando poſſunt: vt

Franc. Laziar.



vt abſtinentia a ſanguine & ſuffocato: non licere ieiunare die Sabbathi, de qua traditione meminit aliquando Ignatius, ratio publicę pœnitentię, & harum ſimiles. Illæ quę diuinę vocantur, non recipiunt diſpenſationem: aliæ vero omnes ſunt diſpenſationis capaces. Sunt tamen nonnullæ ab Apoſtolis inſtitutæ, quæ nunquam mutabuntur, quas quidam ſcriptores diuinas vocant, vel eas Chriſtū inſtituiſſe dicunt; quod ſic eſt accipiendum, Apoſtolos eas inſtituiſſe poteſtate ſibi a Chriſto domino conceſſa. Et hæc de definitione, & diuiſione traditionum ſatis. Act. 15.

## *Qua ratione ex loco traditionis argumentari liceat.* *Cap. V.*

NVNC, quoniam ex ipſamet quoque ſcriptura perſpicuum eſt, non ſolum bonas, ſed etiam malas traditiones reperiri: ideo, aliquæ regulæ, ſiue notæ tradendæ ſunt, per quas veras a falſis ſecernamus traditiones: vt qua ratione vera, & falſa argumenta ex hoc loco ducantur cognoſcere poſſimus. Ad veras igitur traditiones internoſcendas hæ adhibeantur regulæ. Prima, quando aliquid obſeruatur in vniuerſali Eccleſia, & illud non eſt in ſcriptura, nec eius inſtitutio eſt in aliquo Pontificis, vel Concilij decreto, id traditione diuina habetur. Vt ordo hierarchicus, adoratio imaginum, & virginum conſecratio. Regula eſt diui Mat. 15.

Cap.25. tom.7. ui Auguſtini libro quarto, contra Donatiſtas. Secunda, quando aliquid eſt receptum in vniuerſali Eccleſia, quod humana conſtitutione inſtitui non potuit, per traditionem haberi putandum eſt. Vt relaxatio iuramenti, & diſpenſatio in voto ſimplici: quoniam huiuſmodi vincula, nos lege naturali obligant, in qua, auctoritate diuina, diſpenſatio fieri debuit. Tertia, quando eſt aliqua vniuerſalis conſuetudo, vel fidei dogma, quod vno ex his modis ſit confirmatum, vel per acclamationem patrum in aliquo Concilio, vel ſi patres ſcripſerunt, traditione haberi; vel ſi communi Eccleſię vſu conſeruatum ſit. Quarta regula, cum in Eccleſia eſt aliquod dogma a Patribus comprobatum, & contrarium tanquam hæreticum damnatum, id cēſendum eſt per traditionem diuinam haberi; vt exempli gratia, quod Mater Chriſti fuerit ſemper virgo, quod Chriſtus ad limbum deſcenderit. Summa ſit hæc, quotieſcunque in Eccleſia aliquid tenetur, quod ad fidem, vel ad mores pertinet, cuius contrarium damnatur, & in ſcriptura non habetur, cenſendum eſt eſſe ex traditione diuina. Nam, nemo quicquam tale, ſine hæreſis crimine, auſus fuiſſet de nouo in Eccleſiam introducere. Ex quibus colligere licet, quę ſint traditiones diuinæ, eæ nempe omnes, quæ ſub vnam ex his regulis cadunt; & quæ Eccleſiaſticæ & humanæ, vt omnes aliæ, quæ aliquando humana conſtitutione initium habuere, & quæ



quæ pertinēt ad priuatū alicuius Eccleſiæ vſum: & demum, quæ ſint falſæ, vt omnes, quæ ſunt contra fidei dogmata, bonos mores, & communem Eccleſiæ ſententiam: qualis fuit olim illa traditio apud Hebræos de habendo odio inimico. His regulis explicatis, argumentandi ex hoc Mat.5.
loco rationem his dictis expono. Primum dictum: Ex traditione diuina efficax ducitur argumentum, quod rem de fide facit, non minus, quam argumentum a verbo ſcripto ſumptum. Eſt hoc dictum certiſſima fide tenendum, quod ſic probatur. Primum auctoritate diui Pauli, qui non ſemel, id, quod volebat hinc neceſſario concluſit. Vnde aliquando contra contentioſos dixit, Nos aliam conſuetudinem non habe- 1.Cor.11.
mus, ad quam, tanquam ad ſupremum, & maxime neceſſarium locum, ſiue argumentum, ſuam diſputationem reuocauit: alibi, eum, qui doctrinæ per ſermonem acceptæ non acquieſcit, ſuperbum, & nihil ſcientem vocat. Deinde, quod traditione diuina tenetur, pertinent ad ver 1.Tim.6.
bum Dei; ergo ſicuti ex verbo ſcripto neceſſarium ducitur argumentum, ita etiam ex non ſcripto. Poſtremo, multa ſancita ſunt in ſacris concilijs fide tenenda per ſolam traditionis auctoritatem; igitur hic locus nobis agmentum neceſſarium ſuppeditabit. Quare iure optimo Tridentina Synodus pari pietatis affectu hoc ge Seſſ.4.
nus traditionis, & ſacras ſcripturas ſuſcipit. Itaque, ſi quis per regulas allatas, quę ſit diuina traditio

ditio internoſceret, ex ea efficax duceret argumentum. Secundum dictum: ex hoc loco aliquando ducitur argumentum probabile. Primum, ſi quę traditio non vno & eodem modo ab omnibus acciperetur, vel exponeretur. Fieret autem argumentum magis probabile, quando pluribus ac melioribus auctoritatibus traditio aliqua confirmaretur. Deinde, cum argumentum ſumitur ex traditione non diuina: vt ſunt traditiones conſtitutionum Apoſtolicarum, Cōciliorum, & ſummorum Pontificum. Quod ſi traditio eſſet vniuerſalis, faceret argumentum maxime firmum, non tamen neceſſarium. Tertium dictum: Ab hoc loco poteſt ſumi argumentum ſophiſticum. Primum, ſi traditio eſſet falſa, vt nunc ſunt traditiones Iudęorum; & illę, quas hęretici introducunt. Deinde, ſi traditio eſſet male intellecta: quo modo argumentantur ij, qui ex illa Eccleſię conſuetudine, qua vtitur in matutinis in hebdomade ſancta, cum omnes extinguuntur candelę, vna excepta, concludunt, tempore paſſionis Chriſti, fidem defeciſſe in omnibus, prętęrquam in beata Virgine, per candelam, quę non extinguitur, vt aiunt, ſignificata. Quartum dictum: ex traditione argumentamur ad probandum, vel fidei dogmata, vel mores, vel Eccleſię ritum, & id, quod ad eius regimen pertinet. Et hic ſit huic loco finis.

De



*De loco auctoritatis Eccleſiæ: quid ſit Eccleſia, & quo pacto hinc argumenta ducantur.*
*Cap. VI.*

QVÆ ad hunc locum explicandum neceſſaria nobis videntur, vno capite complectemur: cum ad inſtitutum noſtrum non pertineat integrum, de Eccleſia fuſe diſputando, conficere volumen. Omiſſa itaque huius vocis, Eccleſię, etymologia, eiuſdemq; varijs ſignificatïonibus ſilentio inuolutis, eam ſic generatim deſcriberes. Eccleſia eſt multorum congregatio, ad aliquid agendum: ſpeciatim vero hoc modo: Eccleſia eſt multorum congregatio ad verum Dei cultum: vel ſi mauis, Catholicorum collectio: vel denique, hoc pacto: Eccleſia eſt congregatio fidelium in vna fide, ad verum Dei cultum, ſub vno Chriſto, & eius Vicario Pontifice Romano. Ad diſcernendam veram Eccleſiam ab hæreticorum conuenticulis, & ab alijs falſis cœtibus, quædam aſſignantur notæ, quæ fere ſunt iſtæ. Vera Eccleſia, eſt vna: vna eſt enim columba & vna ſponſa & amica Chriſti, propter vnum verum cultum, & vnam fidem. Eſt catholica, id eſt, vniuerſalis, loco, tempore & perſonis. Apoſtolica, quia per apoſtolos & eorum ſucceſſores Chriſti doctrinam accepit. Sancta, quia profitetur ſanctitatem: & habet ſacramenta, quibus ſanctificat, id eſt, iuſtos efficit. Eſt denique,

Cant. 5. Lege Frā. Tur. Ant. Poſ.

Pp nique,

nique, ſimpliciter loquendo, viſibilis, per ſuum caput, & ſua membra, functioneſque viſibiles. Quod ſi petas, vbi nam gentium ſit, id in poſtrema deſcriptione expoſuimus. De qua nunc hæc ſtatuo dicta, ad rem noſtram proxime pertinentia. Primum: Eccleſia non poteſt omni ex parte deficere, ita vt nullus reperiatur fidelis, & nul
1.Tim. 3. libi vigeat veri Dei cultus. Eſt hoc dictum certa fide tenendum, cum Paulus vocet Eccleſiam columnam & firmamentum veritatis, & Chriſtus, cuius oratio ſemper fuit exaudita, pro Pe-
Luc. 22. tro, & conſequenter pro Eccleſia, cuius erat caput, orauerit, ne eius deficiat fides. Secundum: Eccleſia non poteſt errare cum aliquid tanquam fidei dogma tenet, aut tenendum proponit. Quoniam ſemper ei Spiritus ſanctus aſſiſtit, qui eam regit, ac gubernat: & Chriſtus apoſtolis
Mat. vlt. dixit, Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſęculi. Tertium: Eccleſia non poteſt errare in ijs, quæ pertinent ad mores, hoc eſt, non poteſt docere aliquid eſſe peccatum, quod non ſit peccatum, vel errare in cultu diuino, vel in veneratione ſanctorum. Quoniam in ea non ſunt minus neceſſarij mores, quam fides: at in fide errare nequit, igitur nec in moribus. Quartum: Eccleſia in aliquo facto poteſt errare, hoc eſt, poteſt præcipere aliquid, quod melius fuiſſet non præcipere. Quo modo ante Concilium Tridentinum errabat, cum ei, qui ſemel clandeſtine, & iterum palam matrimonium contraxerat,



xerat, imperabat, vt cum ſecunda vxore maneret; cum tamen is quotieſcunque ſecundam cognoſcebat vxorem, peccaret mortaliter: quoniam hoc ſecundum non erat verum matrimonium. His ita poſitis, nunc breuiter argumentandi ex hoc loco rationem quibuſdam alijs dictis expono. Primum dictum: Ab Eccleſiæ auctoritate his modis neceſſarium argumentum ducere licet. Primum, ex ijs, quæ communi conſenſu Eccleſiæ cenſentur eſſe de fide: deinde ex ijs, quæ ad bonos mores, ad leges & conſuetudines vniuerſales fidelium pertinent: poſtremo ex ijs, quæ ſi negentur, ſequeretur Eccleſiam errare in fide & moribus: vt patet in veneratione quorundam ſanctorum, qui communi Eccleſiæ conſenſu pro ſanctis habentur. Secundum dictum: Ab Eccleſię auctoritate poſſumus firmum, ſeu probabile argumentum his modis ſumere. Primum, ſi argumentemur ex aliquo Eccleſiæ facto: quod quidem argumentum debet habere magnum robur, cum vniuerſalis Eccleſia nihil ſine maximo conſilio decernat: deinde ex aliqua conſuetudine, ſiue lege, quæ proxime ad ſalutem & fidem pertineret: poſtea, ſi ex conſuetudine in aliqua tãtum priuata Eccleſia vſurpata argumentum peteretur. Vt ſi quis ex veneratione priuata alicuius beati, probaret eum beatorum gloria potiri: poſtremo, quando Eccleſia in aliquam opinionem magis probabilem inclinaret, vt inclinare videtur in quæſtione

ne de conceptione beatæ Virginis. Tertium dictum: Ex hoc loco varijs modis poſſet aliquis ſophiſtice argumentari. Primum, ſi argumentum duceretur ex facto, in quo Eccleſia erraſſet: vt ſi quis exemplo ſupra allato de matrimonio, probaſſet eum qui ſecūdam vxorem cognouiſſet, non peccaſſe mortaliter, quia id Eccleſia pręcipiebat, cum id præcipiendo erraret. Deinde, ſi factum, aut conſuetudo aliqua male acciperetur. Vt ſi hæreticus, ex eo quod Eccleſia concederet laicis communionem ſub vtraque ſpecie, probaret, male feciſſe, eam laicis interdicendo. Denique, ſi ex auctoritate, ex qua ſolum probabilis ducitur ratio, aliquis exiſtimaret neceſſarium confici argumentum. Ex quibus dictis, quæ ſit huius loci natura, & quæ vis, ac vſus, ſatis apertum eſſe arbitror: propterea ad alterius loci explicationem me confero.

### *De loco auctoritatis Romani Pontificis: explicatur huius loci natura, & quo modo ex eo argumenta ducantur. Cap. VII.*

LONGVM profecto texerem ſermonem, ſi omnia quæ multi ſcriptores de ſummi Pōtificis auctoritate, decretorumq; eius robore, memoriæ prodiderunt, perſequi vellem: propterea, cum inſtitutionis ratio breuitatem requirat, ijs, quæ minus ad rem noſtram pertinent, reſectis, quæ noſtro propoſito erunt magis accommodata,



ta, ea perſequemur. Primum itaque notanda quædam proponam: deinde, quibuſdam dictis docebo quid ſentiendum ſit de auctoritate Pontificis Romani, quantum ad hoc, quod poſſit, vel non poſſit errare: Poſtea, aliquid ſcribam de ſacris canonibus, in quibus Pontificum decreta continentur: Poſtremo modum argumentandi ex hoc loco exponam. Quod ergo ad primum attinet, animaduertendum eſt, in Pontifice nos poſſe duas quaſi perſonas conſiderare: alteram publicam, vt Chriſti vicem gerit, vt vniuerſalem Eccleſiam repræſentat, & vt eſt ſeiunctus a Concilio, & alijs Eccleſiæ paſtoribus, quo modo hic conſideratur: alteram priuatam, vt eſt talis homo, & priuatus doctor. Rurſus obſeruandum eſt, Pontificem poſſe ſtatuere aliquid quod pertineat, vel ad fidē & mores, vel ad alias cauſſas, & ad gubernationem ciuilem Eccleſiæ. Quæ pertinent ad fidem & mores, duobus modis poteſt definire: vel per modum præcepti; vt ſi daret præceptum de ſacramēto Euchariſtiæ ſæpius ſumendo, vel per modum decreti, proponendo aliquid eſſe credendum, vel decernendo aliquid eſſe, vel non eſſe peccatum. Præterea, obſeruandum eſt, in eius decreto, quod etiam ſupra docuimus, nos poſſe plura conſiderare, ſcilicet id quod ex intentione decernit, & antecedentia, & conſequentia, ac declarationem probationemq; eius, quod ſtatuit. His notatis, quod ad ſecundum attinet, ſtatuo hæc dicta. Primum dictū:

Lib. 4. Cap. 17.

Summus, ſiue Romanus Pontifex, vt priuatus doctor, aliquid docendo, vel decernendo errare poteſt. Hoc eſt certiſſimum apud omnes, & experientia ipſa docet. Qm̃ non omnia, quæ Adrianus, exempli gratia, ſcripſit ſunt vera, aut pro veris haberi debent. Secundum dictum: In his, quæ tanquam vniuerſalis Eccleſiæ paſtor, ac iudex decernit, ſi ad fidem & mores pertineant, errare non poteſt. Eſt hæc doctrina certa fide tenenda, quam alio loco late probabo, nunc vna ſufficiat ratio: quia, cum neceſſe omnino ſit, vt aliquæ cauſſæ a ſolo Pontifice decernantur, nec enim quotidie cogi Concilia vniuerſalia poſſunt, neceſſarium profecto fuit, vt vniuerſalis Eccleſiæ paſtor in his ſtatuendis aſſiſtentem haberet ſpiritum: quod ſi ipſe poſſet errare, etiã tota laberetur Eccleſia, quæ ſuo capiti obedire debet. Tertium dictum: cum dicimus Pontificem non poſſe errare, intelligimus Pontificem ſolum, ſine ſuis conſultoribus, modo aliquam

Act. 15. in decernendo adhibeat, vt Apoſtoli fecerunt, inquiſitionem, & diligentiam. Quoniam pro

Luc. 22. ſolo Petro, & conſequenter pro eius ſucceſſoribus orauit Chriſtus, ne eorum fides deficeret. Neque debet cenſeri verum, quod aliqui dicũt, Pontificem poſſe errare antequam eius decreta promulgentur, & acceptentur a Populo. Quartum dictum: Summus Pontifex in ijs, quæ nõ pertinent ad ſui decreti ſubſtantiam, ſicut in aliquo facto, vt ſupra de Eccleſia diximus, & in omni-



omnibus conſtitutionibus ad fidem & mores nõ pertinẽtibus, errare poteſt: quoniam in his non habet aſſiſtentem ſpiritum. Poſtremum dictũ: Decretum Pontificis, etiam in ijs, quæ ad eius ſubſtantiam pertinent, non eſt ſacra, ſeu diuina ſcriptura. Ex his colligere poſſumus, quandam decreti Pontificij, vnde argumenta ſumuntur, deſcriptionem. Decretum Pontificis, eſt determinatio, qua Pontifex abſque concilio, diuino aſſiſtente ſpiritu, humana adhibita diligentia, aliquid circa fidem & mores ad gubernationẽ totius Eccleſiæ decernit. Quæ deſcriptio ijs cõuenit decretis, ex quibus neceſſarium ducitur argumentum: quæ vniuerſe omnibus Pontificijs conſtitutionibus aptari poteſt, ſi verba illa, diuino aſſiſtente ſpiritu, & illa, circa fidem & mores, demantur. Et quoniam hæc decreta habentur in iure canonico, cuius variæ ſunt partes, ſiue libri, qui ſæpe in ſcholis Theologorum citari ſolent; ideo tertio loco de hoc iure, aliquid ſcribendum eſt, vt Sacræ Theologię candidatus non ſit huius rei omnino ignarus. Cum ergo Chriſtiana reſp. non ſolum, quod ad exteriorem gubernationẽ attinet, humanis legibus, legi naturæ conſentaneis, ſed etiam conſtitutionibus, quæ ad legis diuinæ obſeruantiam neceſſariæ videntur, gubernari debeat, ideo duplex conſtitutum eſt ius, alterum ciuile, quod hominem dirigit in ijs actionibus, quæ ſunt legi naturali conſentaneæ; conditum a viris ciuilibus, ſeu Prin-

 cipibus

cipibus ſecularibus, ad pacem & concordiam in rep. retinendam: alterum Eccleſiaſticum, & canonicum, id eſt, regulare, quo hominum actiones dirigerentur, ad ęternam beatitudinem conſequendam per obſeruātiam legis diuinæ; quod ex ijs, quæ a viris Eccleſiaſticis tradita ſunt, conditum fuit. Cum ergo olim multa a Pontificibus in diuerſis epiſtolis, & reſcriptis, nec non etiam a diuerſis concilijs, priuatiſq; doctoribus, quæ ad inſtruendam, & regendam Eccleſiā pertinebant, ſtatuta, & ſcripta fuiſſent; quæ ſparſa in varijs libris vagabantur; ad maiorem ſtudioſorum commoditatem, Eccleſiæq; vtilitatem, ad certum ordinem, in quædam volumina, collata fuerunt. Extitit igitur olim vir quidam multæ lectionis & eruditionis, nomine Gratianus monachus, ex familia Benedictina, qui varia pontificum decreta, conciliorumq; conſtitutiones, ac patrum ſentētias in vnum volumen collegit, quod, Decretum, appellauit. Hoc volumen in tres principes eſt diſtributum partes. Prima procedit per diſtinctiones, & canones: vnde, quę in hac parte habentur, ſic citantur. Diſt. prima, ſecunda, &c. Can. tali. Secunda procedit per cauſſas, quæſtiones, & canones: Quæ ſic citatur, prima, vel ſecunda, ſcilicet cauſſa. quæſt. prima, vel ſecunda Can. tali. Et quoniam in cauſſa 33. q. 3. fit mentio de cordis contritione, hinc ſumpta occaſione, interſerit hoc loco, auctor, tractatum de pœnitentia, qui procedit per diſtinctiones, & canones:

Ioā. Paul. Lanc. l. 1. Inſtit. Ca.

Sub Eug. III. Claruit anno 1120. Antonin. In Chron. p. 3. t. 18.



canones: poſtea ſubſequuntur aliæ cauſſæ vſq; ad trigeſimamſextam. Tertia, quæ inſcribitur, de conſecratione, cum in ea agatur de ſacramentorum adminiſtratione, quæ procedit per diſtinctiones, & canones. Circa hoc decretum hæc obſeruanda ſunt. Primum, a nullo vnquā Pontifice fuiſſe approbatum, quāuis inter libros iuris canonici reponatur: quo fit, vt non omnia, quæ in eo habentur, pontificiam auctoritatem habeant, ſed tantum ea, quæ a pontificibus ſtatuta ibi continentur. Deinde, vt intelligas quāti momenti ſit argumentum ex hoc libro ſumptum, animaduertendum eſt, cuius ſit illa doctrina, vnde argumentum ducitur; vel Pontificis, vel Concilij, vel alicuius patris; & quanta erit auctoritas eius a quo ſumitur, tanta erit argumenti vis. Poſtea, obſernandum eſt, in decreto eſſe multa loca mendoſa, & ſæpenumero nomina auctorum, & librorum vnde ſententiæ ſumuntur, male citata; propterea ad ipſos fontes ſæpe confugiendum erit. Verū tamen eſt, quod his proximis annis cura Gregorij Decimitertij, multa loca ſunt emendata. Poſtremo, iterum atque iterum conſulerem ijs, qui non habent multos libros, & præſertim antiquiores, nec cōciliorum volumina, vt hoc decretum plenum variæ eruditionis, & rerum ad theologiam ſpectātium, familiare ſibi redderent, & quod eſſet maximæ vtilitatis, tabulam aliquam, ſuo labore, ad ſuum vſum ſibi conficerent, vt ego aliquando non

non ſine magna vtilitate feci. Atque de decreto hactenus. Poſtea Gregorius Nonus varias Pontificum conſtitutiones, & reſponſa ad varias dubitationes Eccleſiæ Romanæ propoſitas, data, in aliud volumen collegit: quod Decretales, inſcribitur. Hoc volumen in quinque libros diſtributum, citatur per titulos, & per capita, in quæ eſt diſtributum. Poſtea, Bonifacius Octauus alias conſtitutiones eodem ordine, totidem libris collegit: quod volumen, Liber ſextus decretalium, inſcribitur. Cur autem, ſextus appelletur, ea eſt ratio, quia hoc opus adiectum fuit quinque libris Gregorij, quaſi ſextus liber. Citatur eodem modo, per titulos & capita, ſed vt diſcernatur a Gregoriano, additur, In ſexto. Poſtea Clemens Quinctus, alias aliorum Pontificum eodem ordine, & totidem libris conſtitutiones in volumen redegit; quod, Clementinę, inſcribitur. Vnde ſic citatur, Clementina tali, notando caput, & titulum. Secuti ſunt alij Pōtifices, qui alias conſtitutiones fecerunt, quæ adiectæ fuerunt, in fine tertij tomi ſacrorum Canonum: quæ extrauagantes inſcribuntur. Quarum nōnullas edidit Ioannes Vigeſimusſecundus, & ita ſub eius nomine citantur: aliæ vero ſunt extrauagantes diuerſorum Pontificum in quinque breues libros collectæ, quæ vocantur, Extrauagantes communes, & ſub hoc titulo citantur. Sextus, Clementinæ, & extrauagantes, tertio tomo ſacrorum canonum, cōtinentur. Primus



Primus itaque tomus continet decretum: ſecundus decretales, tertius, ſextum, Clementinas, & extrauagantes. Et ea omnia quæ continentur in ſecūdo & tertio tomo, ad ius canonicum proxime pertinent, & auctoritatem habent pontificiam. Superioribus annis integrum volumen in lucem editum eſt, quo multorum Pontificum continentur bullæ; quod vulgo, Bullarium appellant, cuius hæc eſt inſcriptio: Collectio diuerſarum conſtitutionum, & literarum Romanorū Pontificum a Gregorio Septimo, ad Gregorium Decimumtertium: cui nuper Sixti Quincti cōſtitutiones acceſſerunt. Et hæc in gratiam eorum, qui non ſunt verſati in iure canonico, in quo bona Theologiæ practicæ pars, immo, & multa huius doctrinæ principia, vnde argumenta petenda ſunt; continentur, non ſine cauſſa, nec præter rem adnotaſſe volui. Nunc de modo argumentandi breuiter dicam. Primum dictum: Ex decretis Pontificum cum Pontifex aliquid decernit, tanquam vniuerſalis Eccleſiæ iudex, ſumitur argumentum neceſſarium, duobus modis. Primum, cum ſtatuit aliquid fide tenēdum: deinde cum ſancit, quæ ad mores pertinent, id eſt, cum decernit aliquid eſſe iuſtum, vel iniuſtum, ſiue peccatum, & non peccatum. Quoniam in his, vt diximus, habet aſſiſtentiam diuini Spiritus, ita vt non poſſit errare. Vnde, nec in canonizatione ſanctorum, nec in approbatione alicuius regulæ labi poterit, cum hæc ad mores perti-

pertineant; quidquid aliqui ſentiant. Debet autē argumentū ſumi ex ea re, quam ex profeſſo decernit. Secundum dictum: Ex auctoritate Pōtificis ſumitur argumentum probabile, his modis. Primo, ex ijs quæ in aliquo decreto dicūtur, ſed non ex primaria intentione; vt ex antecedentibus, & conſequentibus ſubſtantiam decreti. Secundo, ex alijs conſtitutionibus, quæ ad fidem, & mores non pertinent: ex quibus ducitur argumentum ſatis firmum, cum nihil ſine matura prudentia conſtituat. Tertio, ex aliquo facto, vt ex approbatione, vel reprobatione alicuius priuati ſtatuti. Poſtremo, ab ijs, quæ docet, vt quidam doctor eſt; quanuis tale argumētum nihil habeat maioris auctoritatis, quam ſi a quouis alio ſcriptore non minoris doctrinæ, ſumeretur. Quo autem modo argumentemur ex hoc loco ſophiſtice, colligere licet, ex ijs, quæ in aliorum explicatione, diximus. Et hic ſit huic loco finis.

### *De loco auctoritatis Conciliorum: quid ſit Concilium, quotuplex, & quomodo hinc argumenta petantur.* Cap. VIII.

QVÆ de hoc ampliſſimo loco breuiter explicaturi ſumus hæc ſunt. Quid ſit concilium: quotuplex ſit: quæ eius in decernendo firmitudo; & qui ex eo argumentandi modus. De primo, Conciliū ſic deſcribitur: Concilium eſt



eſt cōgregatio prælatorum Eccleſiæ, facta ab eo, qui habet auctoritatem publicam, ad maiora Eccleſiæ negotia peragenda: Vel preſſius, eſt perſonarum Eccleſiaſticarum in vtilitatem Eccleſiæ conuocatio: aut ſi mauis: Eſt congregatio præſulum Eccleſiæ in Dei nomine, ad dogmata fidei & morum decernenda præcipue facta. Indicatur in hac deſcriptione concilij forma, quia debet eſſe cętus quidam ex pluribus coactus: materia, perſonæ ſcilicet eccleſiaſticæ; quia laici nō pertinent ad concilium: quæ autem perſonæ eccleſiaſticæ priuate ad concilium pertineant, non eſt huius loci exponere: Efficiens, cum dicitur, Dei nomine, id eſt, diuina poteſtate, & auctoritate, non humana voluntate, & facultate: auctoritas autem iſta conuocandi concilium reſidet in Romano Pontifice. Finis, præcipuus eſt, ad ſtatuenda, vel declaranda, quæ ad fidem & bonos mores, & conſequenter etiam quæ ad reformationem Eccleſiæ, & ad aliquas cauſſas explicandas pertinent. De ſecundo: cōciliorum, aliud generale, ad quod cōuocantur omnes Eccleſiæ paſtores, ex omnibus Chriſtianorum prouincijs; & ideo, œcumenicum, dicitur: aliud particulare, ad quod non omnes Eccleſiæ prælati cōueniunt; & hoc eſt triplex: Vnum, Patriarchale, quod fit ſub vno Patriarcha, conuenientibus pluribus epiſcopis diuerſarum prouinciarū. Alterum prouinciale, quod celebratur ſub vno Archiepiſcopo, conuenientibus vnius prouinciæ epiſcopis.

epiſcopis. Tertium, diœceſanum, ſiue ſynodale, quod fit ſub vno epiſcopo, conueniente clero. Rurſus, concilium duplex eſt: alterum approbatum a ſede Romana, ſiue eius auctoritate fuerit celebratum, ſiue non: alterum non approbatũ, ſiue confirmatum. Item conciliorum, alia ſunt, quę a Pontifice conuocantur, in quibus Pontifex Romanus per ſe, vel per ſuos legatos præſidet: alia quę non ſunt a Pontifice conuocata. Atque hæc de ſecundo. De tertio, ſtatuo hæc dicta. Primum dictum: Concilium vniuerſale non approbatum a Romano Pontifice, ſiue ſit ab eodem congregatum, ſiue non, poteſt errare. Quoniam concilium non habet ſpiritus diuini aſſiſtentiam, niſi ſit cum ſuo capite, id eſt, cum Pontifice Romano coniunctum. Et experientia docet, quædam concilia vniuerſaliter conuocata, ſine approbatione Pontificis erraſſe, vt Concilium Ariminenſe, & Synodus Conſtãtinopolitana, quæ deprædatoria appellata fuit. Niceph.

Secundum dictum: Concilium vniuerſale congregatum, & approbatum a Pontifice Romano in fide & moribus errare non poteſt. Eſt hoc certa fide tenendum: quod & ſcripturæ, & patrum, & conciliorum multorum poſſet auctoritate probari, ſed vnica ſufficiat euidentiſſima ratio. Hoc concilium totam repræſentat Eccleſiam: at tota Eccleſia errare non poteſt, igitur: & ſi Chriſtus eſt in medio duorũ, vel trium, qui in eius nomine congregantur, multo magis erit in (Mat. 18.)



in medio totius Eccleſiæ aſſiſtendo, ſua gratia, ne in ijs, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, erret. Tertium dictum: Concilium vniuerſale, in aliquo facto, & in ijs quæ non pertinent ad fidem & mores, etiam ſi ſit approbatum, poteſt errare. Nam, vt ſupra diximus, etiam Pontifex, in his eſt errori ſubiectus, igitur. Quartum dictum: Concilium vniuerſale non approbatum, & approbatum, quantum ad ea, in quibus poteſt errare, magnam habet auctoritatem. Quoniam interſunt viri doctiſſimi ex Eccleſia, & nihil decernunt, niſi magna adhibita diligentia. Quo fit, vt magnum ſit argumentum ad probandum beatam Virginem non eſſe conceptam in peccato originali, cum in Concilio Baſilienſi, non approbato, id ſtatuatur. Seſſ. 36.

Quinctum dictum: Concilium particulare, vt eſt concilium patriarchale, prouinciale, & ſynodale, poteſt errare in fide & moribus, ſi non ſit a Põtifice Romano approbatum: habet tamen magnam auctoritatem pro qualitate eorum, qui eo conueniunt. Quod ad poſtremum attinet, pono hæc alia dicta. Primũ: ex decreto cuiuſcunque concilij approbati, ſumitur argumentum neceſſarium, his modis. Primo, ex ijs quæ Concilium intendit ſtatuere circa fidem & mores: cum in his errare non queat. Deinde, ex declaratione alicuius loci ſcripturæ, quem explicat, ad aliquid de fide probandum, & eo pacto intelligendum eſſe decernit, vt ab ipſo concilio explicatur: quæ explicatio, aſſertur,

tur,vel ad veritatem confirmandam, vel ad confutandam aduerſariorum rationem. Vt, cum concilium declarauit,per peccatum,quod remanet poſt baptiſmum, nos debere intelligere fomitem peccati. Secundum dictum: ex decreto, ſeu ab auctoritate concilij approbati, argumentamur non neceſſario,his modis. Primum, ſi ducatur argumentum ex ijs, quę non ex profeſſo decernit: vt ex antecedentibus, conſequentibus,& ex rationibus,quibus ad aliquid probādum vtitur, quæ non ſunt omnino infallibiles. Deinde, ſi ducatur argumentum ab ijs rebus, quæ ſtatuuntur ad regimen Eccleſiæ, ſed non continent dogmata fidei & morum. Tertio, ſi ex aliquo facto, in quo concilium errare poteſt, ſicuti & Pontifex. Tertium dictum: Ex omnibus concilijs, quæcunque illa ſint, ni fuerint approbatione pontificia munita, nullum ducitur argumentum neceſſarium: Quoniam omnia huius generis concilia in omnibus errare poſſunt. Ducitur tamen argumentum efficaciſſimum, in ijs quæ pertinent ad fidem & mores, modo in decernendo non errauerit: Quia communiter ſunt recepta, & eorum auctoritas non poteſt, niſi impudenter, negari. In quo genere ſunt multa concilia: vt ſunt Carthaginenſia,Toletana,Bracharenſia, & alia. Ex eo etiam concilio,quod errauit, quātum ad ea, in quibus bene ſenſit,bonum ſumitur argumentum. Poſtremum dictum: Ex hoc loco aliquis argumē-





taretur ſophiſtice, ſi putaret ex omni concilio, & ex omnibus quæ in concilio decernuntur ſe neceſſarium argumentum ducere: vt aliquando Theologus quidam, quo cū ſermonem hac de re habebam, arbitrabatur, ac denique, ſi ex eo promeret argumentum, in quo concilium erraſſet. Atque de hoc loco hactenus.

## *De loco auctoritatis antiquorum patrum.* *Cap. IX.*

QVANDOQVIDEM libro quarto, capite decimooctauo nonnulla diximus ad hunc locum maxime pertinentia, propterea, ne acta agere videamur,quę illic fuſius docuimus,omittentes, paucis hunc locum hoc ordine perſtringemus. Primum,quaſdam diſtinctiones proponemus: deinde, quanta ſit antiquorum patrum auctoritas aperiemus: poſtremo,argumentandi modum manifeſtabimus. Quod ergo ad primum attinet, patrum teſtimonia poſſunt afferri ad probandum,vel res theologicas, vel philoſophicas,tum naturales,tum morales,vel quæ pertinent ad hiſtoriæ veritatem. Circa res theologicas late patet hic locus, ad probāda dogmata, ad explicandas ſcripturas, & ad examinandas traditiones. Quæ autem in hoc genere continentur,vel ſunt de ſubſtantia fidei, vel ſi nō ſunt fidei intrinſeca,ad fidem tamen pertinent. Rurſus, hæc teſtimonia, vel afferuntur cum omnes

ſunt concordes, vel cum vnus, vel alter aliquid affirmat, & ceteri non contradicunt, vel cum ex vtraque parte ſunt multi. De ſecundo, ſit primum dictum: Communem patrum conſenſum in re theologica negligere, eſt omnino temerarium, eſtq; non ſolum contra auctoritatem ſcripturæ, ſed etiam contra humanam rationem.
Eccleſ. 12 Quia eorum verba ſunt tanquam ſtimuli & claui in altum defixi, quæ non ſine conſilio per eos nobis a Deo dantur: quibus, vt Sapiens monet, eſt acquieſcendum: quod ni fiat, nullus erit ſcribendorum librorum finis. *Secundum* dictum: In alijs rebus ad humanas ſcientias pertinentibus, licet communis patrum conſenſus non ſit ita firmus: tamen, non eſt contemnendus, cum non fuerint humanarum ſcientiarũ ignari. Tertium dictum: cum omnes conſentiunt in re pertinente ad fidem & mores, & ad explicationem diuinæ ſcripturæ, non licet eorum ſententiæ, ſalua fide, aduerſari: & ita in his ipſorum doctrina eſt infallibilis. Hoc dictum, cum libro quarto late probatum fuerit, non eſt cur hic iterum probetur. Quartum dictum: cum aliqui, vel multi patres conſentiunt, in re theologica, communior ſententia maiorem auctoritatem habet, ni aliqua vrgens ratio ſit pro opinione, quã pauciores ſequuntur: verum tamen eſt, quod in rebus humanis firma ratio præponderare debet. Quo fit, vt auctoritatem patrum negare aliquãdo ſit hæreſis, aliquando erroneum, aliquando tolle-



tollerabile, aliquando, vero laudabile: vt ſi qua in re maioris momenti, aliqui non bene ſenſiſſent, vt ſupra docuimus. Cum autem eorum auctoritas negatur, ſemper adhibenda eſt chriſtiana modeſtia: & cum commode fieri poteſt, eorum dicta ſunt pie interpretanda. Quo loco cauendum eſt, ne interpretationes ſint omnino inſulſæ, & a mente ſcriptoris prorſus alienæ, ne dũ pij videri volumus, ridiculi videamur: quod ideo monere volui; quia ſunt qui hac in parte offendant. Ex his quæ diximus, ratio argumentandi facile explicabitur. Primum dictum: Ex hoc loco his modis neceſſarium ducitur argumentum, poſito patrum communi cõſenſu: Primum, cum explicant aliquem ſcripturæ locum: deinde, cum docent aliquid tenendum eſſe tanquam fidei dogma: deinde, cum aliquid ad traditionem apoſtolicam pertinere affirmant: deinde, cum conueniunt in deducenda aliqua veritate ex ſcriptura, vt quod Chriſtus duas habuerit voluntates. Secundum dictum: Ex hoc loco ſumuntur argumenta, probabilia, magis tamen, vel minus firma, his modis: quando agitur de re theologica, ſed non proxime pertinente ad fidem, vel mores, etiam ſi omnes conueniant; quamuis poſſet eſſe temerarium, vel erroneum eis refragari: quando vnus vel alter aliquid affirmat, & alij non negant: quando hinc inde ſunt plures auctores in aliqua dubitatione. Tertium dictum: Ex hoc loco duceretur argumen- Diſtin. 15. Can. ſicut Sancti.

Qq 2 tum

tum ſophiſticum: ſi putaremus, vt aliqui putãt, omnia, quæ in probatis patribus habentur, neceſſario eſſe recipienda, & ex omnibus argumẽtum duci neceſſarium: ſi ex ea re in qua errarũt, aliqua ſumeretur ratio: ſi denique ex eorum dictis male intellectis aliquid probaretur, vt ſæpe hæretici faciunt. Atque, ſi his, quæ ſupra ſcripſimus, adijcias, ſatis huic loco factum eſſe exiſtimabis.

L.4.c.18.

*De loco auctoritatis Scholaſticorum: quantum hic locus valeat, & quo modo inde argumenta ducantur. Cap. X.*

Cap.8. & 9.

NIsi libro primo huiuſce noſtrę inſtitutionis, qui ſint Theologi ſcholaſtici, & quæ eorum Theologia, ſatis abunde explicuiſſemus; id ſane hoc loco nobis faciendum eſſet. Ne igitur, quæ ſemel explicata ſunt, ſine neceſſitate repetantur, in præſentia demonſtrabimus primũ, hunc locum non eſſe reijciendum: deinde, quonam modo Scholaſtici poſſint citari, & quanta ſit eorum auctoritas: poſtea argumentandi rationem aperiemus: poſtremo, quid canoniſtarum in ſchola theologica valeat auctoritas indicabimus. De primo, auctoritatem ſcholaſticam locum aliquem habere in Eccleſia catholica, & nullo modo reijciendam eſſe, ex eo primum cõfirmatur, quod Eccleſia ſemper debet ſuos habere doctores, quos ei Chriſtus, ex Pauli doctrina, dedit:

Epheſ.4.



dedit: atqui nũc nullos alios habet, igitur Scholaſtici non ſunt ſpernendi, ſed tanquam Eccleſiæ doctores recipiendi. Deinde, Eccleſia ab eo vſque tempore, quo Scholaſtici exorti ſunt, vſa eſt doctrina Scholaſticorum in ſuis decretis ſtatuẽdis, in erroribus confutandis, & in dubijs rebus explicandis, quod ita certum eſt, quam quod certiſſimum; non igitur licet ſine temeritatis nota, eos deſpicere. Et quoniam hac de re, non nihil, non vno in loco ſupra diximus, non eſt, cur in hac veritate confirmanda diutius in præſentia, immoremur. Sed peteret hoc loco quiſpiam, quanam ratione hic ſeptimus locus a ſexto diſtinguatur, cum etiam Scholaſtici ſint Eccleſiæ doctores, vt olim Sancti patres fuere: cui petitioni hunc in modum ſatisfacio. Illi primi doctores fuerunt veluti magiſtri Scholaſticorum, hi vero tanquam diſcipuli: cum non tam noua doceant, quam quæ ab illis dicta ſunt, colligãt, & examinent. Illi, quodam priuato Dei Spiritu res diuinas tractarunt, & quæ ab Apoſtolis, & viris apoſtolicis acceperunt ſuis monumentis poſteris tradiderunt: hi vero potius labore & ſtudio res diuinas iam ab alijs ſcriptas colligunt, & examinant. Item, communis patrum conſenſus cenſetur facere aliquando argumentum neceſſarium, non ita conſenſus Scholaſticorum: quo fit, vt quod ab ipſis dicitur, potius a rationibus, quibus vtuntur ad id probandum, quam ab eorum auctoritate, vim ad fidem faciendam habeat.

Li.4. cap. 6. & 7.

habeat. His itaq; & alijs quibuſdam differẽtijs hos duos inter ſe locos diſtingueres. De ſecũdo, Scholaſticorum teſtimoniũ, quod etiã ſupra de ſanctorum patrum auctoritate agens, adnotaui, varijs modis, ad varias res confirmandas afferri poteſt, quos modos hic repetere, nihil eſt neceſſe: quorum etiam maior, & minor poteſt eſſe auctoritas, cum vnius magis, quam alterius vulgo approbetur doctrina. Nemo tamen hactenus apud communes ſcholas tantum auctoritatis obtinuit, vt quis cogatur eius teſtimonium neceſſario admittere, eidemq; reſpondere: quãuis priuatæ quædam ſcholæ aliter faciant, vt Thomæa, & Scotæa, quæ vniuerſam ſuorum principum doctrinam, ſibi defendendam ſuſceperunt, idq; ſe præſtare poſſe profitentur. Quod ad vſum huius loci attinet, ſtatuo hæc dicta. Primum dictum: In re theologica proxime ad fidem & mores pertinente, communis Scholaſticorum conſenſus ex patrum doctrina & ſcriptura collectus, ſeu corroboratus, facit argumẽtum neceſſarium; ita vt faciat rem fide. Poſſem hanc doctrinam pluribus rationibus confirmare, ſed vna, vel altera ero hoc loco contentus. Primum, ſi horum doctorum communis conſenſus non valeret ad aliquid neceſſario concludendum, quo nam modo ex ipſorum doctrina ſacra Concilia, quæ ad dogmata & mores pertinent, ſtatuerent? quos haberet Eccleſia doctores, ad quos confugeret? & quos conſuleret, a





quibus decipi non poſſet? Deinde, qui horum auctoritatem, in hac parte negaret, non poſſet non negare principia, quibus hi doctores nituntur, nimirum patrum & ſcripturæ doctrinam: at hæc negari non poſſunt, igitur nec Scholaſticorum auctoritas. Denique, ſi hi poſſunt omnino errare, ergo etiam Eccleſia vna cum ipſis laberetur, cum nullos alios nunc habeat doctores, a quibus inſtruatur. Secundum dictum: in re theologica non pertinente proxime ad fidem & mores, communis conſenſus Scholaſticorum facit argumentum maxime firmum, licet non neceſſarium, cui contradicere eſſet temerarium. Vt ſi quis negaret, quod cõmuniter omnes Scholaſtici docent, Chriſtum ab inſtanti ſuæ incarnationis eſſentiam diuinam clare vidiſſe. Quod contrarium ſentire ſit temerarium, patet: quoniam nõ poteſt aliquis ſingularis homo ſine audaciæ & temeritatis nota, contra eos opinari, qui ſunt in aliqua arte periti, ſi ipſi conſentiant; cum præſertim hi doctores ſoleant libenter inter ſe diſſentire, ſi eis ad id faciendum aliqua datur via. Tertium dictum: In alijs rebus a Scholaſticorum conſenſu ſumitur argumentum ſolum probabile. Vt, ſi conueniant in re nõ theologica: ſi ſint inter ſe diuiſi: vel ſi vnus grauiſſimus doctor aliquid dicat, alij non negent. Qua ratione contingat ex hoc loco male argumentari, facile intelligi poteſt, ex ijs, quæ in aliorum locorum expoſitione diximus. Reſtat ergo vt

de eo, quod poſteriore loco nobis explicandum propoſuimus, breuiter dicamus. Cum ad Scholaſticorum auctoritatem, Canoniſtarum auctoritas reduci queat, quid horum auctoritas in ſchola theologica valeat, his dictis expono. Primum, in ijs quæ ad dogmata fidei ſpectant, Theologorum ſchola non eget canoniſtarum teſtimonio. Quoniam ad eos non pertinet harum rerum tractatio. Quo fit, vt cum in hoc rerum genus inciderint, ſuos lectores, & auditores ad ſacros Theologos remittant: vel ſi quid dicunt, a Theologis accipiunt. Secundum dictum: Cum agitur de moribus, ſcilicet de virtutibus & peccatis ſecundum legem naturalem & diuinam, Theologus non indiget teſtimonio canoniſtarum, quamuis eo vti poſſit. Quod dixerim contra quoſdam iuris hac in parte, parum peritos, qui ſine ratione, aliter exiſtimant, & iniuſtam hac in re pronuntiant ſententiam: quam alio loco pluribus, iniuſte & imperite latam ab iſtis fuiſſe, demonſtrabo. Quoniam ipſi non norunt vim rationemq; humanorum actuum: vnde fit, vt in caſibus, quos vocant conſcientiæ, quod ad hanc partem attinet, ſæpe labantur. Tertium dictum: Iuris canonici peritorum auctoritas vtilis eſt Theologo in ijs rebus, quæ ad mores, & ritus Eccleſiæ pertinent, & a legibus Pontificijs pendent. Vt, ſi agatur de cenſuris, de diſpenſationibus, de iuriſdictione, de pœnis, alijsq; rebus ſimilibus. Quoniam hæc & id genus

Nicol. Euerar. Iac. Ben.

nus



nus alia ſpeciatim ipſorum facultati ſunt ſubiecta, & harum rerum priuatam ſolent habere notitiam. Atque de horum doctorum auctoritate, & de hoc loco hæc dixiſſe ſufficiat.

## *De loco rationis, & ſcientiæ humanæ. Cap. XI.*

LOCVM in quo latiſſime calamus poſſet excurrere breui excurſurus, primum quædam ad eius maiorem declarationem notanda proponam: deinde non eſſe reijciendum, & aliquid virium in ſchola Theologica habere demõſtrabo: poſtremo, quo pacto ex eo argumenta ducantur, aperiam. De primo, circa hunc locum duo extrema fugienda ſunt, alterum, quod nihil liceat ratione cõcludere, & quod ad religionem pertineat, humana ratione probare: alterum, nihil eſſe credendum, quod non ſit neceſſaria ratione concluſum: illud ſtultum, hoc profecto impium cenſeri debet. Exiſtimandum itaque eſt licere, immo etiam neceſſarium eſſe, adhibere aliquam humanam rationem ad ea, quæ ſunt fidei ſuadenda, licet Gulielmus Ocanus ſine ratione contrarium ſenſerit. Fides enim non deſtruit, ſed perficit naturam. Cum ergo homo ſit rationis capax, ei rationis vſus, in ijs maxime percipiendis, quæ ad beatitudinẽ conſequendam pertinent, non eſt negandus vt ſupra, non ſemel docuimus: quod contra omnem

naturæ

naturæ legem impius Mahometus fecit: qui, tan quam immanis quædã bellua, homines in percipienda religione, ratione ſpoliauit, & ad eam propagandam ferro crudeliter armauit. Poſſunt autem humanæ rationes duplici modo afferri: vel, vt ſint ſola cauſſa credendi, vel vt tantum ſuadeant & diſponant; vel etiam ad conſolationem credentium, & ad defenſionem veritatis. Quod autem non liceat in tractandis rebus, quæ ad religionem pertinent humana ratione vti, fuit antiquus error, contra quem in libris Stromatum non vno in loco doctiſſime pugnauit Alexandrinus Clemens: qui auctor pro hac diſputatione conſulendus eſt: de qua re nos etiam plura ſuperius ſcripſimus. Quod ad ſecundum attinet, ſtatuo hæc dicta. Primum dictum: A ſcholis Theologiæ non eſt reijciendus locus a ratione, & ſcientijs humanis ſumptus. Primum, quia ipſimet ſacrorum librorum ſcriptores in ſcribendis diuinis myſterijs, humanis vtuntur rationibus, & ſcientijs. Deinde, ſi id non licet, damnandi ac reijciendi eſſent, quotquot patres noſtræ religionis dogmata tractarunt, & explicarunt, qui his præſidijs vſi fuere. Reijciantur ergo Clementes, Cyrilli, Baſilij, Gregorij, Auguſtini, Hieronymi, & denique, nullo excepto, patres omnes. Poſtremo, quoniam ſine humana ratione & doctrina diuinæ literæ, & fidei myſteria, nec intelligi, nec explicari, nec defendi poſſunt. Itaque qui rationẽ conuenienter adhibitam

Li.4.& 5.

bitam



bitam ab hac doctrina reijciunt, tanquam homines rationis expertes irridendi ſunt. Secundum dictum: Falſum eſt, humanam rationem ita eſſe incertam, vt nulli rei liceat indubitatam præbere aſſenſionem: ſimiliter, abſurdum eſt affirmare humanas ſcientias eſſe ita dubias, vt nihil certi habeant: ita vt ex illis nulla certa poſſit colligi ſententia, & vtilitas: quod ſpeciatim intelligimus de ſcientijs ab Ethnicis traditis, quas nõnulli omnino vanas eſſe, vane contendunt. Hoc dictum, ſupponitur hic a nobis tanquam certũ, cum nolimus in eius probatione ſine neceſſitate, latius immorari: qui probationem deſiderãt eos legant, qui contra Scepticos, & Academicos ſcripſerunt. Tertium dictum: Et ſi in re Theologica humana ratio locum habeat: tamen, non debet ita afferri, vt per eam, quaſi per cauſſam aliquid credamus, ſed ſolum, vt iuuet. Nam, abſurdum omnino eſſet rationem primum locum habere in ea diſciplina, quæ auctoritati potiſſimum nititur. De modo argumentandi ita ſtatuo. Primum dictum: Ab hoc loco, in rebus ad fidem pertinentibus, nunquam ducitur argumentum neceſſarium. Eſt hæc doctrina manifeſta ex ijs, quæ libro quarto capite decimo ſcripſimus. Secundum dictum: Omnia argumenta, quæ ab hoc loco ſumuntur ad probanda, quæ ſunt fidei, ſolum habent quandam probabilitatem. Nam, cum ratio naturalis fidem non demonſtret, ſequitur vt ſolum ad probabilitatem conferat.

Cicer. Auguſt. Lacta.

conferat.

conferat. Et in ſacris literis ſæpiſſime inuenies argumenta probabilia ex hoc loco ſumpta. Ita
Act.2. argumentatus eſt Petrus, cum probauit diſcipulos non eſſe ebrios, quod non dum eſſet hora diei tertia. Et prudens illa fœmina, Abigail, probauit ſuum maritum eſſe ſtultum a nominis
L.1.Reg. interpretatione, quod Nabal, id eſt, ſtultus vocaretur. Et denique in omni ſacro libro paſſim hunc locum vſurpatum inuenies: quod nos alibi, fauente Deo, latius demonſtrabimus, cum topicam quandam ex diuinis libris collectam in lucem dabimus. Tertium dictum: Ex hoc loco varijs modis ſophiſtice argumentari contingit; de quibus nihil eſt, cur ſpeciatim aliquid dicamus; cum hoc negocium ad Dialecticum pertineat. Et hæc, de hoc loco.

## *De loco auctoritatis Philoſophorum.* *Cap.* XII.

HOs poſtremos locos, & quia externi ſunt, & quia minorem difficultatem habent, breuiter percurrimus. Vt autem hunc nonum exponamus, quid ſit philoſophia, & quod ex philoſophorum auctoritate Theologo, arguere liceat, & quo pacto, paucis docebimus. Philoſophia, ex cuius definitione, quid philoſophus ſit, intelligi poterit, ſic finiri ſolet. Philoſophia eſt ſcientia veritatis: quæ deſcriptio conuenit ei philoſophiæ parti, quæ in veri perſpicientia

verſa-



verſatur. Alij hoc modo deſcribunt: Philoſophia eſt recte viuendi ratio. Vel ſi placet, hoc pacto: Philoſophia eſt rerum humanarum, atque diuinarum ſcientia, ex quibuſdam notitijs naturaliter cognitis, humano ſtudio ad bene beatæq; viuendum comparata. De cuius Cic. Tuſ. 5.
dignitate, vtilitate, atque neceſſitate multa ſcripta reperiuntur; de quibus ſermonem habere, Cardin. Sadol. de laud. Philoſ.
ad noſtrum inſtitutum attinet nihil. Per philophiam autem non intelligimus quamcunque doctrinam, neq; per philoſophos quoſcunque, qui hoc nomine aliquando appellati fuere, ſed eos, qui bene, & naturæ congruenter, & cum aliqua bonæ doctrinæ opinione philoſophati ſunt: cum certum ſit, multos extitiſſe philoſophos, qui male audiuerunt, quorum auctoritas & doctrina nulla fuit. Quod autem hic locus non ſit deſpiciendus, & qua ratione admittendus ſit, his explicatur dictis. Primum dictum: Locus ab auctoritate philoſophorũ, ſub Act.17. 2.Cor.15 Iuſt.in ad mo.
quorum appellatione etiam poetas complectimur, non eſt a Chriſtiana ſchola reijciendus. Sed pro oportunitate adhibẽdus. Primum, quia Aug.li.2. de doctr. c.4.
Apoſtolus non ſemel hoc loco vſus eſt, quẽ imitati ſunt ſæpiſſime ſancti patres: qui id licere ex profeſſo docuerunt; vt latius ſupra docuimus. Arno.cõtra gẽtes.
Deinde, quia iſti fuerũt veluti legis naturę magiſtri, per quos Deus, vt grauiſſimi patres ſcribũt, Pacianus. epiſt. 2.
docebat eos, qui in lege naturæ viuebant: quare, Clem.l.3 Strom.
nõ erunt deſpiciendi, cum nemo in ſua arte pe-

ritus

ritus ſine temeritate, reijci queat. Poſtremo, omnes veritates ſunt a Spiritu ſancto, ergo vbicũq; ſint, ad Eccleſiã pertinebũt: & ita ab alienigenis, tanquã ab iniuſtis poſſeſſoribus repetẽdæ erunt. Secundum dictum: Hoc loco, vtetur prudens Theologus appoſite ad probandum ea, quę philoſophi per naturalem rationem cognoſcere potuerunt. Vt ad probandum, quæ de Dei prouidentia, de libero arbitrio, de finibus bonorum & malorum, & de alijs rebus harum ſimilibus diſputantur. Quod ſi ſancti patres interdum afferunt philoſophorum auctoritates ad demõſtrãdum aliquid, quod ſolum per reuelationem diuinam cognoſcitur, vt eſt myſterium Trinitatis; id faciunt, quia, ſi quid bene his de rebus dixerunt, a noſtris tanquam fures, vt ait Alexandrinus Clemens, acceperunt. Tertium dictum: Theologus parce hoc loco vtatur, & eos ſolum citet ſcriptores, qui aliquam habent in ſcholis humanis auctoritatem. Si quis autem cognoſcere velit, qua ratione in profanis libris legendis verſandum ſit, luculentum de hac re legat Baſilij ſermonem. Itaque qui captiuam mulierem ducere in vxorem vult, eius capillos abſcindat, vngues reſecet, & nitro lauet. Non exportet omnia quæ ſunt in Ægypto, ſed tantum preciosa vaſa, idola illis relinquat, qui in Ægypto viuunt. Sed quid argumentum ex hoc loco ſumptum valeat, iam explicemus. Primum dictum: in re Theologica nũquam argumentum ex

Lege Augu. Steu. lib. 7. de peré. philoſ. c. 3. & 19.

Deut. 21. Hierony. epiſt. ad Pamma. Epiſt. ad Magnum oratorẽ. Lib. Fons vitæ. c. 22.



ex quouis conſenſu philoſophorum erit ita neceſſarium, vt rem faciat, de fide. Nam, ſi ratio humana id non poteſt, multo minus auctoritas id poterit humana: & cum in re verſemur manifeſta, non eſt cur eam pluribus confirmemus. Secundum dictum: Communis philoſophorũ conſenſus in re, quam etiam Theologi tractant, facit argumentum firmiſſimum: & qui hoc negaret, irridendus eſſet. Vt ſi ex philoſophorum ſententia probaretur animorum immortalitas: liberum hominis arbitrium, diuina prouidẽtia, vel aliquid aliud ſimile. Tertium dictum: Cum non omnes philoſophi in aliqua re conſentiunt, eorum auctoritas probabile facit argumentum: ſimiliter, ex aliquorum tantum opinione, etiam ſi alij, nihil de ea re affirment, licet probabiliter argumentari. Vt fecit Epiphanius, qui id, quod dicitur de leæna, quod ſemel pariat, adduxit ad probandam perpetuam beatæ Mariæ virginitatem. Quartum dictum: Ex hoc loco poteſt duci argumentum ſophiſticum. Vt ſi philoſophorum conſenſus adduceretur in ea re, in qua errarunt: qua ratione male argumentaretur, qui ad deſtruendam rerum creationem, diceret, omnes philoſophos docere, ex nihilo nihil fieri: & ad probandum accidentia non poſſe a ſubſtantia ſeparari, eorundem communem vſurparet conſenſum. Ad hunc locum reuocatur auctoritas Iuris Cæſarei peritorum, quorum doctrina eſt veluti quædam moralis philoſophia practica, & ciuilis

Hæreſ. 78

Ariſt. l. 1. phyſ.

ciuilis ſcientia. Poſſem hic multis rationibus demõſtrare, quantum, mediocris ſaltem legum ciuilium notitia, ei, qui futurus eſt conſummatus Theologus, ſit vtilis, ne dicam neceſſaria, ſed nolo hac in re diutius immorari. Horum autem doctorum auctoritas, aliquid valeret, in ijs quęſtionibus, quæ ſunt Theologis cum Iuriſperitis communes: & præſertim in materia de legibus, de contractibus, de dominio, de matrimonio, & alijs ſimilibus. Iis ergo, quæ afferri potuiſſent in oportuniorem locum reiectis, ad vltimum locum explicandum tranſitum facio.

### *De loco humanæ hiſtoriæ: quid ſit hiſtoria, quotuplex, & quæ, & quo modo hinc argumenta ſumantur. Cap. XIII.*

HVNC poſtremum Scholaſticæ Theologiæ locum breui percurrentes, quid ſit hiſtoria, primum explicabimus: deinde, fundamentis quibuſdam quanta ſit huius loci firmitudo ſtatuemus: poſtremo, quæ hinc argumenta ſumantur, quibuſdam dictis manifeſtabimus. De primo, hiſtoria, hunc in modum ab Iuſtino martyre deſcripta fuit. (In qq. ad orthod.) Hiſtoria eſt ſermo narrationem continens iam factæ rei. A Caſſiodoro hoc modo: Hiſtoria eſt præteritarũ rerum, ab ætatis noſtræ memoria remotarum, fida cõmemoratio. Hiſtoriarum, aliæ ſunt diuinæ, quas ſacri ſcriptores diuino afflatu moti, conſcripſere, aliæ humanæ,



humanæ, humano modo exaratæ: quarum aliæ Eccleſiaſticæ, in quibus res ad Eccleſiã pertinentes narrantur, aliæ profanæ, vt hiſtoriæ Liuij, Iuſtini, Taciti, & aliorum. Hoc loco agimus de humanis hiſtorijs, quoniam diuinæ pertinent ad locum ſacræ ſcripturæ. Vt autem demonſtremus hunc locum aliquam vim habere, animaduertendum in primis eſt, id homini innatum eſſe, vt alijs hominibus, & præſertim prudentibus fidem habeat, idq; ad humanam conſociationem retinendam, omnino neceſſarium eſſe: quia, hac fide ſublata, omnia humana commercia, & omnis communis vſus funditus tolleretur. Quo fit, vt ſi duo, vel tres homines fide digni aliquid referant, ita ab alijs credatur, (Mat. 18.) vt nemo prudens diſſentire audeat. Itaque, vna dempta demonſtratione, multorum fide dignorum teſtimonium, magis nos ad aſſentiendum mouet, quam vlla alia ratio: quod ipſa experientia, ita manifeſtum eſt, vt nulla ad hoc confirmandum, ſit neceſſaria probatio. Deinde, cum non omnes hiſtorici, tanquam veraces, ſaltem multis in rebus quas narrant, habeantur, adhibenda eſt diligentia, vt eos ſequamur, quibus maior ſolet haberi fides. Qui autem ſint magis veridici, poteſt primum cognoſci ex ipſorũ probitate, & moribus: deinde, ex diligẽtia, & iudicio, quo in hiſtoria conſcribenda vſi ſunt, ſi quæ ipſi viderint, aut a fide dignis audiuerint, ſcribant: poſtea, is verax habendus, ac alijs præferen-

ferendus erit, qui apud homines pro veraci, habetur, & alijs præfertur. Illud obiter nunc dixerim de Cornelio Tacito, eum a Tertulliano appellari mendaciſſimum. De hac re lege Gelaſium apud Gratianum, diſtinctione decimaquincta Canone, Sancta. Poſtremo, notandum eſt, hiſtoriarum notitiam Theologo eſſe maxime neceſſariam: primum, quia ipſa diuina pagina nos ſæpe ad hiſtorias remittit, vt patet multis locis in veteri teſtamento: deinde, quia multa ſunt loca ſacrarum ſcripturarum, immo integri fere libri, quos ſine hiſtoriæ cognitione, bene explicabit nemo: vt prophetia Danielis, & Machabeorum libri: poſtremo, vt multas alias vtilitates omittam, quoniam ſæpe humanæ & diuinæ hiſtoriæ conciliandæ ſunt: & quod huc pertinet, ex hiſtoriarum notitia multæ apparentes ſcripturæ contradictiones explicantur. Quo fit, vt hic locus nulla ratione a Theologo deſpiciendus ſit: & ſane, his temporibus, Theologus qui non eſt in hiſtorijs verſatus, ſæpe hæreticorum falſis argumentationibus reſpondere non poterit. His notatis, de huius loci vſu, ita ſtatuo. Primum dictum: Argumentum ſumptum ab hiſtoria diuina, etiam ſi rem aliquam leuiſſimã, narret, eſt neceſſarium, ita vt ſalua fide negari
1. Reg. 9. non poſſit. Vt, quod Saul aſinas quæſiuerit,
Tob. 6. Tobias canem habuerit, & ſimilia. Secundum dictũ: Ex humana hiſtoria, ſiue eccleſiaſtica, ſiue profana, etiam ſi omnes hiſtorici ad vnum, conſentiant,



ſentiant, non ſumitur argumentum tale, vt rem faciat de fide. Quoniam talis auctoritas eſt mere humana, cui poteſt ſubeſſe falſum. Tertium dictum: Argumentum ſumptum ab humana hiſtoria, cum omnes hiſtorici in aliqua re narranda conueniunt, eſt efficaciſſimum: & illud negare, eſt omnino temerarium. Patet hoc dictum ex ijs, quæ adnotauimus: quia, ſi hiſtoriæ fides ab humana rep. remoueatur, vniuerſa perit rerum ante nos actarum certitudo: & in Eccleſia multa, tanquam certa, hiſtoriæ teſtimonio tenentur. Vt, quod diuus Petrus Romam venerit: quod hæc vel illa concilia, hoc vel illo tẽpore celebrata fuerint; & id genus alia. Quæ ſi quis negaret, non aliter erraret, atque is, qui hac ætate antipodas eſſe, quod eos nunquam viderit, ijs qui viderunt, concedere nollet. Quartum dictum: Quando hiſtorici non conueniũt, vel quando aliquid refertur ab vno, vel altero tantum, & non ab alijs, aut quando aliter referunt, hic locus ſolum ſuppeditat argumentum probabile, quod non facile reijciendum eſt: intellige, cum id narratur, quod fidem humanam non ſuperat. Huius dicti ratio ea eſt, quia lex naturæ dictat, vt id credatur, quod duorum vel trium ſermone affirmatur. In hac autem pro- Mat. 18.
babilitate, ſunt quidam gradus pro ratione eorum, qui ſcribunt, & modi, quo narrant, & rerũ, quæ narrantur. Quinctum dictũ: Licet argumẽtum probabile ab hoc loco ductum negari poſſit:

 ſit:

ſit: tamen, id non ſine prudentia, & modeſtia, fieri debet. Circa hoc dictum hæc diligenter animaduertenda ſunt. Principio, quod narratur, a viro graui & prudēti, & alicuius nominis, non eſt temere negandum: vt ſunt ea, quæ de ſanctis viris Hieronymus, Gregorius, & alij nonnulli pietate & doctrina inſignes ſcriptores literis conſignarunt. Deinde, ſi auctor non eſſet magnę auctoritatis, ſed tamen res quæ narratur ad pietatem conferret, & nihil abſurdum, aut omnino præter fidem contineret, recipi deberet: vt recipiuntur multa, quæ in ſanctorum vitis a quibuſdam ſine vlla graui auctoritate narrantur. Poſtremo, quæ non videntur decentia, nec ad pietatem conferunt, prudenter negari poterunt. Poſtremum dictum: Ex hoc loco ſæpe ſophiſticum argumentum ducitur: vt ſi ex fictis & falſis, vel male intellectis hiſtorijs aliqua ſumeretur ratio: quo modo argumentantur hæretici ad probandum Petrum nunquam fuiſſe Romæ, cum multorum & grauiſſimorum teſtimonio, id euidenter demonſtretur. Et quoniam de locis theologicis, & quantum noſtrum inſtitutum requirebat, & quantum Theologiæ candidato ſatis erit, a nobis diſputatum eſt, huic diſputationi finem faciemus, & ad tractationem de ſenſibus diuinæ ſcripturæ ſtylum conuertemus.

*Expli-*



## *Explicantur nonus & decimus Articulus diui Thomæ. Cap. XIIII.*

TRIA in articulo octauo Angelicus Doctor de ſacra doctrina nos docuit; nimirū eam eſſe argumentatiuam, qua ratione argumētetur, & vnde argumenta ſua depromat: quorum duo priora libro iquarto copioſe explicuimus: tertium, hactenus, hoc quincto libro. Quæ autem in duobus reliquis articulis tradit deinceps explicaturi ſumus; & quoniam prius quæ articulo decimo, quam, quæ nono docet tractare volumus, ideo prius vtriuſq; articuli ſummam afferemus, deinde late ſuper his, quæ a beato Doctore traduntur, diſputabimus. In nono itaque articulo quærit, An ſacra doctrina conuenienter vtatur metaphoris: nomine autem ſacræ doctrinæ, vt alias docuimus, ſpeciatim doctrinam intelligit principiorum, quæ in diuinis habetur literis. Cuius articuli ſumma his concluſionibus continetur. Prima concluſio: Conuenienter ſacra doctrina vtitur metaphoris rerum corporalium, vt diuina & ſpiritualia tradat. Primum, quia Deus, qui conuenienter omnia efficit, per manus prophetarum ſe aſſimilatum fuiſſe dicit: quod non fit ſine metaphoris. Deinde conueniens fuit Deum ſeſe accommodare noſtræ naturæ, quæ præcipit ſpiritualia per ſimilitudines rerum corporatarum, vt Dionyſius docet: quo

Oſe. 12.

Cap. 1. cęl. hier.

 factum

factum eſt, vt ſapientes, & inſipientes eas intelligant. Secunda concluſio: Sacra doctrina non vtitur metaphoris eo modo, quo vtuntur Poetæ ad delectationem, ſed neceſſitatis cauſſa, vt nos intelligamus. Tertiæ, metaphoræ non obſcurant res, quæ per eas explicantur, ſed potius eas manifeſtant: quoniam occaſionem præbent eleuandi intellectum ad cogitandas res diuinas. Valent etiam ad exercitationem: & ſacra myſteria indignis occultant: ne detur ſanctum canibus. Quarta ſimilitudines ſumptæ ex rebus vilioribus ſunt magis accommodatæ ad res diuinas explicandas, quam ſi ſumerentur ex rebus præſtantioribus. Primum, quia aufertur occaſio errandi; quia facilius remouentur a Deo viliora. Deinde, quia Deus melius cognoſcitur per negationem, quam per affirmationem. Poſtremo, quoniam hac ratione multo melius diuina indignis occultantur. Et hæc ſunt quæ diuus Thomas in nono docet articulo. In decimo quærit de multiplici ſcripturarum ſenſu, ex quo ſummatim hæ colliguntur concluſiones. Prima concluſio: Sacra doctrina ſub vna litera continet plures ſenſus. Primum, quia, vt ſcripſit Gregorius, dum narrat geſtum, prodit myſterium: vnde duo naſcũtur ſenſus, literalis, & myſticus. Deinde, quia Deus huius doctrinæ auctor potuit efficere, vt non ſolum voces, quæ ſenſum literalem faciunt, ſignificarent, ſed etiam res ipſæ, quæ ſpiritualem ſenſum procreant. Secunda concluſio:

Mat. 7.

Dion. c. 2. cœl. hier.



concluſio: Spiritualis ſenſus triplex eſt: vnus allegoricus, quo ſignificantur, quæ ad ſtatum Eccleſiæ pertinent: ſecundus moralis, quo ſignificantur, quæ ad mores, & vitam recte inſtituendam conferunt: tertius anagogicus, quo ſignificantur, ea, quæ in æterna vita ſunt futura. Tertia concluſio: Vnius loci plures eſſe poſſunt ſenſus literales. Primum, quoniam ita ſentit Auguſtinus. Deinde, quia auctor ſcripturæ Deus, omnia vnica cognitione intelligit, & ita vnica oratione poteſt plura ſignificare. Quarta concluſio: Multitudo ſenſuum non facit ęquiuocationem, neq; confuſionem vllam, cum omnes fundentur in literali, ex quo ſolo argumentari licet: cũ nihil ſit in vno loco in ſenſu ſpirituali, quod alibi non ſit in literali. Quincta concluſio: Ætiologia, & Analogia, & ſenſus parabolicus ad literalem ſenſum referuntur. Et hæc ſunt, quæ ſanctus doctor in his duobus habet articulis: quæ nobis deinceps paullo vberius explicanda ſunt.

Lib. 12. cõfeſſ. c. 18. 19. & 24.

## *Quod plures ſint diuinæ ſcripturæ ſenſus, & quot ſint.* *Cap. XV.*

QVONIAM vero ex omnibus ſacræ Theologiæ locis, is qui pro dignitate in hoc grauiſſimo ſtudio verſari vult, nullum magis tractatum, atque cognitum habere debet, quam eum, qui diuinæ ſcripturæ auctoritatem continet; profecto

profecto ad inſtitutũ noſtrum, quod eſt nouum Theologum ad res diuinas cognoſcendas plene informare, pertinere videtur, vt de ſenſuum ſacrarum literarum varietate, natura, inueſtigatione, & poteſtate, antequam his noſtris inſtitutionibus finem imponimus, aliquid diſputemus. Huc etiam accedit, quod eam doctrinam, quam beatus Thomas in duobus poſtremis articulis nobis tradidit, his de rebus agendo, planius explicabimus. Rem igitur omnino cognitione dignam aggredientes, primum plures in diuinis oraculis ſenſus reperi omni remota diſputatione, demonſtrabimus: deinde priuatim ſingulorum explicationem perſequemur. In hac autem

Quint.li. 8. c.5. Sap.7. 1. Cor.2.

ſuſcepta materia, vox iſta, ſenſus, quæ proprie vim ſentiendi ſignificat, ſumitur pro intelligentia, & ſententia: qua etiam ratione in nonnullis ſacræ ſcripturæ locis, vſurpatur. Quod igitur ad ſenſuum multitudinem attinet, hęc dicta pono. Primum dictum: Si loquamur de ſenſuum multitudine, quantum ad numerum, diuinæ paginæ ſenſus ſunt infiniti, ita vt ratione noſtri, nullis dicantur certis terminis contineri; ſed ſolus Deus infinita ſua intelligentia eos complectitur. Quo fit, vt nemo, quantumuis perſpicax & acutus, poſſit aliquem latentem ſenſum ex ſcripturis eruere, quem Deus non nouerit, & in eum verba accommodari non poſſe, tum viderit, tum etiam præuiderit. Et quoniam de hoc dicto nulla eſt dubitatio, nihil eſt cur in eo probando fruſtra



ſtra laboremus. Secundum dictum: Diuinæ ſcripturæ ſenſus, ſpecie, plures ſunt: quarum tamen ſpecierum certus eſt numerus. Hoc dictum eſt certa fide tenendum, contra quoſdam ſciolos, qui ſolum literalem ſenſum agnoſcunt: quorum ſententia, breuiter in præſentia a nobis confutabitur. Primum, quia & Chriſtus, & Apoſtoli, vnum & eundem locum, in ſenſus omnino diuerſos interpretati ſunt: igitur plures erunt in ſacra ſcriptura ſenſus. Illud Geneſis capite ſecundo, Quamobrem relinquet homo, & quæ ſequuntur, Chriſtus de matrimonio expoſuit: at Paulus de Chriſto & Eccleſia. Illud de exaltatione ſerpentis in deſerto, Chriſtus de ſe expoſuit. Illud, quod de populo Hebræo dictũ fuerat, ex Ægypto vocaui filium meum, de Chriſti profectione in Ægyptum expoſuit Matthæus. Deinde, in diuinis literis, vt patet ex vno, vel altero loco iam citato, non ſolum verba, ſed etiam res ipſæ ſignificãt: igitur plures ac diuerſos ſubminiſtrabunt ſenſus. Adde poſtremo communem omnium patrum ſententiam, quorum, vel verba, vel loca in re manifeſta afferre nihil eſt neceſſe. Ne itaque in hac re longior ſim, quam neceſſitas introductionis patitur, hæ rationes, ſint inſtar multarum, quæ in mediũ afferri poſſent. Explodatur ergo error iſte poſteriorum Hebræorum, qui velamine præpediti, ſpirituales ſenſus non vident: nec exiſtimemus myſticas intelligentias ab hominibus otioſis fuiſſe excogitatas,

Math.19. Eph.5. Math.2. 1.Cor.10. Ioan.19. 1. Pet.3.

gitatas, vt aliqui ſtultiſſime exiſtimarunt. Tertium dictum: Hæc ſenſuum diuerſitas varijs nominibus, a varijs ſcriptoribus, ſolet nominari, quæ ſunt fere iſta. Senſus literalis, hiſtoricus, grammaticus, myſticus, ſpiritualis, allegoricus, analogicus, anagogicus, tropologicus, moralis, typicus, ſiue figuralis, parabolicus, ætiologicus, propheticus, ſpiritualis intelligentia, ſublimior contemplatio, ſeu cõtemplatio, ſimpliciter: quibus duobus vltimis appellationibus Chryſoſtomus, & Caſſianus ſpeciatim vtuntur. Quartum dictum: Huiuſmodi nomina apud ſacros diuinæ paginę expoſitores interdum confunduntur, & vnum pro altero promiſcue accipitur. Hoc dictum adeo eſt certum vt nulla probatione egeat: & in ipſa auctorum lectione facile quiſque, quod hoc loco docemus, obſeruare poterit; cum omnes fere patres his vocibus, tanquã ſynonymis, interdum vtantur. Quinctum dictũ: Hæ appellationes non ſunt ita ſynonymę, vt ab ipſis ſcriptoribus interdum diuerſo modo non accipiantur; ita vt per eas varias ſenſuum ſpecies deſignent. Conſtat enim ex patrum lectione, interdum ſenſum allegoricum non eſſe eundem, qui anagogicus, nec hiſtoricum, qui moralis: vt videre poteris in locis in marginibus citatis. Et hoc, qui negaret, oſtenderet profecto ſe in antiquorum patrum ſcriptis legendis eſſe parum verſatum, aut eos non intellexiſſe, vel intelligere noluiſſe. Sextum dictum: Quamuis ex patrum

Colla. 12.

Dion. Areopag. Hieron. Greg. Baſil.

Auguſ. ad Honor. Orig. in pſal. 36. hom. 1. Cyril. l. 5. in Leuit. Bernar. Hier. in Amos. c. 4



patrum ſcriptis non certo conſtet, quot ſint ſenſuum ſacræ ſcripturæ ſpecies: tamen probabiliter affirmares eſſe tres, quæ ſunt iſtæ: Senſus literalis, allegoricus, & anagogicus. Literalis eſt ille, quem verba in propria ſignificatione accepta, continent: allegoricus, qui accommodatur Eccleſiæ militanti: anagogicus, qui aptatur Eccleſiæ triumphanti: de quibus poſtea planius ſcribetur. Hic ternarius ſenſuum numerus, ſic probatur. Primo ex ipſa Scripturæ auctoritate: Ecce, inquit Sapiens, deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus & ſcientia; vt oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis: quibus verbis hunc triplicem ſenſum ſignificari teſtatum reliquit Hieronymus. Geneſis capite ſexto, cum Deus arcæ fabricam deſignaret, Noe dixit, Deorſum cœnacula, & triſtega, ſiue tabulata tria, facies, in ea: ex quo loco Origenes eundem numerum colligit. Idem, auctor, ex eo, quod Abramus triduo commoratus eſt in loco viſionis, eandem ſententiam confirmat. Cyrillus Alexandrinus, vel idem Origenes in Leuiticum ex triplici ſacrificiorum modo, & ex tribus panibus, qui in caniſtro habebantur, eundem numerum deducit. Et regnum cœlorum, quod interdum ſcripturarum intelligentiam deſignat, ſimile eſſe dicitur fermento, quod acceptũ, mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus. Deinde, his ſcripturæ locis adde citatorum patrum auctoritatem, & quorundam aliorum, qui eundem numerum

Prou. 22.

Gen. 22. Hom. 3. Hom. 11. in Geneſ. lib. 5.

Math. 13.

merum videntur agnoſcere; quorum ſententiæ libenter quidam recentiores ſubſcribunt. Po-
Iul. Rog. ſtea, hic numerus videtur congruere homini, cui ſacra ſcriptura a Deo data fuit: quia, vt homo conſtat corpore, anima, & ſpiritu, ita ſcriptura ſenſu literali, quaſi corpore, ſenſu allegorico, quaſi anima, & ſenſu anagogico, quaſi ſpiritu. Videtur etiam congruere ex parte donantis, qui eſt vnus & trinus. Confirmatur etiam ob congruentiam ex parte ipſius numeri ternarij, qui perfectiſſimus omnium numerorum cenſetur. Poſtremo, ſi qui alius ſenſus ſpecie distinctus addendus eſt, maxime ſenſus moralis, at hic interdum idẽ eſt quod literalis, vt ijs in locis, vbi morum præcepta dantur, aut idem quod allegoricus ſi ad mores Eccleſię referatur, igitur. Quod ſi quis allegoricũ velit in duas partes diſtribuere, ita vt vna ad mores tantum referatur, altera vero ad alia omnia, quæ ſunt in militanti Eccleſia, præter mores, ne videamur inutiliter de re non magni momenti altercari, non refragabimur. Poterit igitur qui voluerit quattuor ſenſuum ſpecies conſtituere, literalem, moralem, allegoricum, & anagogicum: quorum diuerſitas hac voce, Ieruſalem, explicari ſolet. Ieruſalem, in ſenſu literali, ſignificat ciuitatem illam terreſtrem: in morali, animam: in allegorico Eccleſiam: in anagogico cœleſtem patriam. Hunc numerum cõmuniter Scholaſtici, & diuinarum ſcripturarum expoſitores libenter amplectuntur,



tur, quem probabiliter retinẽdum eſſe defenderes. Septimum dictum: Illas varias ſenſuum appellationes ſuperius recenſitas, ad hos quattuor ſenſus ſignificandos hoc modo reuocare licet. Literalem, hiſtoricum, & grammaticum, eundem eſſe ſenſum certiſſimum eſt apud omnes: huc etiam pertinet tropologicus, & parabolicus: quia ſenſus, qui parabola, vel tropo aliquo continetur, literalis eſt, vt optime ſanctus Thomas articulo decimo docet: quamuis tropologicus interdum idem ſit, quod moralis. Similiter ſenſus, quem ætiologia complectitur, idem eſt quod literalis, cum cauſſæ alicuius facti redditio, ad ſenſum literalem pertineant. Idem dicas de ſenſu analogico, qui eſt, cum ita exponitur ſcriptura, vt vnius loci ſenſus alteri non repugnare oſtendatur. Vbi illud obiter adnotauerim, apud diuum Thomam in omnibus quas vidi impreſſionibus, & apud expoſitores male haberi, etymologia, pro ætiologia, quæ duo nomina ſignificationes omnino diuerſas habent. Notauerim etiam, eum ſenſum qui verſatur circa literam, potius literalem, ſeu grammaticum, quã hiſtoricum appellari debere, cum narratio non ſit vbique hiſtorica. Reliquæ omnes appellationes promiſcue ſignificant eum ſenſum, qui non eſt literalis, quicunque ille ſit: ſed vſu ſcriptorũ factum eſt, vt hæ voces, allegoricus, anagogicus, & moralis, ſiue tropologicus, certas ſpecies deſignent, vt ſupra diximus, & plenius poſtea dicetur.

tur. Breui igitur concludamus ſcripturæ ſenſus eſſe plures: & diuidi primum in duas ſpecies, ita vt alius literalis, alius ſpiritualis, ſiue myſticus dicatur: & hunc diuidi in duas ſpecies, in allegoricum, & anagogicum, vel, ſi magis placet, adde etiam, in moralem.

## *Qui ſenſus dicatur literalis, & vnde ſumendus ſit. Cap. XVI.*

CVM in noſtris libris, de ratione interpretandarum ſcripturarum, ſeu ſacrarum inſtitutionum, de tota hac materia, quam hoc loco explicandam ſuſcepimus, iam copioſe diſputauerimus, hoc loco ſolum ea proſequemur, circa hos ſacros diuinæ paginæ ſenſus, quæ ſint Theologiæ candidato omnino ſcitu neceſſaria. Propterea, nemo a nobis maiorem explicationem propoſitæ materiæ hic repoſcat. Cum ergo iam demonſtrauerimus, in ſacro codice plures eſſe ſenſus, atq; qui, & quot nam ſint, expoſuerimus, ad ſingulorum explicationẽ accedamus. Quod igitur ad ſenſus literalis naturam manifeſtandã attinet, cum varij fuerint hac de re dicendi modi, per varia dicta, quid minus placeat primum confutabimus, deinde quid ſentiendum ſit docebimus. Primum dictum: Non eſt verum, eum proprie eſſe ſenſum literalem ſacrę ſcripturæ, [In Math. q. 28.] qui eſt intentus a Spiritu ſancto, vt Abulenſis voluit. Primum, quoniam nullus eſſet ſenſus

ſus



ſus ſpiritualis, cum etiam hic ſenſus ſit a diuino Spiritu intentus: Quod ſi dicas, ſpiritualem ſenſum eſſe eum, quem qui ſcripturam exponit affert, id falſum eſt: quoniam, ſi hoc eſſet verum, etiam in ſcriptoribus profanis, vt in poetis, myſtici & ſpirituales inuenirentur ſenſus. Deinde, ſi iſta explicatio eſſet vera, ſequeretur, eum ſenſum, quem affert diuus Petrus de Arca Noe, eſſe literalem, cum ſit a Spiritu diuino intẽtus, quod eſt falſum: & idem de multis alijs locis diceres, [1. Pet. 3.] quæ ſpiritualiter ab ipſiſmet ſacris ſcriptoribus exponuntur. Secundum dictum: Neque videtur [Greg. lib. 3. mor.] ſufficiens illa explicatio, qua dicitur, ſenſum literalem eſſe eum, ſecundum quem aliqua hiſtoria ad literam recitatur. Quoniam ſola hiſtoria contineret literalem ſenſum: & ita integri libri, in quibus nulla narratur hiſtoria, literalem ſenſum non haberent. Tertium dictum: Non [Prol. in Biblia.] bene ſenſiſſe videtur Lyranus, qui dixit ſenſum literalem eſſe eum, quem voces immediate ſignificant ſecundum propriam ſignificationem, ſiue ſit ab auctore intentus, ſiue non. Nam ex hac explicatione ſequeretur, ex hac ſentẽtia, Ego [Ioan. 15.] ſum vitis, quod Chriſtus eſſet vere, & proprie vitis: niſi quis dicat huius loci nullum eſſe literalem ſenſum, quod eſt falſum. Quare, non eſt neceſſe ad ſenſum literalem conſtituendum, vt ſemper verba in propria ſignificatione ſumãtur: alias innumera pene loca diuinæ ſcripturæ peſſime intelligerentur, vel nullum haberent literalem

lem

lem ſenſum, ſed tantum ſpiritualem; cum tamē ſpiritualis non poſſit eſſe ſine literali, qui eſt eius baſis, ac fundamentum. Valeat igitur hac in parte Lyranus. Quartum dictum: Non bene ſentiunt, qui dicunt ſenſum literalem eſſe eum, qui eſt intentus a proximo auctore, ſiue dicente, ſiue ſcribente: immo addunt iſti, non eſſe opus vt ſit intentus a primo auctore, ſiue a Spiritu ſancto, modo ſit intentus ab immediato auctore; vt in his locis patet: Eritis ſicuti Dij ſcientes bonū & malum: Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear: In Belzebub principe dæmoniorum, eijcit dæmonia. Nec enim primus ſcripturæ auctor, id eſt, Deus ipſe intendebat, ſenſus his in locis expreſſos. Quare, literalis ſenſus is erit, quem immediatus auctor ſcribendo, aut pronuntiando intendit. Quod hæc explicatio non ſit bona, patet ex Auguſtino dicente, ſenſum ſcripturæ poſſe aliquando eſſe intentum a Spiritu ſancto, & non a ſcriptore, vel immediato auctore: Vt cum apud Iſaiam dicitur: Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: Et apud Ioannem Caiphas dixit: Expedit vt vnus moriatur pro populo: quibus verbis pronuntiauit ſenſum quendam, vt ex ipſo Ioanne patet, quem ſolus Spiritus ſanctus intendebat. Quinctum dictum: Literalis ſenſus poteſt hoc modo deſcribi. Qui verus, & Spiritui ſancto congruēs ſecundum literæ, vel proprietatem, vel tranſlationem primo erui poteſt, antecedentibus & cōſequentibus

Dried. l. 2 de eccleſ. dog. c. 2.

Gen. 3. & 4.
Luc. 11.

L. 12. cōf. c. 12.
Cap. 38.
Ioan. 11.

Iul. Rog. opuſc. de ſenſ. ſcrip. c. 5.



ſequentibus verbis conſentaneus. Vel hoc modo: ſenſus literalis eſt ſenſus verus, qui ex verborum propria, vel tranſlata ſignificatione, ex intentione Spiritus ſancti conſurgit, quem ſcilicet intellectus prudentis viri, prudenter, & immediate concipit vocibus apprehenſis. In hac deſcriptione diſtinguitur ſenſus literalis a ſpirituali, cum dicitur, oriri ex verborum ſignificatione; quia ſpiritualis immediate per res ipſas ſignificatur, non autem per voces. Sextum dictum: Senſus literalis ſemper eſt verus, & nunquam falſus, cui non licet ſalua fide, contradicere, cum ſit intentus a Spiritu ſancto. Vnde in locis, in quibus eſt locutio metaphorica, ſi ſenſus literalis verus percipiatur, nulla continetur falſitas, vel abſurda ſententia. Vt cum dicitur, Ex vtero ante luciferum genui te, id eſt, ex ipſa eſſentia diuina Pater ab æterno genuit Filium. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, id eſt, ſi quæuis res cara, & quæ maxime diligitur, tibi errandi occaſionem prębet, eam reijce. Ex his quæ dicta ſunt, colligere primum licet, ſenſum literalē reperiri in quouis ſacræ ſcripturæ loco: cum vbique verba aliquam veram & primam ſignificationem habeant. Deinde, ſenſum literalem eſſe duplicem; alterum qui ex propria, alterum, qui ex tranſlata verborum ſignificatione colligitur. Poſtea, non eſſe neceſſarium, vt in definitione huius ſenſus addantur illa verba, quæ a nonnullis adduntur, intentus

Lege D. Tho. lect. 7. in epiſt. ad Gal.

Pſal. 109.

Mat. 5.
Mar. 4.

Burgen. in prolo. Bibliorū.

ab auctore ſcripturæ. Poſtremo colligitur errare eos, qui dicunt, ſenſum literalem eum eſſe, quem auctor minus principalis, ſcriptor nimirum ipſe, intendit: vnde inferunt, illa verba, Os eius non confringetis dicta a Moyſe, facere ſenſum literalem in vno loco, de agno paſchali: prolata a Ioanne in alio loco, facere ſenſum literalem de Chriſto. Quoniam, ſi ſolus Deus feciſſet ſcripturas, adhuc ibi eſſet duplex ſenſus, alter literalis intentus per verba, alter ſpiritualis intentus per res ipſas: & per accidens eſt, quod Deus ſcripturas per alios exarauerit. Quare, ex hac parte, non poteſt ſumi differentia intrinſeca inter hos duos ſenſus. Adde etiam, quod ipſi ſcriptores intendebant etiam ſpirituales ſenſus, vt Moyſes per agnum, & per ſerpentem, Chriſtum redemptorem.

### *Demonſtratur in vno eodemq; diuinæ ſcripturæ loco plures ſenſus literales contineri. Cap. XVII.*

EXPLICATA itaque ſenſus literalis ratione, nunc maior difficultas, quæ latius diſputari ſolet, ſeſe nobis obijcit, quam nos in pauca, nihil tamen quod ſit ſcitu dignum omittentes, conferemus. Quæritur itaque, an in eadem diuinæ ſcripturæ ſententia, & in ijſdem verbis plures deliteſcant ſpirituales ſenſus, vno verborum cortice obductos; an vero vnus tantum. Vt in his verbis,



verbis, In principio Deus creauit cœlum & terram: Quidam exiſtimarunt fieri non poſſe, vt eadem verba plures complectãtur ſenſus: quod ſi in duobus locis reperiantur, vt hæc verba, Os eius non confringetis, duos ſenſus literales diuerſos efficient. At vero communis doctorum ſententia contrarium affirmat. Eorum autem, qui communem ſequũtur opinionem, quidam dicunt, opoſitam ſententiam eſſe hęreticã: alij vero inter temerarias reijciunt. Antequam autem dicta ad propoſitam difficultatem reſpõdentia pono, illud adnotabo vnum locum plures habere ſenſus, nihil aliud eſſe, quam quod in eo plura ſignificentur, quæ non reducantur ad vnũ, & hoc ex intentione eius, qui ſcribit. Quare, ea tãtum propoſitio plures poteſt habere ſenſus, cuius vnus, vel alter terminus fuerit ęquiuocus, vel analogus, aut communis, qui ob ſuam amplitudinem, latamq; ſignificationem varijs rebus poſſit accõmodari, vt iſta vox Principium, apud Latinos, & bereſcit, apud Hebræos, & arche, apud Græcos. Hac admonitione poſita, his dictis propoſitæ dubitationi ſatisfacio. Primum dictum: Non eſt impoſſibile, vt vna ſententia plures ſenſus literales contineat. Quoniam, ſi quis vtatur verbis communibus, quæ pluribus aptari poſſunt, plures ſenſus poterit exprimere: quod ipſis etiã humanis ſcriptoribus interdum accidere arbitror; vt vna propoſitione, plura intelligi velint: idque mihi non ſemel accidiſſe

Gen. 2.
Nume 9.
Ioan. 19.

memini. Et vt rem exemplo illuſtremus, ſi quis Logicam definiendo diceret, eſſe ſcientiam rationis, ſiue rationalem, & per hanc particulam, eius obiectum, ſcilicet ens rationis, & ſubiectũ, in quo reperitur, ſcilicet rationẽ ipſam, ac etiam formam, ſiue officium, quod ſit ſcientia, quæ ratiocinandi modum docet, vellet exprimere; hac vna ſententia plures ſenſus exponeret. Secundũ dictum: In vna & eadem diuinæ ſcripturæ ſententia, ſunt plures ſenſus literales. Hoc dictum his rationibus confirmantur. Primum, quia multa reperiuntur loca, quæ ſecundum diuerſos ſenſus explicantur; & ex multis vnum, vel alterũ afferemus. Geneſis primo, In principio Deus creauit cœlum & terram, &c. illud, In principio, exponitur, in Filio, id eſt, per Filium, per quem Deus fecit omnia: quo modo nonnulli patres & paraphraſis chaldaica exponunt: exponitur etiã, in initio temporis, antequam aliquid fieret. Et concilium Lateranenſe, iuxta duos literales huius loci ſenſus, duas confirmauit veritates, quod mundus non fuerit ab æterno, & quod nihil ante mundi molitionem fuerit productum. Illud pſalmi octaui, Minuiſti eum paullo minus, &c. de homine, ad literam, intelligitur: & in eodem ſenſu de Chriſto expoſuit Paulus. Similiter, illud, pſalmi ſecundi, Filius meus es tu, exponitur de generatione æterna a ſanctis patribus, & Paulus de Chriſti reſurrectione explicauit. Item, illud Iſaiæ, Generationem eius quis enarrabit? exponi-

Cap. Fir. de ſum. Trin.

Act. 13.

Cap. 53.



exponitur, tum de generatione ęterna Filij, tum de temporali: & ſalua ſemper patrum expoſitione, poſſes etiam fortaſſe exponere de improbis Iudæorum conſilijs, & moribus, ac de nefaria perſecutione contra Chriſtum: quorum Iudæorum generatio, id eſt, mores & peruerſa viuendi ratio eiuſmodi fuit, vt nullis verbis explicari poſſet. Nec fortaſſe male ad literam exponeres de ſpirituali generatione Chriſti, qui morte ſua, de qua ibi agitur, maximam ſpiritualium filiorum copiam procreauit. Item illud, Pater maior me eſt, alij exponunt, ſecundum humanitatem: alij etiam ſecundum diuinitatem, quatenus Pater eſt maior Filio dantis auctoritate: Item, illud, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, varie a Sanctis patribus literaliter explicatur. Atque hæc loca ad hoc dictum cõfirmandum attuliſſe ſufficiat. Deinde, probatur hæc doctrina ex communi ſcriptorum ſententia: ita varijs in locis ſenſit Auguſtinus, quẽ poſteriores ſcriptores libenter ſequuntur: vt diuus Thomas, non ſolum in hoc loco, ſed etiam in quęſtione quarta de potentia articulo primo, & quincto. Ioannes Driedo, Abulenſis, Lyranus, Burgenſis in additionibus ad Lyranum, Dominus Caietanus, Melchior Cano, Dominicus Bãnes, Franciſcus Zumel, & alij. Poſtea, idem confirmatur ratione. Varij ſcriptores eundem locum, ſalua veritate, prudenter, ſecundum primam verborum ſignificationem exponunt, &

Ioan. 4.

Mat. 16.

L. 12. cõf. c. 20.

Lib. 3. de doc. c. 27.

Lib. 1. ſuper gẽ. ad lit. c. 19.

 omnes

omnes expoſitiones quadrant: igitur ibi erunt plures literales ſenſus. Quod ſane congruũ fuit primo ſcripturarũ auctori, qui vim habet infinitam, vt ſcilicet ſcriptura a ſe tradita eſſet fœcundiſſima. Ad hæc, tranſlatio ſeptuaginta interpretum eſt ab Eccleſia approbata, ſicuti illa diui Hieronymi: ſed hæ interdum ſenſus inter ſe diuerſos eiuſdem loci afferunt; igitur vnus locus plures habet ſenſus. Et, vt quod docemus vno illuſtremus exemplo, illud pſalmi ſexageſimiſeptimi, quod apud ſeptuaginta ita habet, Rex virtutum dilecti. ὁ βασιλεὺς τῶν δυνάμεων τοῦ ἀγαπητοῦ, ſpeciei domus diuidere ſpolia, Hieronymus ita vertit, Reges potentes confœderati ſunt. Huc
Eiph. hæreſ.59. facit, quod aliquando ſcripſit Epiphanius, hunc verſiculum pſalmi centeſiminoni, Ex vtero ante luciferum genui te, quinq; diuerſis modis fuiſſe a diuerſis tranſlatum. Ne igitur patrum expoſitiones, & interpretũ verſiones in dubium reuocare liceat, fatendum eſt, plures eſſe vnius loci literales ſenſus: quam veritatem alibi pluribus confirmabo. Tertium dictum: Contraria ſententia non eſt tanquam hæretica damnanda; vt
Abulen. Abulenſis facit. Quoniam, hic non habemus conſenſum communem patrum quorum multi, & ſi concedant plures eſſe in vno loco ſenſus, tamen non loquuntur ſpeciatim de literali, ſed de ſenſibus in communi. Adde etiam, quod poſſet aliquis dicere, ſed mea quidem ſententia, non multum probabiliter, non omnes illas varias

rias



rias expoſitiones citatorum locorum eſſe literales, ſed vnam tantum. Quartum dictum: Contraria opinio, cenſenda eſt erronea, vel ſaltem omnino temeraria. Patet hoc dictum ex rationibus allatis, & ex communiore ſcriptorum ſententia, quę contrarium, ſaltem tanquam temerarium, damnat. Quinctum dictum: Non placet, quod aliqui dicunt, pauca eſſe loca de quibus nobis conſtet plures ſenſus literales habere. Nam, ſi iſti verſati eſſet in lectione ſanctorum patrum, vidiſſent profecto multos, multa loca, iuxta literam, diuerſa ratione exponere.

### *Afferuntur aliquot regulæ vtiles ad inueniendos ſenſus literales.* *Cap. XVIII.*

VT qua ratione literales ſenſus in diuinis oraculis inueſtigare liceat, facile aperiamus, nonnullas breues ad id faciendum præſcribemus regulas. Prima ergo regula, in ſenſuum inueſtigatione, nõ ſcribentis hominis voluntas, ſed Spiritus ſancti mouentis intentio ſpectanda eſt. Quoniam, primus ſcripturæ ſacræ auctor eſt Deus, cuius mens a ſcribentis intentione, ſæpe diuerſa eſt: quare, primi auctoris ſcopus ſpectandus erit. Quod ſi dicas, cum primus & ſecundus auctor diuerſas res ſpectãt, ibi nos duos ſenſus literalis agnoſcere debere; id non eſt verum: quoniam ex parte ſcribentis, vel dicentis interdum ſenſus poteſt eſſe falſus: Vt cum pro-

Sſ 4 pheta

Iſa.38. pheta dixit, Diſpone domui tuæ, quia morieris, quod non ſucceſſit, ſic etiam illud de ſummerſione Niniue. Et illa ſententia a Caipha prolata, Expedit vt vnus moriatur pro populo, vbi ex propria intentione dicentis, falſus continetur ſenſus. Quare, cum ſcriptores ſacri ſint veluti Dei ſcribæ, & legati, primi ſcriptoris & mittentis ſententia ſpectanda eſt. Ex quibus colligeres, quod cum diuinus ſpiritus non poſſit errare, nullum falſum ſenſum poſſe pro germano haberi. Secunda regula, cum Chriſti apoſtoli, & diſcipuli non ſolum ſcripturas, ſed etiam ſcripturarũ ſenſum, vel ab ipſo Chriſto, vel a Spiritu ſancto, acceperint, in ſenſibus inueſtigandis adhibenda eſt hæc regula, vt videamus, quomodo per Eccleſiæ traditionẽ diuinæ ſcripturæ explicandæ ſint. Hãc tutiſſimam regulam multi antiqui ſcriptores nobis tradunt: ac propterea diligenter animaduertenda eſt. Huiuſmodi autem ſenſus bona ex parte primi illi patres, qui diuinas literas explicarunt, in ſuis monumentis poſteris tradiderunt. Ad huius regulæ declarationem diligenter animaduertendum eſt, olim in prima Eccleſia perfectos illos Chriſtianos habuiſſe dona gratis data, & maxime donũ interpretandi ſcripturas; quo factum eſt, vt Eccleſia veram & germanam diuinarum literarum intelligentiam ab eis potuerit accipere. Tertia regula, ſenſus literalis colligendus eſt ex ijs ſcripturæ locis, in quibus ipſi diuini ſcriptores, aliquid expoſuerunt:

Ioan. 4. Ioan. 16. Pſal.44. Diony. de cœl. hier. c. 1. Hilar. in pſal. 2. Clem. li. 10. recog. Iren. li. 4. c. 63.

&



& ita ex nouo teſtamento, multa intelliguntur, quæ ſunt ſcripta in veteri: vt illud, Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem: quod Petrus expoſuit de Chriſto a morte excitato. Acts.13. Quarta regula, eſt communis conſenſus patrum in aliquo loco explicando: vt ille ſenſus ſit cenſendus literalis, quem patres approbant: quam regulam pluribus libro quarto, capite decimooctauo confirmauimus. Quincta regula, obſeruandum eſt, an aliquis locus expoſitus fuerit ex profeſſo ab aliquo Concilio, vel Pontifice Romano, ita vt ſtatuerint ita eſſe intelligendum, vt ab ipſis expoſitus fuit. Vt illud, Niſi manducaueritis Ioan. 6. carnem Filij hominis, &c. a Concilio Conſtantienſi: Gen. 1. & illud, Faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtram, de quo ita Synodus Syrmienſis ſtatuit, vt anathemate ſit feriendus, Can. 12. qui dixerit, his verbis, Patrem ad ſeipſum ſolũ, & non ad Filium locutum fuiſſe. Sexta regula, petenda eſt a lumine naturali, atque ab arte explicandarum ſcripturarum, & a diligentia ac ſtudio: vt diligenter aliquam ſententiam examinemus & perpendamus, vt inde ex antecedentibus & conſequentibus germanum ſenſum tandem eruamus. Septima regula, cum in vno loco ſunt plures ſenſus literales, quorum vnus ſemper eſt magis intentus, quam alius, vt eſt ille, quẽ primus ſcripturæ auctor intendit, is potiſſimum quærendus, ac inueſtigandus eſt: quod ſi illum, non aſſequamur, ſatis erit, ſi aliquem nacti fuerimus,

rimus, qui fidei & caritatis regulis nō repugnet, & antecedentibus, conſequentibuſque, & ſcopo po eius loci, quem explicamus ſit accommodatus. Et has regulas in præſentia attuliſſe volui, de quibus in libro noſtrarum inſtitutionum iam latiſſime ſcripſimus.

### *Soluuntur nonnullæ dubitationes circa ea, quæ dicta ſunt.* *Cap. XIX.*

ANTEQVAM ad ſenſus myſticos explicandos progrediamur, dubitationes quædam circa iam dicta, nobis enodandæ ſunt. Prima, ſi ſunt plures ſenſus literales in vno loco, quonam pacto poterimus defendere in diuinis ſcriptis non eſſe æquiuocationem, quæ ſolet eſſe deceptionis cauſſa, & in humanis doctrinis reprehen-
Ban. di ſolet? Aliqui non dubitant concedere æquiuocationem in ſacra pagina: quia, cum in ea voces diuerſas res repræſentent, profecto æquiuocationem pariunt: quæ æquiuocatio non tollitur ex eo, quod ex pluribus ſenſibus vnus ſit præcipuus, ad quem alij referantur: quoniam, ſaltem eſſet æquiuocatio analogica, ni velis dicere omnes expoſitiones cōuenire in vnico ſenſu formali; ſed tunc vnus eſſet ſenſus, & non plures. Neque diuus Thomas negauit eſſe æquiuocationem ibi, vbi ſunt plures ſenſus literales, ſed vbi eſt literalis cum myſtico; cum vnus per voces, alter per res ſignificetur. Neque iſta æqui-

uocatio



uocatio confuſionē & errorem parit; quia cum omnes ſenſus ſint boni, ex omnibus duci poterit argumentum, & omnes erunt veri. Alij vero, nolunt admittere æquiuocationem, dicuntque eſſe plures ſenſus copulatiue, non diſiunctiue. Quare, vt copulatiua propoſitio, licet plura ſignificet; tamen æquiuocationem non continet, ita neque diuinæ ſcripturæ ſententia, quæ plures complectitur ſenſus, cum omnes ſint a ſcriptore intenti, & non vnus tantum, alijs omnibus, quos poteſt habere, excluſis; quod fit in propoſitione diſiunctiua: vt ſi dicas, canis eſt animal: cuius vnus ſenſus verus, ex hac reſolutione colligitur, id eſt, vel canis cœleſtis, vel aquatilis, vel terreſtris eſt animal: ita vt non liceat de quocunque cane illam affirmare. Itaque, cum omnes ſenſus conuinctim ſint a ſcriptore intenti, nulla erit æquiuocatio, nulla amphibolia, nulla confuſio & omnes ſenſus probabunt aliquid, quod, vel ad fidei dogmata, vel ad mores pertineat. Secunda dubitatio; ſi in vno ſcripturę loco ſunt plures ſenſus literales, ex quibus potiſſimum veritates probantur, & errores refelluntur, quonam pacto poterimus conuincere hæreticum, qui, dum ex vno ſenſu argumētum contra ipſum ducis, ad alium ſenſum confugiet:
vt facere ſolent, cum ex illo loco, tu es Petrus & Mat.16.
ſuper hanc petram, & quæ ſequuntur, ſumitur ratio ad probandam Pontificis Romani poteſtatem, & in definiendo quæ ad fidem pertinent

certi-

certitudinẽ. Huic dubitationi hunc in modũ ſatisfacimus. Primũ, ex eo quod in vno loco ſunt plures ſenſus literales, maxima emanat vtilitas, quia pluribus ſenſibus, plures poſſumus cõfirmare veritates, & plures damnare errores. Deinde, ſi ex vno loco nõ ducitur neceſſariũ argumentum ad cõfutandum errorem ob ſenſuum varietatẽ, ſumetur ex alio, in quo nõ erũt plures literales, aut ſi erunt, non erunt noti. Poſtremo, ex hoc loco vbi ſunt plures literales ſumitur efficax argumentũ, ex cõmuniore meliorum ſcriptorũ expoſitione: vt ex illo loco, Tu es Petrus, & ſuper hãc petram, hoc eſt ſuper te Petrum & cõſequenter ſuper tuos ſucceſſores, quo pacto cõmuniter exponitur: & cum hũc verum ſenſum aduerſarius negare non poſſit, cõuincetur. Tertia dubitatio: cũ in vno & eodẽ loco ſint plures ſenſus literales, peteret nũc aliquis, an in ſingulis locis plures huius generis occulantur ſenſus: & eſto, quod non ſint vbiq; plures literales, dubitari poteſt, an ſint plures ſimpliciter, ita vt vbi eſt vnus literalis, lateat aliquis alius ſenſus ſpiritualis, ac proinde
Iul. Rog. vbiq; ſint plures. Quidã exiſtimarũt in ſingulis etiã tenuiſſimis ſcripturę particulis, plures latere ſenſus, ita vt id diuinæ ſcripturæ ſit propriũ, atq; innatum: quare ex iſtorum ſententia nullum eſt in ſcripturis dictum, factumve tam nudum, & ſimplex, quod præter ſimplicem intelligentiam
Epiſt. ad Tit. aliquam vtilitatem nobis non afferat: iuxta illud Dionyſij Areopagitæ, Non enim hiſtoriam nudam,



nudam, ſed vitalem perfectionem continet, omnis & vbique ratio. Alij vero contra exiſtimãt, eſſe in ſcriptura aliquot enunciationes, quibus plures ſenſus, etiam ſi vniuerſe loquamur, non ſubijciuntur: quorum ſententiam nos libenter amplectimur: quoniam, re vera, nonnullæ inueniuntur ſententiæ, quibus plures ſenſus, etiam ſi de ſpirituali loquamur, nulla ratione accommodari poſſe videntur. Quod ſi dicas, eſto nos non poſſe plures ſenſus aliquo in loco inuenire: tamen diuinum Spiritum, qui nulla certa intelligentia cõtinetur, id poſſe; dicerem, hoc neceſſarium non eſſe: quamuis verum ſit, plurimas in plurimis locis deliteſcere ſententias, quos diuinus Spiritus videt, quæ noſtram intelligentiam fugiunt. Quarta dubitatio: an verba, quæ vno in loco habebant ſenſum ſpiritualem, alibi citata, faciant ſenſum literalem, an vero eundem ſenſum retineant. Vt exempli gratia, hęc verba: Os eius non comminuetis, citata apud Ioannẽ. Num. 9.
Huic dubitationi, de qua alias plura ſcribam, Ioan. 19.
nunc breuiter ſatisfacio. Exiſtimo itaque uerba in alium locum tranſlata, facere ſenſum literalem: quoniam, cum non poſſint intelligi ſpiritualiter, ut manifeſtum eſt, neque enim iſta uerba, Os eius, &c. apud Ioannem de agno intelligi poſſunt; ſequitur ut intelligantur literaliter de Chriſto. Quare, licet habeant uim teſtimonij prout ex alio loco citantur: tamen, ut hic ponuntur, non retinent ſenſum, quem alibi habebant.

Quid

*Quid ſit ſenſus ſpiritualis, & quotuplex.*
*Cap. XX.*

DIXIMVS de literali ſenſu, ea quæ inſtitutionis ratio expoſcere videbatur, plura fauente Deo alibi dicturi: ſequitur nunc, vt aliqua magis neceſſaria cognitu, de ſpirituali dicamus. Antequam autem dicta afferamus, quædam notanda nobis præmittenda ſunt. Primũ, omnis ſenſus, præter literalem, dicitur ſpiritualis, ob hanc cauſſam, quia non ita apparet, nec ſub aſpectum cadit, ſicuti quodammodo ſenſus literalis; quaſi ſenſus ſpiritualis ſit inuiſibilis; ſicuti eſt ſpiritus: vel etiam, quia potiſſimum ipſum hominis ſpiritum inſtruit, & ædificat. D.Thom. quolib.7. c. 14. Deinde, notandum eſt, diuinis literis hoc eſſe peculiare, vt in eis non ſolum verba, ſed etiam res ipſæ ſignificent: & ita, veritas, in ſacro codice, & verbis, & rebus manifeſtatur: & vt verba literalem ſenſum continent, ita res ſpiritualem. Quo fit, vt eo ſolum in loco ſit ſenſus ſpiritualis, Exod.14. vbi res geſta aliquid ſignificat. Vt tranſitus maris rubri, baptiſmum: Num.9. agni paſchalis comeſtio, ſacramenti Euchariſtiæ ſumptionem, & ſic 1.Cor.10. de alijs. Et ideo Paulus aiebat, ea quæ in antiqua lege fiebant, in figura contigiſſe, quod res ibi geſtæ, aliquid futurum deſignarent. Et hæc eſt vna ex præcipuis differentijs inter hos duos ſenſus, vt vnus ex vocibus, alter ex rebus naſcatur.



Hinc eſt, vt ſi quid verbis explicetur, quod vel ad mores, vel ad ſtatum Eccleſiæ triumphantis, vel ad aliam vitam, pertineat, id non dicatur in ſenſu ſpirituali, cum talis ſenſus, nõ ex rebus, ſed ex ipſis oriatur vocibus, ſed potius in literali. Poſtremo notandum eſt, hanc vocem, allegoria, a Græcis mutuo acceptam, compoſitam eſſe, ab allon, id eſt, aliud, vel alienum, & logos, id eſt, ſermo, vel legin, id eſt, dicere, & idem ſonare, ac ſi latine diceres, diuerſiloquium, vel alieniloquium, cum ſit tropus quidam, quo perpetua metaphora, aliud dicitur, aliud ſignificatur: ſic enim deſcribi ſolet: quo loquendi genere, plena eſt ſcriptura. Hanc, Latini, inuerſionem vocant. At vero a ſacris ſcriptoribus hæc vox ſæpe vſurpatur ad deſignandum eum ſcripturæ ſenſum, qui ex rerum ſignificatione naſcitur: & vſu iam obtinuit, vt eum deſignet, qui ad ſtatum Eccleſiæ militantis pertinet. Vnde, quando allegoria conſiſtit in verbis, eſt tropus quidam, & ad ſenſum literalem pertinet: vt cum dicitur, Et videte regiones, quia iã albæ ſunt ad meſſem, Ioan.4. hoc eſt, tempus inſtat promulgandi Euangeliũ, cum animi ad illud recipiendum ſint parati. At vero cum eſt in rebus ſignificantibus, vnum ex ſenſibus ſpiritualibus ſignificat. Huc pertinet illud Pauli: Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in 1.Cor.10. Moyſe baptizati ſunt, & quæ ſequuntur. Vox anagogia, quæ etiam græca eſt, componitur ex, ana,

ana, id eſt, ſurſum, & goge, id eſt, ductio, quaſi ſurſum ductio: qua uoce ſignificatur is ſpiritualis ſenſus, qui nos ad ea, quæ in patria, ſeu in Ecclesia triumphanti futura ſunt, cogitanda traducit. Quare, cum res quæ in ſcriptura narrantur aliquid ſignificant, quod ad futuram uitam referatur, ſenſum anagogicum procreabunt. His ita notatis, ſtatuo hæc dicta. Primum dictum 1: Senſus ſpiritualis eſt ille, quem res ſignificatæ per uoces, ſignificant: uel is, quem litera & res geſta occultant. Hæc deſcriptio nulla probatione, aut explicatione eget. Secundum dictum: Ad ſenſum ſpiritualem efficiendum, requiritur ut res ſignificantes ſint uere geſtæ: & ut ſint ex propria inſtitutione ad ſignificandum factæ, ſiue aſſumptæ: ut eductio aquæ ex petra: tranſitus maris rubri: exitus ex Ægypto, & aliæ ſimiles: & ut ſignificent aliquid, quod ad Chriſtum, uel ad eius membra in una, uel altera Ecclesia pertineat. In hoc dicto explicantur conditiones, quas debent habere eæ res, quibus ſenſus ſpirituales deſignãtur. Ex qua doctrina hæc inferre licet. Primum, arietem illum, quem Daniel uidit, qui bellum Medorum, & Græcorum ſignificabat, non demonſtraſſe aliquem ſenſum ſpiritualem, ſed ſolum literalem: ſimiliter excisus lapis ab eodem Daniele uiſus, literalem ſenſum indicabat: idem dicas de ſignificatione apologi, qui libro Iudicum narratur, quod ligna iuerint, vt ungerent ſuper ſe regem.

D.Thom. quolib.7. ar. 15. ad 1.
Cap.8.
Cap.2.
Gen. 41.
Iudic.9.

Colligitur deinde regula animaduertenda in inueſtigatione ſpiritualium ſenſuum, qua cognoſcitur, vbi quærendi ſint: quæ eſt; cum voces ſignificant res geſtas, & hæ nihil aliud deſignant, ſimiliter cum voces nõ ſignificant res geſtas, vel res geſtæ non ſignificant alias, aut ſi ſignificant, non ſignificant res ſpirituales, ibi nullus eſt quærendus ſpiritualis ſenſus: cum vero voces res geſtas ſignificant, & hæ ex inſtitutione, vel diuini ſpiritus intentione pariter ſignificant ea, quæ ad ſpiritualia pertinent, ibi ſenſus ſpiritualis latet. Colligitur poſtremo quantum errent ij, qui rebus profanis res ſpirituales ſignificari volunt; eaſque rebus ſpiritualibus accommodare contendunt: cum ſolius Spiritus ſancti ſit aſſumere, ſeu conſtituere ſigna ad ſpiritualia ſignificanda: quam ſtultam, ne dicam impiam conſuetudinem, alio loco pluribus confutabo. Tertium dictum: Senſus ſpirituales ſunt tres; allegoricus, anagogicus, moralis. Sunt qui dicant hanc doctrinam eſſe fide tenendam: quod ita accipiendum eſſe arbitror, nimirum hos tres ſenſus in diuinis literis reperiri, & id certiſſimum eſt, cum omnes diuus Paulus, vt ſtatim dicam, expreſſerit: non autem, quod duas, vel tres ſpecies ſenſuum ſpiritualium ſtatuere neceſſario debeamus; cum ex patribus, alij tres ſenſus vniuerſe ponant, vt ſupra diximus, alij quattuor: illi duos ſpirituales ſenſus, hi tres videntur agnoſcere. Quod autem illi tres ſenſus ſpirituales in ſcri-

pturis reperiantur, patet primum ex Apoſtolo, qui eos nobis expreſſit. Moralem, ſeu allegoricum, vt alij volunt: cum ex illo, Non alligabis os boui trituranti, intulit ſubminiſtranda eſſe apoſtolis ea, quæ ſunt ad vitæ vſum, neceſſaria:
1.Cor.9. & alio loco, cum dixiſſet Iudęos ob concupiſcētiam proſtratos fuiſſe in deſerto, addidit in ſen-
1.Cor.10. ſu morali, Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes, &c. Allegoricum,
Gal.4. cum agens de duobus filijs Abrahæ, vnum ex ancilla, alterum ex libera natum, dixit ſignificare duo teſtamenta: Anagogicum cum ibidem dixit, Ieruſalem ſignificare Eccleſiam triumphā-
Heb.22. tem: & apertius, cum ſcripſit, Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſa-
Hierony. qō.12. ad Hedib. Origin.4. per iar. c. 2. Aug. lib. 5. de trin. c. 9. lem cœleſtem. Confirmatur hæc doctrina ex communi ſanctorum patrum ſententia, qui varijs in locis hos ſenſus in ſacris literis indagant: licet non conueniant in aſſignando ſpecierum numero, nec in appellationibus. Itaque ſolum de fide tenendum eſt ſenſus ſpirituales eſſe plures; & eos omnes, quos diximus in ſcripturis diuinis reperiri: quod vero ad duas, vel tres ſpecies reuocentur, non arbitror fide teneri. Quartum dictum: ſi dicas ſpirituales ſenſus eſſe tres, huius numeri ratio, ſic aſſignari poteſt. Scriptu-
D.Thom. quodlib. 7. ar.15. ra diuina manifeſtat veritatem per verba, & res: vnde duplex ſenſus, ſcilicet literalis, & ſpiritualis; ille per verba, hic per res exprimitur: quæ res, vel ordinantur ad credendum, vel ad bene

agen-



agendum: ſi ad agendum oritur ſenſus moralis: ſi ad credendum diſtinguendum eſt ſecundum ordinem credibilium: & quia ſtatus Eccleſiæ, vt ſcribit Dionyſius, medius eſt inter ſtatum antiquæ legis, & ſtatū futuræ gloriæ, ideo, Ca.4.cęl. hier.
quæ in ueteri lege ſignificabant ſtatum nouæ legis, ad ſenſum allegoricum referuntur: quæ uero in utraque lege ſignificant ſtatum futurum, ad anagogicum pertinent. Omnes quattuor diuinæ ſcripturæ ſenſus hoc diſticho continentur, & explicantur.

*Litera geſta docet, quod credas allegoria:*
*Moralis, quid agas, quo tendas anagogia.*

Quare ſpirituales ſenſus has ſecū utilitates afferunt. Allegoricus, quia ueritatem per figuram oſtendit, fidem conſolidat: tropologicus, quia mores docet, caritatem nutrit: anagogicus uero, quia, quæ ſunt in æterna uita præmonſtrat, ſpem corroborat. Bonauen. Opuſ. de reduct. artium ad Theolog.
Quinctum dictum: In uno ſcripturę loco ſunt plures ſenſus ſpirituales. Hoc dictum eſt manifeſtum ex eo, quod non ſolum diuerſi ſcriptores, ſed etiam ijdem ex eodem loco plures huius generis ſenſus eruunt. Ita fecit Ambroſius, ut unū e multis afferamus teſtimonium, qui tractans illud Euangelij, Quinque in Luc.12.
una domo diuiſi, tres in duos, & duo in tres diuidentur, uarios ſenſus ſpirituales huius loci attulit. Cuius rei, eandem doctrinam approbādo, aliquando mētionem fecit Auguſtinus. Sex- L.2.cont. Iulian.
tum dictum: In eodem loco poſſunt eſſe plures

Tt 2 ſenſus

ſenſus ſpirituales eiuſdem generis, exempli gratia plures tropologici, ſeu morales. Hoc dictum ex eo patet, quod expoſitores in uno eodemq; loco plures ſenſus, exempli gratia morales, inueniunt, ut facile quiſque eos legendo obſeruare poteſt. Septimum dictum: Plura ſunt loca, in quibus ſunt plures ſenſus ſpirituales, quam loca, in quibus plures literales. Tum quia res per quas ſpirituales ſenſus deſignantur, ſunt minus determinatæ ad ſignificãdum, quam uerba, quibus continentur literales ſenſus: tum etiã quod ſenſuum ſpiritualiũ ſpecies plures ſunt, & ideo facilius uno in loco multiplicari poſſunt.

*Traduntur regulæ ad inueſtigandos ſpirituales ſenſus, & dubitationes quædam ſoluuntur.*
*Cap. XXI.*

QVAMVIS ad ſenſus myſticos inueſtigandos maior quædam diuinarum ſcripturarum ſtudioſis facultas detur: tamen, cum in ijs quoque afferendis, & ſancti Patres, & ſacra Cõcilia modum quendam tenendum eſſe moneãt, (Concil. Colon.) propterea non erit inutile, ſi aliquot regulas, ex multis quę afferri poſſent, magis neceſſarias hoc loco, in horum ſenſuum inueſtigatione ſeruandas, trademus. Prima regula, qui uult ſenſum myſticum inuenire, prius inueniat literalem, qui, ut ſupra diximus, eſt ſenſus ſpiritualis baſis, ac fundamentum. Vt igitur fruſtra laboraret, qui



qui parietes vellet exædificare nullis iactis fundamentis; ita in vanum deſudat, qui ignorato literali, myſticum inquirit ſenſum. Prius ſe offert ianua, quam adytus: prius cortex, quam medulla: prius corpus, quam anima. Secunda, licet vbique ſint ſenſus literales: non tamen vbiq; ſunt ſpirituales; ac proinde, vt Auguſtinus, & Hieronymus monent, non ſunt vbique quærendi: ni quis ineptus, faſtidioſus, & ridiculus haberi vult, vt quidam, iure optimo habentur, dum hac in re nimia libertate vtuntur. Tertia regula, quam perpetuo ſeruandam eſſe cenſerem, vt raro ex propria inuẽtione nouos ſenſus ſpirituales in lucem proferamus: quoniã ad ſenſus hoſce prudenter & vtiliter excogitandos, non vulgari doctrina & ſpiritu opus eſt. Quæ præſertim regula ſeruanda eſt ab ijs, qui populum docent: qui tunc aptius ad docendum & perſuadendum dicent, cum ſenſus myſtici, quos afferunt, alicuius antiqui doctoris erunt auctoritate muniti. Hanc ſaluberrimam admonitionem, Concilium quoddam Colonienſe animarũ curatoribus, ſapienter tradidit. (Conc. Colon.) Hanc nos in libro noſtro de Interiore homine, vbi allegorice ex patrum monumentis hunc hominem, per ea, quæ ſunt in homine exteriore expoſuimus, ſecuti ſumus: vbi nullum fere ſenſum ex noſtro ſenſu attulimus. Quarta regula, ſi volumus aliquem ſpiritualem ſenſum de nouo inuenire, curãdum eſt, vt quadret cum litera, a qua non debet eſſe

 diffor-

difformis; ita vt ſemper quædam congruentia ac decentia appareat: quod non faciunt, qui ſenſus plane remotos & diſſentaneos excogitant. Propterea prudenter illud monebat Chryſoſtomus: φεῦγε βεβιασμένας ἀλληγορίας, id eſt, fuge coactas, ſiue violentas allegorias. Atque de his regulis nunc ſatis, cum longe plures, in noſtro de arte interpretandi ſacras ſcripturas opere, allaturi ſimus. Nunc dubitatiunculas quaſdam explicabimus. Prima dubitatio, ſint ne in nouo teſtamento omnes ſenſus ſpirituales, vt ſunt in veteri? Abulenſis in caput decimumtertium Matthæi exiſtimauit in noua lege non eſſe ſenſus allegoricos, cum hi ſenſus referantur ad ea, quæ Eccleſiam militantem, & Chriſtum ſignificant. Et quia nouum teſtamentum ipſam Eccleſiam & Eccleſiæ caput Chriſtum continet, non poterit huiuſmodi ſenſus admittere. Alij vero contra ſentiunt, quorum ſententia, proculdubio, tanquam verior, retinenda eſt. Vt autem huic dubitationi ſatisfaciamus animaduertendum eſt, Chriſtum fuiſſe angularem lapidem, qui vtrunque teſtamentum coniunxit; & ita, dum ſuis geſtis legem adimplebat, etiam ædificabat Eccle-
1.Pet.2. ſiam: & multa geſſit, vt Eccleſiam inſtrueret, vt paſſim Sancti Patres docent. Quo fit, vt eius facta, & allegorice, & anagogice explicari queāt. Nunc ad propoſitam dubitationem reſpondentes, dicimus in noua lege eſſe omnes ſenſus ſpirituales, ac ſpeciatim ſenſum allegoricum.





Primum hoc expreſſe ipſe Dominus docuit, cū
Petro dixit: Quod ego facio, tu neſcis modo: Ioan.13.
ſcies autem poſtea: quibus verbis expreſſe docuit, illo facto, aliquid allegorice ſignificari. Deinde, auctoritate ſanctorum expoſitorum, qui paſſim multa loca allegorice exponunt, & ſpeciatim hiſtoriam de ingreſſu Domini in Ieruſalem. Secunda dubitatio, an omnia quæ facta ſunt in antiqua lege poſſint in aliquo ſenſu my-
ſtico explicari? quod ſignificaſſe videtur Apo- 1.Cor.10.
ſtolus, cum omnia in figura illis contigiſſe, dixit.
Quidam, hanc Pauli ſententiam ſimpliciter ac- Iul. Rog.
cipientes, dicunt omnia quæ in veteri lege geſta fuere, aliquid ſignificare, ac proinde omnia ali-
quam myſticam intelligentiam continere. Alij Lib.16.de
vero, Auguſtini ſententiam ſequentes, putant, nō ciu. c.2.
omnibus rebus in illa lege geſtis, aliquid deſignari; ita vt non ſit quærendus ſpiritualis ſenſus in omnibus, quæ ibi contigerunt: quorum ſententia videtur probabilior. Nec Pauli locus contrarium demōſtrat, ſi recte intelligatur; quoniam illud verbum, Omnia, refertur ad ea, quæ ibi Apoſtolus narrauerat. Recenſuerat enim duo Iudæorum facta, propter quæ a Deo puniti fuerant, quorum ſupplicia in figura contigerūt, ad exemplum noſtrum, ne Deum irritemus, & contra eum murmuremus. Neque ſimpliciter dicit, Omnia, ſed, Hæc omnia, ea ſcilicet omnia, quæ narrauerat. Tertia dubitatio, in vtra lege veteri, nimirum, & noua ſint plures ſpiri-

tuales ſenſus. Reſpondetur, plures eſſe in veteri, quam in noua. Quoniam lex ſcripta fuit tanquam vmbra legis gratiæ: ac proinde in illa eſt maxima copia ſenſuum moralium, & allegoricorum, quibus ſignificabatur Eccleſiæ ſtatus, ac eorum, qui in ea futuri erãt, vita, & mores. Huc
Pſal. 39. Hebr. 10. Ierem. 6. facit illud pſalmi, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; hoc eſt, ſacrificia & oblationes antiquæ legis, tanquam futurorum vmbras aliquando ceſſare voluiſti: nunc autem tempore legis gratiæ corpus, id eſt, veritatem poſt vmbras exiſtere voluiſti.

## *Vter ſenſus ſit præſtantior, literaliſne, an ſpiritualis.* Cap. XXII.

PVLCHRA ſane, & ſcitu digna proponitur hic dubitatio: in qua explicanda longam diſputationem habere poſſem: ſed cum non ſit ad locorum vſum omnino neceſſaria, breui rem totam, omiſſis opinionibus & augumentis, quæ in vtranque partem fiunt, quibuſdam prius notatis, dictis quibuſdam exponam. Notandum ergo primo eſt, nobilitatem alicuius ſcientiæ, ſiue intelligentię, ex Ariſtotele, ſumi potiſſimum
Lib. 1. de ani. c. 1. ex duobus, primum ex certitudine, vt illa ſit dignior, quæ eſt certior: deinde ex re cognita, ſiue ex obiecto: quibus adde, quod ad rem noſtram facit, poſſe horum ſenſuum dignitatem ſumi etiam ex intentione, quod vnus ſit magis a primo



mo ſcripturæ auctore intentus, quam alius. Iſta autem tria, ita ſe habẽt, vt intentio ſit veluti quędam forma, ad certitudinem, & materiam alicuius ſenſus: ac proinde ex ea, ſimpliciter loquendo, maior nobilitas ſumenda erit. Notandum deinde eſt, hos ſenſus dupliciter comparari poſſe: primo, vt ſenſus literalis vnius loci comparetur cum ſpirituali eiuſdem loci: &, ſi hoc modo comparatio fiat, non poteſt aſſignari certa regula, qua, qui ſit dignior, indicetur: ſecundo conferendo literalem vnius loci, cum ſpirituali alterius loci. Poſſunt etiam hi ſenſus bifariam conſiderari, primum ſecundum ſe, deinde ratione noſtri: item, eos conſiderare licet, vel in communi, vel in particulari. His poſitis diſtinctionibus, ſtatuo hæc dicta. Primum dictum: Hi duo ſenſus ex parte materiæ, vniuerſe loquẽdo, ſunt æque nobiles: quia vterque eſt de rebus diuinis: per res autem diuinas, non ſolum intelligo eas, quæ ad diuinitatem pertinent, ſed etiam, quæ ad Deum referuntur. Secundum dictum: Hi duo ſenſus, quod ad certitudinem attinet, ex ſe, ſunt ęque certi, & conſequẽter ſub hac ratione, eadem nobilitate gaudent: Quoniam ambo auctoritati innituntur diuinæ. Tertium dictum: Si conſideretur certitudo ex parte noſtra; literalis eſt certior & nobilior: ſiquidem magis apparet, veluti corpus, & cortex: & ex eo certiora ducimus argumenta: adde etiam, quod ſub hac conſideratione, certitudo ſpiritualis ſenſus,

ſus, a certitudine literalis pendet. Quartum dictum: Si conſiderentur particulariter ex parte materiæ, plerunque ſpiritualis eſt dignior, quam literalis. Nam quæ pertinent ad ſenſum ſpiritualem, ſi de allegorico ſenſu loquamur, ſunt res ad nouam legem, ſcilicet ad Christum, & ad Eccleſiam pertinentes, quæ nobiliores ſunt, quam quæ in veteri lege fiebant, quæ literali ſenſu ſignificabantur: ſi de anagogico ſermonem habeamus, multo verius eſt, quod dicimus: cum ea, quæ ad cœleſtem Ieruſalem pertinent, ſint longe digniora, quam, quæ referuntur ad eam Ieruſalem, quæ in terris eſt: ſi vero de tropologico, ſiue morali loqui velimus, adhuc noſtrum dictum verum eſſe videtur: quia, omnis ſcripturam ad animarum ſalutem tandem referenda eſt. Ex his colligere licet, hos tres ſpirituales ſenſus, hoc ordine, iuxta ipſorum nobilitatis gradum, collocandos eſſe: Vt primus locus anagogico, ſecundus allegorico, tertius tropologico tribuendus ſit. Dixi autem, plerunque, quia interdum res ſignificata per literalem, poteſt eſſe longe dignior. Vt exempli gratia, Chriſti reſurrectio dignior fuit, quam ſit reſurrectio noſtra ſpiritualis, quæ per illam deſignata fuit. Quinctum dictum: Ex parte intentionis auctoris diuinæ ſcripturæ, ſenſus ſpiritualis, vniuerſe loquendo, eſt nobilior: quoniam eſt magis intentus. Nam magis intendebantur, quæ pertinebant ad nouam legem, quam quæ fiebant in veteri:





veteri: & magis intenduntur, quæ pertinent ad futuram vitam, quam quę hic aguntur. Propterea Paulus cum probaſſet, ea Apoſtolis ſuppeditanda eſſe, quæ ad vitam tuendam ſunt neceſſaria, ex eo quod ſcriptum erat, Non alligabis os boui trituranti, addidit, Nunquid cura eſt Deo de bobus? ac ſi dixiſſet, illud de non alligando bouis ore, ideo ſcripturam dixiſſe, vt hoc ſignificaret. Huc facit etiam, quod Dominus Iudæos ignorantię redarguendo, dixit: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Et cum ſe coram apoſtolis transfigurauit, non tam voluit illam ſenſibilem ſui corporis lucem, illumq; candorem oſtendere, quam beatitudinis gloriam indicare. Sextum dictum: ſenſus literalis, priuate, nonnullis de cauſſis antecellit dignitate ſpiritualem ſenſum. Primum, quia latius patet: cum vbique reperiatur, non ita ſpiritualis. Deinde, quia eſt veluti baſis & fundamentum ſpiritualis, qui ſine illius cognitione intelligi non poteſt, non contra. Poſtremo, ne plures cauſſas proſequar, literalis eſt magis in promptu, & nemo eſt, qui ex eo aliquam vtilitatem non referat. Vltimum dictum: Simpliciter loquendo, nobilior eſt ſenſus ſpiritualis, quã literalis. Hoc dictum poſſem latiſſime demonſtrare afferendo varias cauſſas, ob quas hic ſenſus illum antecellit, ſed eas in alium locum reijcio: nunc ſatis confirmatur ex ijs, quæ probata ſunt: ex quibus colligere licet, vniuerſe loquendo, hunc ſenſum,

2. Cor. 9.

Mat. 9.

ſum, & materia, ſiue obiecto, & intentione antecellere, & ex ſe non eſſe inferiorem ratione certitudinis, ſed ſolum reſpectu noſtri. Et certe ſi quis patrum, hac in re, ſententiam inſpiciat, id quod nos docemus, eos ſentire fatebitur. Solent enim hunc ſenſum, vt eius dignitatem ſupra literalem oſtendant, medullam, mel, frumentum, animam, & ſpiritum appellare: illum vero corticem, ceram, paleam, & corpus. Adde etiam, quod ijdem patres libentiſſime in huius ſenſus inneſtigatione inſudabant, vt de Dionyſio Areopagita, Origene, Auguſtino, Gregorio, & alijs principibus patribus exploratũ eſt. Huc etiam facit, quod præclaris elogijs hunc ſenſum laudarunt, & celebrarunt. Quædam alia huc pertinentia videre poteris in noſtro opere de Interiore homine, quod ſuperioribus annis in lucem, iuniores, dedimus. Atque de hac difficultate ſatis, plura alibi cum ſim dicturus. Cap. 3.

## *An ex ſpirituali ſenſu argumentari liceat. Cap. XXIII.*

INTER multas vtilitates, quas hæc ſenſuum diuinæ ſcripturæ notitia ſecum affert, hæc eſt præcipua, vt ex illis ad veritates confirmandas erroreſq; repellendos argumẽta promere liceat. Et quamuis de hac dubitatione, quam hic diſcutiendam propoſuimus, nonnihil ſupra, cum de locis egimus, dixerimus: tamen cum res ſit magni

gni



gni momenti, & de ea variæ ſint ſcriptorum ſententiæ, diligentius nũc examinanda eſt. Et quod ex ſpirituali ſenſu argumentari non liceat, his rationibus confirmari poteſt. Primum auctoritate grauiſſimorum patrum, & in primis Dionyſij Areopagitæ, qui hac de re verba faciens, dixit, Theologiam ſymbolicam, eam ſcilicet quæ myſticos ſenſus tractat, non eſſe argumentatiuam, id eſt, vt quidam exponunt, ex ea non licere argumentum ducere. Idem aperte ſenſiſſe videtur Auguſtinus, vt ex his eius verbis, colligere licet. Impudentiſſimus eſt reputandus, quiſquis per aliquid in allegoria poſitum, quicquam pro ſe interpretari conatur: ne igitur impudentes videamur, ex hoc ſenſu argumentari nõ debemus. Vnde male Donatus & Rogatus argumentabantur ad probandum Eccleſiam eſſe apud ſe, in meridionali plaga, quam ipſi incolebant, ex his verbis, quæ in canticis habentur: Indica mihi quẽ diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Adde poſtremo auctoritatem Hieronymi, qui commentarijs ſuis in caput decimumtertiũ Matthæi, eandem ſententiam videtur amplecti. Deinde, ſenſus ſpiritualis eſt maxime reconditus, & obſcurus: at argumentum non ducitur niſi ex re certa, & explorata, igitur. Ad hæc, ſenſus ſpirituales ſunt varij, & pro cuiuſcumque arbitrio excogitari poſſunt, & vt videmus paſſim excogitantur: ergo ex illis nulla probabilis poteſt duci ratio. Denique, ſi vlla ratio

Epiſt. ad Titum.

Epiſt. 48. ad Vincẽ.

Cant. 1.

ad

ad contrariam ſententiam amplectendam nos cogit, maxime ea, quod Chriſtus & Apoſtoli ex hoc ſenſu argumētati fuerint: at hoc nihil euincit, tum quoniam illis hi ſenſus erant notiſſimi, nobis vero obſcuri: tum etiam, quod auctoritatem habebant, qua ex ſenſu ſpirituali facerent literalem, quod nobis non licet. In hac diſputatione ſunt varij dicendi modi: primus eorū, abſolute loquentes, affirmant a ſenſu myſtico nullum poſſe argumentum duci, neque eſſe ducendum: quod ſi eis obijcias, igitur ſæpe ſcriptura in re neceſſaria deficiet, quia nullum aliū habebimus ad aliquid confirmandum locum; reſpondebunt, id nunquam accidere; quia quod eſt in vno loco in ſenſu ſpirituali, in alio erit in literali, ſi id ad fidei defenſionem fuerit neceſſarium. Quoli.7. art.14. ad 4. Ita ſenſiſſe videtur diuus Thomas: idem Caietanus, qui inter alias rationes, quibus probauit epiſtolam ad Hebræos non eſſe diui Pauli, attulit etiam hanc, quod illius epiſtolæ auctor vſus eſt argumento ab hoc ſenſu ducto. Secundus aliorum, qui concedunt poſſe quidem duci argumentum, ſed ſolummodo probabiliter; & ita interpretandam eſſe putant diui Thomę ſententiam: alij etiam addunt nos poſſe argumentari neceſſario ex ijs ſenſibus ſpiritualibus, quibus diuini ſcriptores ad aliquid probandum vſi fuere. Tertius aliorum, qui vniuerſe loquentes, volunt nos poſſe ex hoc ſenſu ducere argumenta non ſolum probabilia, ſed etiam neceſſaria.

Ad



Ad hanc difficultatē his concluſionibus reſpondemus. Prima concluſio: Ex ſenſu ſpirituali licet argumenta ducere. Hanc concluſionem ita certam eſſe arbitror, vt contrarium putem eſſe erroneum: quæ concluſio his rationibus breuiter confirmatur. Primo, quoniam, vt ſupra ſcripſimus, ex hoc ſenſu ſæpe diuus Paulus, ſæpe Euangeliſtæ, & alij ſacri ſcriptores, & Chriſtus ipſe argumenta ſumpſerunt, quod nulla ratione negari poteſt: licebit ergo ex hoc ſenſu ſine vlla impudentia rationes ſumere. Adde etiā, quod & Auguſtinus, & diuus Thomas hoc ſenſu ad aliquid probandum, ſępenumero vſi ſunt. Nam, vt nunc ſpeciatim de beato Thoma dicamus, in tertia parte quæſtione trigeſimanona articulo quarto, ex eo quod Elias aquas Iordanis diuiſit, quando raptus fuit igneo curru, Chriſtum in eodem flumine baptizari debuiſſe probat. In eadem parte quæſtione quadrageſimaſeptima articulo quarto, probat Chriſtum prius debuiſſe pati a Iudæis, quia paſſionis effectus, prius tranſiuit ad Iudæos: & ne plura adducam loca, ex eodem ſenſu, in prima ſecundæ quæſtione centeſimanona articulo tertio, argumentum duxit. Deinde, hic ſenſus non eſt minus intentus a diuino Spiritu, vniuerſe loquendo, quam ſenſus literalis, vt ſupra ſcripſimus: ſi igitur ex literali rationes conficere licet, licebit etiam ex ſpirituali. Confirmatur hæc ratio: hic ſenſus proficiſcitur a Spiritu diuino, & eſt verus: ex veris au-

tem

rem verum deducere licet, igitur. Ad hæc quomodo eſſet verum illud, Omnia in figuris illis antiquis hominibus contigiſſe, & ea ſcripta eſſe ad correctionem noſtram, niſi ex illis ratiocinãdo aliquid concludere liceret, ad conformandos mores noſtros & ad legis nouæ myſteria confirmanda? Poſtremo, ſi non liceret hoc ſenſu in diſputatione vti, non poſſemus multos Iudæorũ errores damnare, & falſas expoſitiones refellere, & multas veritates confirmare: cum potiſſime hoc ſenſu conuincantur; igitur. Neque hic nobis vllo modo probatur, quod quidam non ſatis caute dicunt, ſacros ſcriptores attuliſſe huiuſmodi ſenſus, non quaſi argumentantes, vel aliquid probantes, ſed ſolum docentes, & exponentes: quoniam non ſolum ipſos fideles, cum hæc ſcribebant, alloquebantur, ſed etiam incredulos, vt cum Paulus arguebat contra Iudęos ad ipſorum errores refellendos. Itaque dicendum eſt eos rationes idoneas adhibuiſſe, quæ euidenter, quod docebant, concluderent. Ex quibus colligere licet, quam leui, & falſo argumento ad eleuandam epiſtolæ ad Hebræos auctoritatem, dominus Caietanus vſus fuerit. Secunda concluſio: Ex ſenſu ſpirituali neceſſaria poſſunt duci, ac ducuntur argumenta. Primum, quia non modo canonici ſcriptores, ſed etiam Sancti patres efficaciſſimis argumentis ex hoc ſenſu petitis probarunt ea, quæ ad ſtatum Eccleſiæ, & ad Chriſti perſonam ac vitam pertinent, aduerſus

Hebræos:



Hebræos: cum, quę ad noſtram religionem ſpectãt, in antiqua lege præfigurata fuerint: ex quibus figuris non ducitur niſi argumentum in ſenſu myſtico: igitur, vel dicẽdum eſt patres ſolum probabiliter aduerſus fidei hoſtes ex diuinis ſcripturis ſemper pugnare, aut etiã neceſſario, quod nos docemus. Deinde, ſi quid impedit, maxime, quia hic ſenſus eſt multiplex: ac proinde non ſubminiſtrat certum argumentum: at eadem premuntur difficultate, qui plures ſenſus literales ponunt: igitur, vt ibi multitudo ſenſuum nõ obſtat, neque hic obſtare debet. Et quod ex vno loco plures demonſtrationes colligantur, id ad ſcripturarum fœcunditatem pertinet. Poſtremo, hic ſenſus, ideo eſt intentus a Spiritu diuino, vt Eccleſia eo vtatur, ad mores conformandos, & veritates ſtabiliendas; cur igitur non dederit eidem Eccleſiæ ſpiritum ad hunc ſenſum inueniendum? Quare, ſicuti ſenſus literales germani, & proprij adhibitis ijs regulis, quæ ad ipſum inueſtigandum traduntur, inueniuntur, cur non etiã ſenſus ſpirituales, ſi regulæ neceſſariæ adhibeantur? licet rarius, & difficilius. Id autem quod dicitur, quod eſt vno in loco in ſenſu ſpirituali, alibi eſſe in literali, an ſemper ſit verum, pro comperto non habeo: ſed hac in re explicãda immorari nolo; de qua alibi latius fauente Deo. Tertia concluſio: Rarius ex hoc ſenſu ducitur argumentum neceſſarium, quam ex ſenſu literali. Hæc concluſio eſt manifeſta. Quoniam

Vu ſenſus

ſenſus ſpirituales proprij, & germani non ſunt nobis ita noti, vt ſunt literales ſenſus. Cur autem non ſint ita manifeſti, ſatis ex ijs quæ ſupra diſputata ſunt, intelligi licet. Primum, quia res ex quibus ſumũtur ſenſus ſpirituales, ex ſola voluntate diuina ſignificant: ac propterea earum ſignificatio nobis eſt minus nota, quam ſignificatio verborũ, quæ ex humana inſtitutione vim habent ſignificãdi. Deinde, quia res ſunt minus determinatæ ad ſignificandum, quam ſint verba, & proinde difficilius eſt earum ſignificationem attingere. Atque his concluſionibus huic difficultati ſatisfactum ſit. Reſtat ergo, vt contraria ſoluamus argumenta, ex quorum ſolutione adhuc magis noſtra confirmabitur opinio. De primo, quod ad auctoritates eorum patrum quos contraria ſententia pro ſe citat, attinet, primum, vniuerſe dixerim, eos ex hoc ſenſu ſæpe argumenta ducere, quod nemo negaret, niſi fortaſſe is, qui eorum ſcripta nunquam legiſſet. Quare, ni volueris affirmare eos ſecum pugnare, aliter tibi intelligendi ac explicandi erunt. Deinde, ad ſingulas auctoritates ſpeciatim reſpondeo, & quod ad locum Dionyſij ſpectat, ſi quis diligenter locum illum perpendat, videbit eum ſermone habere de ſenſu ſpirituali, qui verbis metaphoricis continetur: docet enim cur diuina & ſpiritalia eloquia, & rori, & aquæ & lacti, & vino, ac melli cõparentur. Non loquitur itaque de myſtico ſenſu rebus ipſis ſignificato, qui



qui proprie myſticus, & ſpiritualis dicitur. Quod attinet ad Auguſtini locum, primum, nõ ait Sanctus pater ex hoc ſenſu non licere argumentari, ſed ex verbis allegoricis non poſſe quẽpiam pro ſe aliquid interpretari, niſi habeat manifeſta teſtimonia, quorum lumine manifeſtentur obſcura. Ex quibus verbis plane colligitur, licere hinc argumentum ſumere; ſi quis ſenſus obſcuri claram notitiam habeat. Et quoniam Rogatus & Donatus ex ſenſu allegorico, vi extorto, & male intellecto arguebant, ideo eos impudentiæ damnat. Neque enim eo in loco, meridies, ſumitur pro plaga meridionali, vt ipſi ſumebant. Quare iſtorum argumentatio nulli regulæ ad ſenſus ſpirituales inueſtigandos innitebatur, nec caritatem ædificabat, ſed potius fidem euertebat: & ideo iure optimo eos reprehendebat Auguſtinus. Adde etiam, quod ſi quis velit in propria verborum Auguſtini ſignificatione inſiſtere, ſanctus Pater, non de ſenſu ſpirituali, ſed de metaphorico, quem nomine allegoriæ appellat, verba faciebat: nam illud, Cubare in meridie, metaphorice dicitur, non proprie, vt improbus putabat hæreticus. Sententia igitur beati Auguſtini eo in loco eſt, non poſſe quempiam ex ſenſu metaphorico argumentari, niſi manifeſtam habeat notitiam, quo pacto illa verba proprie ſumantur: quo fit, vt potius de ſenſu literali, quam de ſpirituali ſermonem habeat. De Hieronymo, ſolũ vult dubiam ænigmatum

Cant. 1.

 intel-

intelligentiam, non poſſe conferre ad dogmata confirmanda, vt ipſe expreſſe docet, idq; nos docemus. Secunda ratio, quo pacto ſolui poſſit, iam patet ex dictis: nam, licet hic ſenſus ſit reconditus; tamen interdum poteſt aliqua ratione eſſe manifeſtus; iuxta regulas ſuperius traditas. Tertia vero ratio militat etiam contra ſenſum literalem, qui multiplex eſt: & ideo qua ratione diſſolui poſſit, liquet ex ijs quæ capite decimooctauo dubitatione prima, diximus. Poſtremam ſic diſſolueres: eſto alijs non ſint ita manifeſti hi ſenſus, vt fuerunt Apoſtolis: tamen, aliqua ratione alijs etiam Eccleſiæ doctoribus poſſunt innoteſcere. Et cum hos ſenſus canonici ſcriptores vſurpabant, nō intendebant nouos ſenſus literales facere, ſed id probare, ad quod probandum eos adducebant, vt paulo ſupra diximus. Et de hac diſputatione hactenus.

## *Quid ſit metaphora, allegoria, parabola, ænigma, & apologus.* Cap. XXIIII.

ERAT mihi in animo cum hanc de diuinæ ſcripturæ ſenſibus ſcriptionem auſpicatus ſum, in calce nonnullas alias dubitationes, præter eas, quas attuli, in medium afferre, quibus omnia fere breuiter explicarem, quæ ad hanc materiam cognoſcendam faciunt: ſed, ne introductionis terminos tranſiliam, & quæ ad Theologiam Poſitiuam pertinent, copioſius, quam





par eſt, proſequi velle videar, eas omittere decreui: quam etiam ob cauſſam, quæ ex diui Thomæ doctrina in articulo nono, explicanda reſtant, paucis complectar, cum de his rebus latius diſſerere Theologi ſit Poſitiui. Ea autem, quæ in dicto articulo continentur, ideo in hunc poſtremum locum reieci, quod minore explicatione egeant, & pauca a nobis de eis ſcribenda ſint: adde etiam, quod ea quæ de ſenſibus diuinæ ſcripturæ diximus, ad intelligentiam eorum, quæ de locis Theologicis dicta ſunt, proxme faciebant. Ad ea igitur quæ nobis explicanda reſtant accedentes, & quæ tractanda ſunt, & ordinem breuiter proponamus. Primum igitur quaſdam locutionum ſpecies, quibus ſcriptura vti ſolet, definiemus: deinde, an his conuenienter vtatur, demonſtrabimus: poſtremo cauſſas, cur vtatur afferemus, ac nonnullas admonitiones adſcribemus. Vt, autem quod primo loco poſuimus exequamur, vnum, vel alterum prænotare neceſſe eſt. Principio igitur animaduertendum eſt, in diuinis literis duo eſſe locutionũ genera: alterum, quo voces in propria accipiuntur ſignificatione, ex qua nullus malus, ſeu ineptus ſenſus oritur: vt cum dicitur, Deus ſuperbis reſiſtit: alterum, quo voces non ſumuntur in ſua prima ſignificatione, in qua ſi acciperentur peruerſum, vel inutilem facerent ſenſum, ſed tranſlata, & impropria: vt cum dicitur; Si oculus ſcandalizat te, eijce illum: Mat.5.
&, ego ſum vitis: Ioan.15.

in quibus locutionibus oculus, & vitis transferuntur a propria ſignificatione ad aliquid aliud ſignificandum, quod ex ſe non ſignificant. Senſus, qui oritur ex prima ſignificatione dicitur grammaticus, & literalis: qui vero ex impropria, metaphoricus, tropologicus, & interdum allegoricus, ac myſticus. Et quoniam, vt ſupra ſcripſimus, etiam res in diuinis literis ad aliquid ſignificandum aſſumuntur, hinc oritur ſenſus ille, qui proprie dicitur ſpiritualis: qui in eo differt a metaphorico, quod hic ex verbis, tranſlate tamen acceptis, ſumitur, ille vero ex rebus ad ſignificandum ſumptis. Quo fit, vt res duobus modis in ſcriptura ſignificent: vno modo per tranſlationem & tropologiam, quam ſignificandi rationem etiam in humanis ſcripturis habẽt: altero modo ex priuata Dei inſtitutione. Quo loco illud diligenter obſeruandum eſt, eã etiam ſignificationem, quam habẽt per tranſlationem habere ex priuata cura diuini Spiritus, cuius eſt ſcripturas dictare. Quo fit, vt tranſlatæ locutiones ita idoneæ & aptæ exiſtimari debeant, vt nihil aptius dici, aut excogitari poſſit. Propterea irridendi ſunt ij, qui ridere ſolent, cum audiunt

Cant. 7. illud, Naſus tuus, ſicut turris Libani: & illud, Collum tuum ſicut turris eburnea, & id genus alia, quæ ineptis, inepte tranſlata videntur. Ex quibus colligere licet, quanta ſit ſenſus myſtici præſtantia & excellẽtia ſupra ſenſum literalem, cum literalis oriatur ex vocibus, quæ ſolum humana



mana inſtitutione ſignificant: myſticus vero ex rebus diuina inſtitutione ſignificantibus. Notandum eſt deinde, multas eſſe conditiones, quæ ad congruentem metaphoram conſtituendam requiruntur, de quibus nihil in pręſentia ſcribere volumus, cum de hac re in noſtris inſtitutionibus, vbi proprius erit locus, iã ſcripſerimus: quod ſi quis eas cognoſcere cupit eos legat, auctores, qui de tropis accurate ſcripſerunt. Illud tamen hoc loco dixerim, tãtam eſſe figurarum, & metaphoricarum locutionum copiam in diuino codice, quantam in nullo quouis alio libro reperires. Quo fit, vt is qui ſacras literas tractare voluerit, debeat troporum & figurarum vim, naturam, atque varietatem penitus cognoſcere, de qua re nos integrum iam cõfecimus librum, in quo circiter ducentas figuras ex ſacris libris collectas explicuimus. Nunc autem ſatis erit, ſi quaſdam figuratarum locutionum ſpecies definiuerimus, quod erat ſecundo loco a nobis propoſitum. Metaphora, quæ latine, idem, quod tranſlatio, ſignificat, eſt nominis, vel verbi a propria ſignificatione ad aliam impropriam ob ſimilitudinem traductio. Itaque cum voces proprie ſumuntur, ſunt quaſi in proprio domicilio; cum vero tranſlate, in alienum migrãt: quæ migratio debet fieri ob aliquã ſimilitudinem, quã habet res a qua fit migratio, cum re ad quam tranſitur. Nam, ſi nulla eſſet inter eas conuenientia, inepta eſſet tranſlatio; quæ, vt Theophraſto

Caſſiod. Pagnin. Beda.

Cic. l. 16. epiſt. 17. phraſto docet, debet eſſe verecunda. Sic ignis apte transfertur ad ſignificandum amorem, oculus ad ſignificandam intentionem, ob ſimilitudinem, quam hæ res inter ſe habent. Allegoria, de qua nonnihil ſupra diximus, nihil eſt aliud, quam perpetua quædam metaphora, quæ in pluribus conſiſtit verbis. Parabola, quæ ſæpe in ſcripturis ſacris reperitur, ſic deſcribi poteſt. Clem. li. 4. Strom. Parabola eſt rerum aliquarum inter ſe diſcrepantium ob aliquā ſimilitudinem comparatio, qua homo facile inducitur ad id intelligēdum, quod alias commode intelligere non poterat. Itaque parabolæ materia ſunt res inter ſe diſcrepantes: forma eſt ſimilitudo, quæ inter eas reperitur: finis, vt homo aliquid diſcat. Vt patet in parabola de ſeminante apud Matthæum. Cap. 13. Sunt autem variæ parabolarum ſpecies, ſiue modi, quos nihil eſt, cur nunc explicare debeamus. Apologus, etſi ſumi poſſit pro quacunque ſimilitudine; tamen, tunc proprie dicitur, cum rebus animatis tribuitur ſermo, quæ tamen loqui non poſſunt: Quint. li. 5. cap. 10. quamuis interdum etiam rebus inanimis ſermo per apologum tribuatur. Fuit olim apud oratores apologus frequens: in diuinis autem literis raro reperitur. Habes de apologo exemplum in libro Iudicum, cum dicitur, Iuiſſe ligna vt vngerent ſuper ſe regem: dixeruntq; oliuæ, Impera nobis, &c. Iud. 9. Ænigma, eſt obſcura ſentētia per obſcuram rerum ſimilitudinem expreſſa: quale eſt illud Sanſonis, De comedente exiuit cibus, & Iud. 14. de



de forti egreſſa eſt dulcedo. Et ſæpius reperitur in ſacra pagina, quam apologus: & interdum cum parabola confunditur. Parabola, ſi proprie loqui velimus, differt a metaphora, quia in parabola ponuntur verba propria, in metaphora, voces tranſlatæ. Differt etiam ab apologo, quia in apologo non dicitur aliquid veriſimile, vt in parabola, ſed ſolum narratur aliquid, ad aliud explicandum: vt patet in apologis Æſopi. His ita explicatis, facile erit intelligere, quæ ſequenti capite tractaturi ſumus: in quo diſputandum eſt, an conuenienter in diuinis oraculis metaphoræ, allegoriæ, & parabolæ adhibeantur.

## *An conuenienter ſacræ literæ vtantur locutionibus tranſlatis, ſeu metaphoricis.* Cap. XXV.

QVOD autem improprie & figuratæ locutiones non conuenienter adhibeantur in diuinis literis, his rationibus perſuaderi poteſt. Primum, tradere doctrinam ea ratione, quæ maximam errandi occaſionem præbeat, non videtur Deum decere, qui, ideo ſcripturas tradidit, vt veritatem patefaceret, & errores repelleret: ſed hic modus docendi per figuras, & metaphoras hanc occaſionem præbet, igitur. Nam, cum de Deo loquimur, ſi per metaphoram ei attribuamus, exempli gratia, humana membra, facile aliquis exiſtimabit Deum eſſe corporeum, in

in quem errorem hanc ob cauſſam nonnulli inciderunt: ſiquidem metaphorice locutiones faciunt rem aliter intelligere, atque eſt, adde etiã quod non videtur conueniens, vt Deus locutione impropria vtatur. Deinde huiuſmodi locutiones obſcurant veritatem, & in hunc finem eis Deus vti videtur, vt ſcilicet intelligentes nõ intelligant: quæ res inuidiam arguere videtur: Nõ ſecus ac ſi aliquis præceptor ijs vteretur verbis in docendo, quibus data opera, quæ diceret obſcuraret. Et antiqui patres eos vituperarunt hæreticos, qui obſcure loquebantur, & quibuſdam vtebantur verbis, quibus quæ dicebant minus clara redderent. Nihil, ait Tertulianus contra Valentinianos ſcribens, magis curant, quam occultare, quod prædicant; ſi tamen prædicant, qui occultant. Repueraſcere nos docet Paulus ſecundum Dominum. Nihil veritas erubeſcit, niſi ſolum abſcondi. Eoſdem, ob eandem cauſſam damnauit Irenæus. Præterea, parabolæ habent aliquam ſpeciem fabulæ, & apologi, ſunt meræ fabulæ: diuina autem ſcriptura debet eſſe ab omni ſuſpicione fabulæ aliena: ænigmata vero diſplicere ſolent, & in omni diſciplina ænigmaticus ſermo damnatur, & apud omnes male ſonat: & denique Ariſtoteles metaphoricas locutiones ab eo qui rem demonſtrare vult, fugiendas eſſe docuit. Poſtea, in ſacra Theologia noſtra cognitio incipit a rebus diuinis, & a materia abſtractis, & procedit ad ipſas creaturas,

Tertul.

Iren.

2.Poſter. tex.22.

ras,



ras, vt patet ex methodo, quã Magiſter ſentẽtiarum, diuus Thomas & alij Scholaſtici ſeruarũt, ergo ad cognoſcendas res diuinas non egemus ſimilitudinibus a rebus corporeis acceptis: & confirmatur, quia noſter intellectus, cum ſit materiæ expers, maiorem habet cum rebus immaterialibus conformationem, quam cum rebus ſenſibilibus: igitur melius illas per ſe intelliget, quam per formas ſenſibiles: cum ſcientia fiat per ſimilitudinem potentiæ intelligentis cum re intellecta. Neque ratio diui Thomæ quicquam in contrarium probat: quia ſi ex eo quod homo cognitionem ſuam accipit a ſenſu, metaphoris vti deberet, ſequeretur, eum in omni ſua intellectione debere metaphoris vti, quod a veritate, & ab experientia eſt alienum. Et quoniã in hac diſputatione nulla eſt inter doctores diſſenſio, ſola explicatione opus eſt: propterea quædam notanda ad huius difficultatis elucidationem in medium afferemus. Notandum primum, ex innata quadam omnibus hominibus apud omnes populos notione, ſemper obſeruatum eſt, vt res maiores, difficiliores, ac ſanctiores, ita tractarentur, ac conſeruarentur, vt earum cognitio non perueniret ad omnes, ſed ſolum apud viros doctrina, auctoritate & vitæ integritate conſpicuos, retineretur: quod multis auctoritatibus, atque exemplis confirmari, ac demonſtrari poſſet. Hinc eſt quod Orphæus, Pindarus, Virgilius, alijq; poetæ profanos a rerum

In ſũma. D.Thom. 4.cõt. gẽ. c.1.

Lib. de inter. homine.

diui-

diuinarum cognitione arcendos eſſe cecinerũt. Et ſacerdotes apud Athenienſes, cum templum, rem ſacram faturi, ingrediebantur, hanc vſurpabant ſententiam. Foras, foras quicunque impurus. Interrogabant etiam, Quis hic? Et qui aderant, reſpondebant, Multi & boni. Philoſophi etiam ſua obſcuriora, & grauiora dogmata, vel ſymbolis, vel metaphoris, vel denique genere dicendi obſcuro, occultare ſolebant. Ita Ægyptij, Pythagoras, Plato, & Ariſtoteles res ſuas poſteritati tradiderunt. Et adhuc multa exſtant ſymbola, & inuolutæ ſententiæ Pythagoræ, quarum nonnullas Sancti patres ad hanc rem, quam nos docemus demonſtrandam, recenſere ſolent, cuiuſmodi ſunt iſtæ: Domi non habens hirundinem, id eſt, loquaces: Olla ab igne ſublata, ne relinquas ſignum, id eſt, poſt iram, nihil ſit reſidui: Ignem gladio ne fodias, id eſt, iratum hominem aſperis verbis ne commoueas: Ne cor edas, id eſt, ne te curis conficias: Deorũ imagines annulis ne inferas, id eſt, ſcientiam de Dijs, ne facile manifeſtes, & diuulges. De hieroglyphicis Ægyptiorum notis extant libri integri. Quibus allatis exemplis, & nonnullis alijs probat diuus Cyrillus contra Iulianum apoſtatam, non dedecere, vti ſignis & figuris ad res diuinas demonſtrandas. Et Alexandrinus Clemens multas recenſuit vtilitates, quæ ex hac docẽdi ratione manant. Huc faciunt hæc, quæ Lyricus Poeta ſapienter literis commendauit.

Pet. Crin. lib. 6. c. 3.

Clem. li. Strom.

Cyri. cõt. Iul.

Pieri⁹ de myſt. Ægypt.

*Eſt*



*Eſt & fideli tuta ſilentio*
*Merces. vetabo, qui Cereris ſacrum*
*Vulgauerit arcanæ: ſub ijſdem*
*Sit trabibus; fragilemque mecum*
*Soluat faſellum,* &c.

Vnde colligere licet, quanta cum ſapientia Deus Opt. Max. populum rudem per ſigna, figuras, & ſimilitudines ſua myſteria docuerit: cum præſertim orientales populi parabolicis & figuratis locutionibus maxime delectentur, eaſque ſuo ſermone libenter vſurpent. Notandũ deinde eſt, cum ex Ariſtotelis ſententia, immo manifeſtiſſima experientia conſtet, nos nihil intelligere poſſe, etiam rerum a materia ſeiunctarum, ni aliquod ſpeculemur phantaſma, quod nemo formabit unquam, ni aliquam ſenſibilis rei ſpeciem a ſenſibus acceperit: hinc profecto colligitur, nullam rem nos intelligere poſſe, niſi ſub aliquem ſenſum, vel per ſe, vel per aliud, quo cum affinitatem habet, ceciderit. Hinc eſt, quod res a materia ſeiũctæ per proprias ſpecies in hac vita a nobis cognoſci nequeunt: ſed per ſpecies rerum materialium, ex quibus formantur idola, quæ intelligendo ſpeculamur. Quo fit, ut ad res diuinas percipiẽdas, cum per ſe ſub noſtram intelligentiam non cadant, opus fuerit eas res adhibere, quæ cum illis aliquam cõformitatem, ac conuenientiam habent. Et quoniam res materiales longe diſtant a perfectionibus rerũ materia carentium, licet quandam illarum ſimilitudinem.

Lib. 2. car. Ode 2.

Lib. 3. de anima.

Dion. lib. 2. de cęl. hier. c. 2.

tudinem gerant, hinc eſt, quod perfectiones rerum incorporatarum melius cognoſcimus per negationem, & remotionem imperfectionum, quas in rebus corporatis cernimus, vt docte Dionyſius Areopagita adnotauit. Ex quibus plane intelligitur, quantum humana mens ſimilitudinibus, & ſignis ad diuina myſteria intelligenda indigeat. Notandum præterea eſt, quod ſicuti in rebus creatis & corporatis intelligendis oportet interdũ corrigere ſenſum, vel quia aliter eas repræſentat, atque ſunt, vel quia non ſubminiſtrat ex ſe nobis omnia, quæ in re intelligenda reperiuntur; ita etiam in percipiẽdis rebus a materia remotis, quæ, ut diximus, per phantaſmata materialia intelligimus, oportet modum noſtrum intelligendi corrigere, & interdum aliter de rebus iudicare, quàm iuxta modum, quo a nobis apprehenduntur, ne in errorem labamur: & ideo aliter apprehendimus Angeli naturam, aliter verò de ea iudicamus: cum eũ apprehendamus, ac ſi eſſet aliquid corporeum, & tamen corpore carere ſtatuimus. Itaque, in unaquaque re intelligenda duas debemus intellectus operationes diſcernere, apprehenſionem, & iudicium: & licet in apprehendendis rebus diuinis, a rebus materialibus, vt iam dictum eſt, exordiamur: tamen in iudicio ferendo incipimus a diuinis, & ad humanas, ſeu creatas res deſcendimus, cum illæ ſint harum rationes, & regulæ. Notandum eſt poſtremo, cum res diuinæ, & religionis myſteria



ſteria ideo reuelata ſint, vt ab hominibus, quantum ſatis eſt intelligantur, ita tamen, ut indigni eas cœlentur; nulla meliore ratione id fieri potuit, quam eas ſub ſignis, & figuris paraboliſque tradendo: quæ, vt habent vim ex una parte ad facile docendum, ita ex altera valent ad veritatem indignis occultandam. Nam in parabolico ſermone duo poſſumus conſiderare: alterum, eſt id, quod comparatur, ratione cuius parabola dicitur obſcura: alterum, eſt id, ad quod fit comparatio, ratione cuius vim habet manifeſtandi: vt patet, in ipſa parabolæ applicatione. Exemplum habes illuſtre in parabola de ſeminante, quam cum audiuiſſent Apoſtoli, non intelligebant: facta autem a Domino applicatione, optime eam intellexerunt. His ita notatis, has ſtatuo concluſiones. Prima concluſio: Noſtræ religionis myſteria occulta quadã ratione tradenda fuerunt. Primum, patet hæc concluſio ex ijs, quæ diximus in notando primo: quia eſt quædam innata notio, quam omnes populi & omnes uiri ſapientes, in rerum maximarum traditione ſeruarunt, idque eſt rationi maxime conſentaneum; ergo non eſt in noſtra religione damnandum. Deinde, ſi ita traderentur, ut omnibus eſſent peruia, uileſcerent, ac facile cõtemnerentur: cum tamen nihil ſit, quod magis in honore haberi debeat. Proterea Plato, cum quędam arcana literis conſignaſſet, ſtatim amicum his verbis monuit. Caue, ne iſta excidant ad homines

Mat. 13.

mines ineruditos. Secunda concluſio: Si hominis naturam ſpectemus, neceſſarium fuit res diuinas ſub rerũ corporatarum ſymbolis & ſimilitudinibus explicari. Hanc concluſionem euidenter confirmant quæ ſpeciatim diximus in ſecundo fundamento: quam hæc grauiſſima Dionyſij Areopagitæ corroborat ſententia. Neque enim eſt poſſibile humanę menti ad ſpiritualem illam cœleſtium diſtinctionem, imitationem, intelligentiamque conſcendere, niſi ad hanc mortalium rerum ſimilitudinibus, formiſque ducatur. Quo, factum eſt, vt mirifice Deus erga nos bonitatem, ac prouidentiam ſuam, ſeſe noſtræ naturæ accommodando, indicauerit. Neque enim, idem Dionyſius loquitur, aliter fas erat infirmitati noſtrę licere illum diuinum radium, niſi ſacrorum varietate velaminum, quibus ad ſuperiora ferremur, opertum, & his quæ nobis familiaria ſunt prouidentia paterna, naturę mortalium ſeſe accommodante ueſtitum. Tertia concluſio: Multis de cauſis diuinæ literæ utuntur ſimilitudinibus, ac locutionibus metaphoricis. Hanc concluſionem probabo capite ſequenti, vbi nonnullas huiuſce rei cõuenientias ex ſanctis patribus numerabo. Quarta concluſio: Conuenientius fuit, vt metaphoricæ & figuratæ locutiones ad res diuinas manifeſtandas ſumerentur a rebus humilioribus. Hanc doctrinam tradidit nobis Dionyſius, quam attulit diuus Thomas in articulo nono, in reſpõſione ad vltimum argu-

2. de cœl. hier. c. 1.



argumentum. Conuenientia ex tribus potiſſimum capitibus ſumitur. Primum, quia hac ratione facilius tolluntur errores: ſiquidem res viliores facilius remouentur a diuina natura. Deinde, quia hoc rerum genus magis Deum nobis demonſtrat, cum eum per negationem cognoſcamus. Poſtremo, quia hac ratione melius res diuinæ occultantur indignis. Quincta concluſio: loqui per parabolas fuit maxime proprium Chriſto. Patet hæc concluſio ex ipſo Euangelio, & præſertim ex capite decimotertio Matthæi; ubi dicitur, locutum fuiſſe in parabolis, ut adimpleretur illud, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita a conſtitutione mundi. Quod ſi etiam alij parabolis uſi ſunt, id fecerunt, ut erant figura Chriſti, qui priuata quadam ratione, vſus eſt parabolis. Sexta concluſio: parabolarũ, & figuratæ locutionis vſus, tunc maxime adhibetur, cum aliquid ad perſuadendum & inſtruendum dicitur. Quo fit, ut cum diuina ſcriptura in hũc præcipue finem data ſit, ut nos ad recte agendum inſtruat, hoc dicendi genere, priuata quadam ratione, uti debuerit. His ita expoſitis ac probatis concluſionibus, ad argumenta in cõtrarium allata, reſpondeamus. Primum nihil concludit, quia talis loquendi forma, eſt maxime idonea ad docendũ, & res per voces traſlatas proprie ſignificatæ, facile a quouis etiam indocto, a Deo, & a rebus diuinis remouentur: & propterea, ex ſe, non faciunt

Leg. D. Thom. in 1. ſen. d. 34. q. 3. ar. 2.

Pſal. 77.

Xx

ciunt rem aliter intelligere, atque eſt; ſed potius ad recte intelligendum conferunt, ob eam ſimilitudinem, quã habent ad res, quas ſignificant. Nec mirũ eſt, ſi qui decipiantur, quia ideo Deus
Mat. 13. hoc loquendi genere vſus eſt, vt indigni non intelligant: & qui decipiũtur, ſua culpa decipiantur. Neque locutio per metaphoram dicitur impropria, ſi recte metaphora conſtituatur, quaſi ſit inepta ad id explicandum, quod manifeſtandum eſt. Secundum facile diluitur, quia metaphoræ maxime rem illuſtrant, ſi recte intelligantur: & Ariſtoteles, & eius magiſter Plato, ad obſcuram materiæ primæ notitiam per metaphoricas locutiones nos duxerunt. Nec Deus in hunc finem vtitur metaphora, quod ea quæ dicit intelligi nolit, ſed vt eos facilius doceat, quos vult, & eos a ſua doctrina excludat, quos uidet eſſe indignos: ad quæ duo munera præſtanda metaphora eſt maxime accommodata, ut diximus. At uero hæretici illi, ita loquebãtur, ut nulla ratione uellent intelligi, quod uel ex eo patet, quia inuſitatis, & numquam exauditis uerbis, vt eſt uidere apud Irençum, utebantur. Neque verum eſt, quod in tertio argumento dicitur, parabolas eſſe fabulis ſimiles: quia in fabulis narrantur etiam ea, quæ fieri non poſſunt, & quæ credibilia non ſunt: at vero parabolæ continent rem probabilem, & veriſimilem. Apologus rarus eſt in ſcriptura, uno ſcilicet, uel altero loco, & non ex intẽtione ſcripturæ. Ænigmata etiam

rariora



rariora ſunt, ſed tamen ex intentione ſcriptoris reperiuntur: & ſi adhibentur, ideo fit, vt maiora quædam myſteria occultentur: nec metaphoricus ſermo dãnandus eſt in diuinis literis, cum etiam in ſcripturis reperiatur humanis: in quibus tunc admitti non ſolet, cum aliquid per demonſtrationem eſt cõcludendum; vbi uero docendum eſt, cum virtute vſurpatur. Poſtrema ratio facile diluitur: quoniam, licet Theologi initium ſumant a rebus diuinis, quæ ſunt aliarum rerum cognoſcendarum regula; tamẽ quia eas non poſſumus apprehendere, niſi per res corporeas, & ſigna ſenſibilia, in cognitione apprehenſiua initium capimus a creaturis, & aſcendimus ad diuina. Neque cõfirmatio, quicquam concludit: quia, licet intellectus ſit conformis cum rebus a materia abſtractis: tamen, cum ſit incluſus in corpore, nihil poteſt apprehendere, niſi per ſenſus ſubminiſtretur. Vnde colligitur rationem diui Thomæ eſſe bonam: quia cum non poſſimus intelligere ſine phantaſmate, metaphoræ ualde conferunt ad formandos conceptus rerũ a materia ſeparatarum: neque tamen inde ſequitur quod ſemper uti debeamus metaphoris, licet ad aliquas res melius intelligendas valde conferant; cum multa ſint quæ per ſuas ſpecies a nobis intelligi poſſint.

*Duodecim recenſentur cauſſæ, ob quas congruum fuit diuinam ſcripturam vti metaphoris, de quibus nonnullæ admonitiones dantur. Cap. XXVI.*

Ludouic. Granat. loci com.

ET ſi Deus optimus maximus, a quo tãquam a quodam fonte omnis creata dimanauit ratio, nihil ſine ſumma ratione efficiat: tamen homines, quorum rationis lumen eſt exiguum, ac valde obſcurum, cum rerum diuinarum rationes non percipiant, facile eas ſine vlla ratione factas eſſe exiſtimare ſolent. Hinc natum eſt, vt quidam noſtræ religionis hoſtes, cum uiderent, ſacras literas ſimplici quadam ratione per figuras, & ſimilitudines ſcriptas fuiſſe, eas calumnijs proſequi non dubitauerint. Propterea, vt hoc diuinum opus, in quo noſtra ſalus ſita atque collocata eſt, quod ad hanc partem attinet, a calumnijs defendamus, nonnullas ex antiquis ſcriptoribus collectas rationes breuiter perſtringemus, quibus quam conuenienter ſcriptura ſacra vtatur metaphoris, & ſimilitudinibus, euidenter demonſtrabitur: & ita concluſionem tertiam proximo capite allatam, confirmabimus. Rationes ſunt fere iſtę. I. Ne ſanctum daretur canibus, & ne margaritæ proijcerentur porcis. II. Vt facilius viri digni eas intelligere poſſent: quia, ut diximus, ſimilitudines maxime conferunt ad res obſcuras intelligendas. III. Quoniam ex ea parte, qua valent ad ueritatem occultandam, efficiunt, ut non facile uileſcat: cum ea, quæ in promptu ſunt, & cuique peruia, facile contemnantur. IV. Valde conferunt ad excitandos homines ad veritatis inquiſitionem, quam tunc auidius conquirunt, cum aliqua ratione eam ſibi negari uident. Itaque quadam curioſitate moti, ad recondita myſteria inueſtiganda homines ſuos labores libenter conferunt. V. Eam etiam hæc docendi ratio vtilitatem affert, quod hominis ſuperbiam, ex nimia diſcẽdi cupiditate enatam, cõprimit; dum non facile, nec ſuis ſolum uiribus poteſt homo id percipere, quo adepto, maxime gloriatur. VI. Vt homo in ſudore vultus ſui pane ſpirituali veſceretur: & quo magis laboraret, maiorem poſt laborem perciperet lætitiam. & ut ſibi carius eſſet, quod carius emiſſet. VII. Vt res diuinæ quarum perpetuo meminiſſe debemus, facilius memoriæ hærerent: cum ea, quæ ſub ſignis, & figuris traduntur, & dicuntur, facilius phantaſiam moueant, ac memoriam excitent: ac etiam veluti quædam formæ memorię imprimantur. IIX. Hac docendi ratione plures ſenſus ſpirituales ad docendum, & mouendum idonei ob varias rerum, quæ ad ſignificandum ſumuntur proprietates, exprimuntur. Vt ſi accipias hanc locutionem, Vos eſtis ſal terræ: hæc ſententia, ob illam ſalis metaphoram multos continet ſenſus: & hæc ſimiliter; Bibite &

Matt. 7.

Lege Augu. Epiſt. 119. c. 3.

Mat. 5. Cant. 5.

inebriamini cariſſimi, & ſic de alijs. IX. Confert hæc docendi ratio ad remouendum faſtidium: dum eãdem veritatem, quam ſæpe nobis diuinus ſermo inculcare debuit, varijs verbis & figuris repetit. Vt patet in illa doctrina de regno cœlorum, quam diuerſis modis Saluator nobis explicauit. X. Sermo metaphoricus valde delectat, etiam ipſos idiotas, qui eo ſæpe vtuntur; quãuis pręcipuæ diuinus ſpiritus hanc delectationem pro ſcopo, non habeat, ut Poetæ in ſuis ſcriptis habent. Quæ delectatio confert & ad excitandum ad lectionem, & ad Lectorem in ea retinendum. XI. Metaphoricus ſermo mirum in modum confert ad animi ſenſa exprimenda, & ad affectus auditorum commouendos: & ad eandem rem varijs modis ob oculos ponendam. XII. Et ne plures perſequamur rationes, quæ ſunt fere innumeræ, de quibus alibi Sanctorum Patrum verba afferendo, copioſius ſcribemus, hæc docendi ratio nõ ſolum congrua, ſed etiam neceſſaria, vt ſupra docuimus, nobis fuit: cum rerum diuinarum ſplendorem non poſſimus percipere, niſi ſub rerum corporatarum velamine. Quod ſignificaſſe videtur Moyſes, qui traditurus populo diuinam legem, faciem ſuam ob conſortium cum Deo reſplendentem, ſibi uelauit. Concludere itaque cum ſapiente licet, Gloria Domini celare uerbum: nam ex eo, quod ſuum uerbum nos aliqua ratione cœlauit Deus, ſuam ſapientiam, bonitatem,

ac



ac prouidentiam, non ſine maxima hominum vtilitate, declarauit; ac proinde maxima gloria eſt dignius. Atque de his rationibus hactenus: nunc non nullas admonitiones ad intelligentiam metaphoricæ locutionis afferamus. I. Prima admonitio eſt diui Auguſtini, qua docemur, ne temere in omnibus locutionibus metaphoricum ſenſum quæramus, ut multi facere ſolent in quibuſdam locis, in quibus aliquod idioma, vel linguæ phraſis continetur: ut quidam faciũt in hac locutione, In idipſum: quorum uerborum germanus ſenſus hic eſt, ideſt, pariter, vno conſenſu, ſumma conſenſione. II. Figurata locutio, præter alias rationes, hac una maxime cernitur, cum ex uerbis proprie acceptis, vel erroneus, vel inutilis, vel ſcripturæ parum accommodatus ſenſus colligitur. III. Ad ſenſus figuratos inueniendos, eſt omnino neceſſarium earum rerum naturas cognoſcere, a quibus tranſlatio ſumitur: ut, gratia exempli, naturam leonis, aquæ, hyſopi, ſerpentis, palmæ, & aliarum rerum a quibus ſumpta fuerit metaphora. IV. Obſeruandum eſt, unam & eandem uocem pluribus modis tranſlate accipi, ad uarias res, & ſæpe numero contrarias, ſignificandas, ob uarias proprietates, quas habet. Quo modo, uox, Leo, interdum Chriſtum, ob eius maximam potentiam, interdum Dæmonem, ob eius ſęuitiam & ferociam deſignat. Pari etiam ratione una & eadem res, ob uarias perfectio-

Pſal. 4. & 121.

 nes,

nes, ſiue proprietates quas continet, pluribus ad eas deſignandas nominibus, uarie tranſlatis, ſignificatur. Vnde Chriſtus, Eccleſia, Apoſtoli, & Dæmon, multis nominibus in ſcriptura uocantur: & Dæmon, ſerpens, leo, leuiathan, &c. V. In explicandis locis figuratis libenter ſanctorum patrum ſequamur ueſtigia, & eos ſenſus amplectamur, quos ipſi attulerunt. Iuuabit nouum in ſcripturarum lectione Theologum, ſi vel allegoriarum ſyluam, vel Pagnini Iſagogen habuerit præ manibus, & ea leget, quæ nos in noſtris inſtitutionibus latiſſime ſcripſimus, ob quam cauſam, hic longiores eſſe nolumus. Cum has paucas ſolum in eum finem attulerimus, ut ſacræ Theologiæ candidato colligendi alias occaſionem præberemus. Ex his quæ tribus capitibus a nobis diſputata ſunt, facile intelligi poteſt, quid ſit ſentiendum in ea controuerſia, quæ his temporibus contra hæreticos ſolet diſputari, An res diuinæ materno ſermone ſint conſcribendæ, ita ut a quouis, legi & cognoſci poſſint; de qua re longũ potuiſſem habere ſermonem, ſi hæc difficultas ad auditorem ſacræ Theologiæ inſtituendum quicquam pertineret. De hac itaque re unica propoſitione ita ſtatuimus: Nullo modo expedit, vt Eccleſia uniuerſaliter diſpenſet, ut tota ſcriptura, & omnia noſtræ religionis myſteria vulgari ſermone tradantur, ita ut ab omnibus legi poſſint. Reijcio hic Lectorem ad eos, qui ex profeſſo hanc

Lege Ambr. Cath. Mart. Ledes.



hanc materiam copioſe & diligenter tractarũt: & cum ex ijs quæ diximus, ſatis euidenter allata demonſtretur propoſitio; nihil eſt cur pluribus a nobis confirmetur: cui omnes antiqui patres, qui hac de re mentionem fecerunt, conſentiunt, quorum longum poſſem texere catalogum, ac eorum loca ampliſſima recenſere, ſi in hac re immorari uellem. Ita ſenſerunt Dionyſius Areopagita, Clemens Alexandrinus, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Clemens Romanus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & alij, quos percenſere nihil eſt neceſſe. Et olim in antiqua Eccleſia, cum in ſacrificio miſſæ ad myſteria peragenda uentum erat, catechuminis dicebatur, Ite, miſſa eſt, id eſt, oblatio facienda eſt, abite. Et in quibuſdam eccleſijs, ut Sixtus III. ſcripſit, Diaconus ex eminenti loco dicebat, ſancta ſanctis. Atque de ijs, quæ nobis, de ſcripturæ conuenientia, quantum ad uſum metaphoricæ locutionis, dicenda erant, hactenus. Nunc duo alia ſubijciemus capita, quibus explicatis, huic libro finem faciemus.

## *Qualis eſſe debeat is, qui ſacris ſtudijs ſit operam daturus, vel de auditore Theologiæ.*
### *Cap. XXVII.*

QVÆ ſacræ Theologiæ candidato, antequam ad ſcientiam de ui, atque natura diuina perdiſcendam accedat, cognitu neceſſaria mihi

mihi uiſa ſunt, ea omnia hactenus, breuius fortaſſe, quam debuiſſem, perſecutus ſum. Cum ergo hucuſque de re ipſa, hoc eſt, de huius ſciẽtiæ natura, quæ priore loco res diuinas inueſtigaturo, cognoſcenda fuit, dixerim, reſtat nunc, ut de ijs, qui in ea uerſantur, uidelicet, de Theologiæ auditore, ac doctore aliquid dicam: ut ille cum fructu audiat, hic uero pro dignitate, talem ac tantam ſcientiam tractet. Duobus ergo capitibus quæ dicenda ſunt perſtringemus, in quibus admonitiones aliquot utriſque admodum neceſſarias trademus, quarum bonam partem ſparſim uarijs in locis ſupra, & ſpeciatim libro primo, ſcripſimus. Quod igitur ad auditorem attinet has admonitiones affero. I. Cum Theologia ſit maxima quædam ſapientia, de rebus maxime arduis, ac difficilibus, & ab humanis ſenſibus, longiſſime remotis, non quemcunque auditorem admittit, ſed eum, qui quadam bonitate naturæ ſit prædirus, ingenio ſcilicet uiuido, celeri, atque ſolerti; ad apprehendendum idoneo, ad excogitandum acuto, iudicandumque perſpicaci. Quare, ijs, qui ſunt ingenio hebeti, tardo, & ignauo profecto non expediret, ſi in hanc ſupremam ſcientiam operam ſuam collocare uellent. Hanc naturæ bonitatem in auditore Theologiæ omnes antiqui requirunt patres: de qua re bonus ille Theologus Gregorius Nazianzenus, hæc literis commendauit. Non cuiuſuis eſt de Deo diſſerere, ſed

Lege D. Thom. opuſ. 68.

D. Bonauẽ. lib. de princ. ſcript. Lumi. eccleſ. & Breuil.

Henr. in ſumma.

Adrian. Cardin. libr. de uera Philoſ.

Gerſon. par. 1. qualiter nouus Theolog. ſtudere debeat.

Clem. li. 1. Strom.

Orat. de modo in diſpu. ſeruan.



ſed eorum tantum eſt, qui inter multos habito delectu, ad tantum munus videntur idonei, quique cõtemplandi acumine ceteros antecellunt. Quamuis ergo Deus poſſit ſtupidos & bardos ad perfectam ſapientiam ſtatim traducere: tamen, quia omnia ſuauiter diſponit, nemo ſit, qui ad tantæ ſapientiæ acquiſitionem contendat, niſi naturæ donis fuerit ornatus, ne fruſtra laborando, Deum tentare uideatur. II. Hac naturæ bonitate tanquam primo fundamento poſita, animus humanis ſcientijs excolendus eſt, ſine quibus, vt ſupra non ſemel ſcripſimus, ſupremam ſcientiam capeſcere nequaquam poterit. His artibus ingenium ſuum excoluerat Moyſes, qui ab ipſo Deo poſtea ſupernaturalem doctrinam accepit: Daniel etiam Babylone Chaldæorum ſapientiam addidicit, & poſtea ſacram attigit doctrina: idem fecerunt patres fere omnes. Itaque, ut Baſilius ſcripſit, ſicut tinctores, ubi præparauerint prius curationibus quibuſdam quodcunque tandem fuerit, quod tincturam excipiet, ita tandem florem inducunt, ſiue purpura, ſiue aliud quid ſit; eodem ſane modo etiam nos, ſi ineluibilis nobis permanere debet honeſti gloria, externis utique his præinitiati, deinde ſacras, & arcanas doctrinas audiemus, & aſſequemur, & ueluti in aqua ſolem uidere aſſueti, ſic ipſi luci oculos admouebimus. III. In Theologiæ auditore neceſſarium eſt maximum fidei lumen, quo illuſtratus aliqua

Et Orat. de Theol. Cyri. cõt. Iul. lib. 7.

Sap. 7.

Lib. 1. ca. 2.

Lib. Fons vitę. c. 27.

Baſ. concione ad odoles.

aliqua ratione diuina uidere queat: cum ſcriptum ſit, neminem poſſe intelligere, niſi prius crediderit: & Dauid ideo de rebus diuinis locutum ſe fuiſſe dixit, quia prius crediderat. Manifeſta itaque dementia eſt, ut Theodóretus ſcribit, caſtiſſimorum diuinorumque myſteriorum ſine præuia fide, cognitionem ſcientiamque, perquirere: quam fidem, alio loco primariam baſim, & crepidinem ſcientiæ appellat. Et denique, idem, uno ore, omnes ſancti patres confirmant. IV. Si Ariſtotoles in ſuo philoſophiæ moralis auditore requirebat perturbationum quietem, quanto magis in auditore huius ſupremæ philoſophiæ temperati mores erunt neceſſarij? Eſto igitur Theologiæ auditor ab omni impuro affectu alienus, cor habeat ab omni immunditia expurgatum, ut puram atque intactam ſapientiam poſſit excipere. Quoniam, ut Sapiens ait, in animā maleuolam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. & Paulus, propterea Corinthijs lac in potum dedit, cum eſcam mandere non poſſent, quia carnales erant. Huc etiam facit illud, quod Dominus, de ijs, qui ſunt mundo corde dixit, eos Deum uiſuros. Vt igitur oculus aliqua re turbatus, recte uidere nequit; ita animus præferuidis affectibus commotus, ueritatem intueri non ualet. Itaque qui theologari voluerit omnibus animi perturbationibus uacet; cum animalis homo ea, quæ ſunt ſpiritus perci-

Iſa. 6. Pſal. 115. Lib. de fide. Hilar. li. 9. de Trinit. Lib. 1. c. 3 Cyr. cōt. Iul. lib. 1. Dydimus lib. de Spiri. ſanc. Sap. 1. 1. Cor. 3. Mat. Caſſia. Col. 1. c. 14. 2. Cor. 3.



percipere non queat. Huc pertinet diui Gregorij Nazianzeni tetraſtichon, ad hominem impurum, qui ex eo quiddam ſublime cognoſcere uolebat.

*Quidam explicari quid ſibi quæſierat*
*Sublimioris. Purus, inquam, ſis prius.*
*At mente conſto. Sordibus verum ſcates.*
*Vnguentum Olenti vaſculo non creditur.*

Et Horatius,

*Sincerum eſt niſi vas, quodcūque infundis aceſcit.*

V. Nec ſatis eſt abſtinere a uitio, ſed oportet etiam honeſte, religioſeque uiuere, ac Dei mandata ſeruare. Id quantum ſit neceſſarium expreſſe docuit Pſalmographus, cum cecinit, Bonitatem & ſcientiam doce me: & cum, a mandatis, ideſt, poſt mandatorum obſeruationem, ſe intellexiſſe, dixit. Luculentum libro primo ex Gregorio Nazianzeno ad hoc confirmandum citaui locum. Idem, eadem de re hanc illuſtrem ſcriptam reliquit ſententiam. Vt ſpeculationem ad cœleſtium rerum ſtudium aſciſcimus, ita uiciſſim actionem pro ſpeculationis fundamento habemus. Neque enim fieri poteſt, ut ſapientiæ ſit particeps, qui uitam ſapienter non inſtitueret. VI. Huc etiam pertinet domeſticarum ac humanarum rerum ablegatio, atque contemptio; quæ quantum ſit neceſſariam, ij homines indicarunt, qui amore ſapientiæ & ueri inueſtigatione incenſi, omnem domeſticam curam abiecerunt, & a rebus gerendis

Pſal. 118. Pſal. 104. Cap. 1.

dis ſeſe abduxerunt; immo etiam ipſis diuitijs renunciarunt. Et diuus Athanaſius omnem prorſus diuitiarum, ac negociorum curam, illi abijciendam eſſe dicebat, qui ad diuina ſe idoneum comparare ſtuderet. Item Baſilius impoſſibile eſſe aiebat, facientem peccatum, aut uitæ negotijs implicatum, aut curam rerum ad uitam neceſſariarum gerentẽ, ſeruire, ne dũ diſcipulum eſſe Domino. Vendenda itaque ſunt omnia, ut inuenta ematur margarita. Solent aliqui hoc loco quærere, an ad ſapientiam acquirẽdam potius paupertas, quam rerum copia conferat; de qua re longum poſſem texere ſermonem, ſed uno uerbo uniuerſe dixerim, potius pauperis, quam diuitis conditionem eligendam eſſe ei, qui uelit in ueri inueſtigatione uerſari. Ego illud de me affirmare poſſum, me non ſolum maxima earum rerum, quæ ſtudia faciliora reddere putantur, ſed etiam eorum, quæ ad uitam degendam quotidie ſunt neceſſaria toto tempore, quo in literarum ſtudijs uerſatus ſum, inopia laboraſſe; & tamen nunquam paupertatem mihi obfuiſſe; ſed potius, maxime iuuiſſe. Pauperrimus Origenes, quo nemo unquã doctior, pauperrimi fere omnes patres; & vt breui dicã qui ſapiẽtiores, alijs exſtiterunt, pauperes fuerunt. Paupertas omnium artiũ inuentrix, & conſeruatrix ſemper extitit. Quare non male dixit Iſocrates, cum hanc ueram pronunciauit ſententiam, diuitias potius improbitatis quam probitatis eſſe miniſtras.

Orat. contr. idola.

Lib. 1. de bapt.

Mat. 13.

Ariſtoph.

Orat. ad Demon.

ſtras.



ſtras. Illud ego perſuaſum omnino habeo, Deũ nunquam defuturum homini etiam mendiciſſimo, ſi ex animo, ad ipſius gloriam, ſapientiam Chriſtianam perdiſcere concupiuerit, & ad eam conſequendam, quãtum in ſe fuerit, operam nauauerit. Sed hac omiſſa diſputatione, de qua alias latius me ſcripturum polliceor, ad alias admonitiones redeo. VII. Requirit præterea hæc doctrina auditorem humilem, & parum de ſe ſentientem; quia, qui per humilitatem ſeipſum quodam modo euacuat, ſe magis diuinæ ſapientiæ capacem reddit. Abſcõdit enim Deus ſua myſteria ſapientibus, hoc eſt ſe aliquid ſcire gloriãtibus, & reuelat ea paruulis. Contemplari, ait Gregorius Romanus, Dei ſapientiam non poſſunt, qui ſibi ſapientes uidentur: quia ab eius luce longe ſunt, quando apud ſemetipſos humiles non ſunt: quia, dum in eorum mentibus tumor elationis creſcit, aciem contẽplationis claudit: & dum ſe lucere præ cæteris exiſtimant, inde ſe lumine veritatis priuant. IIX. Huc etiam referatur cultus caritatis; quæ in ſacræ Theologiæ auditore eſt maxime neceſſaria, cum ſacra doctrina delectari non queat, qui eius auctorem non diligit, & nemo in ea re poſſit proficere, cuius amore & delectatione non capitur. IX. Et cum Chriſtiana ſapientia ſit quoddam Dei donum, ubi per virtutes Theologiæ ſtudioſus, ſe idoneum ad illud recipiendum reddiderit, adhibeat poſtea preces, quibus, ut Iacobus monet,

Math. 11.

Lib. Fons uitæ. c. 27

Hieron.

Lib. Fons uitæ. c. 29.

Iac. 1.

illud

illud a Deo contendat. Humili itaque corde,
Ioan.2. & omni animi ſtudio ad eum Spiritum, qui nos omnem docet veritatem conuerſus, cum regio
Pſal.118. propheta dicat: Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam: Reuela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua. Hanc ſaluberrimam admonitionem nullibi ſancti patres nō
Hieron. tradunt; quam ipſi conſtantiſſime obſeruarūt: cum ſcirent omne datum optimum eſſe a Patre
Iac.1. luminum. X. Et quamuis multum preces ad ſapientiæ acquiſitionem conferant, ita ut quidam ſolis præcipuis diuinarum rerum cognitionem fuerint adepti: tamen adhibenda eſt etiam diligentia, & ſtudium, ne Deum tentare uideamur, dum omiſſa humana cura, diuinitus per miraculum doceri volumus. Sed hoc loco remitto Lectorem ad prologum diui Auguſtini in librum primum de doctrina Chriſtiana, quem locum omnino conſulendum puto. XI. Quod autem ad rationem, & inſtitutionem ſtudiorum attinet, nolo hic pluribus Theologiæ auditorem informare; cum de hac re in meis inſtitutionibus iam copioſe ſcripſerim: multa igitur in pauca conferens, ſi audiuerit, legerit, ſcripſerit, repetiuerit, communicauerit, quibus ni fallor, rebus continentur omnia, breui temporis ſpatio maximos faciet progreſſus. Et quod ad ſcriptionem attinet, illud conſtanter affirmauerim, eum non ſtudere, qui parcit calamo: quo nihil magis ad magnam eruditionem comparandam conferre arbitror. XII. Denique, vt hoc caput concludamus, monuerim iterum atque iterum eum, qui cupit bonus euadere theologus, vt quattuor libros diui Auguſtini de doctrina Chriſtiana legat, & relegat, ita vt eos penitus ſibi familiares reddat, ſi pro dignitate vult diuinas literas tractare, explicare, atque docere. Super quorum librorum doctrina, nos vigintiquinque libros diuinarum inſtitutionum iam compoſuimus, quos fauente Deo cito foras dabimus.



### *Qualis eſſe debeat, is qui ſacram doctrinam alios eſt docturus, vel de ſacræ Theologiæ Magiſtro.* Cap. XXVIII.

QVANDO ea, quæ de auditore Theologiæ diximus, ipſi etiam Magiſtro dixiſſe volumus: propterea pauca quædam ſpeciatim eum monere ſat erit. I. Si vlla in arte veriſſimum eſt illud, quod aliquando quidam antiquus pater ſcriptum reliquit, Abſurdum eſſe, eum velle fieri magiſtrum, qui prius non fuerit diſcipulus, certe in hac ſcientia docenda veriſſimum eſſe exiſtimandum eſt, cum ſit omnium ſcientiarum princeps, & quaſi magiſtra: propterea, nemo huius difficillimæ & ſupremæ doctrinæ ſe præceptorem exhibeat, nemo hoc tantum onus ſuſcipiat, niſi fuerit in philoſophiæ, & theologiæ ſcholis audiendo, & diſputando diu verſatus: & quod caput eſt, in lectione ſcripturarum, & anti-

quorum ſcriptorum detritus: ita vt quid veritati catholicæ ſit conſentaneum, quid repugnans probe teneat: quod ijs facile contingere non poteſt, qui non fuerint iam in firma ætate conſtituti: alias ſæpe non ſine periculo errandi docebit, ac etiam ſæpe ſuccumbet. II. Vbi Dei gloriam in ſua doctrina tradenda, prius ob oculos ſibi poſuerit, diſcipulorum ſpectet vtilitaté; quod non faciunt, ij, qui ſine methodo docét, qui res obſcuras & difficiles, cognitu tamen dignas, percurrunt, qui in rebus claris ſine vlla neceſſitate immorantur; qui inutiles quæſtiones non reſecant, qui magis philoſophi, quam theologi perſonam agunt, qui repetitionibus inutilibus delectantur, qui multas opiniones, & rationes ſine fructu proſequuntur, qui denique magis ſibi, quam ſuis auditoribus conſulunt, dum potius quæ ſibi arrident, quam quæ diſcipulis ſunt neceſſaria, tractant. III. Non facile nouas opiniones introducat; & in rebus præſertim practicis, communem ſententiam libenter amplectatur, niſi vrgens ratio contrarium ſuadeat: & in rebus probabilibus, non relinquat diſcipuli intellectum pendulum, ſed ſemper ad eam partem, quæ rationi & auctoritati fuerit conformior inflectat. IV. Non ſolum res quæ tantum ſpeculatione attinguntur explicandas ſuſcipiat, vt quidam facere conſueuere, quos ſemitheologos appellares; ſed etiam quæ ad vſum & praxim, & ad animarum curam, Eccleſiæq; vtilita-



vtilitatem proxime referuntur: de qua re lege id, quod libro primo capite ſeptimo, ex Gerſonis ſententia diximus. Hinc fit, vt multi, qui inter valentes Theologos reponuntur, ſi illis in ea Theologiæ parte, quæ mores tractat, verſandum ſit, ex magiſtris, iterum diſcipuli fieri debeant. Bonus itaque ac perfectus Theologus, integros atque abſolutos Theologos formet. V. Tunc putet prudens Theologiæ Magiſter, ſe vere theologari, cum ijs potiſſimum vtetur locis, quos ſupra diximus eſſe Theologiæ proprios: cum inquam res quas tractat diuinas, diuina auctoritate, a Scripturæ, ab Eccleſiæ, Pontificum, Conciliorum, & patrum doctrina ſumpta, comprobauerit. VI. Cum modeſtia, ſi quid in alienis, & præſertim ſanctorum patrum ſcriptis corrigendum inuenerit, corrigat, & cum quodam honore refellat. Poſſumus enim aliquem ſummis laudibus ob doctrinæ magnitudinem ornare, & tamen in eo aliquem næuum notare: cum pro contumelia haberi nó debeat, hominem interdum falli, & hallucinari poſſe. Et, quod huc pertinet, abſtineat a conuicijs, & ſi quempiam grauiter lapſum fuiſſe viderit, non ei ſucceſſeat, ſed meminerit ſe eſſe hominem, ac proinde ſe quoque errare poſſe. Id ſi facerit, neminé experietur aduerſarium, apologiarumq; ſcribendarum odioſum laborem ſubterfugiet. Contra vero, ſi quis, quæ ipſe docuerit, aut ſcripſerit, alius non temere cófutauerit, id non ægre

ferat, & quam ſibi vult ad alios confutandos facultatem cum ratione dari, eam alijs in ſe tribuat: quod ſi fecerit, theologorum facile principem imitabitur Auguſtinum: cuius hæc verba perpetua memoria digna, adſcribere placet. Neque ait ſanctus doctor, quorumlibet diſputationes quamuis catholicorum, & laudatorum hominum, veluti ſcripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat ſalua honorificentia, quæ illis debetur hominibus aliquid in eorum ſcripturis improbare, atque reſpuere, ſi forte inueniremus, quod aliter ſenſerit, quã veritas habet, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel a nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorũ, quales volo eſſe intellectores meorũ. VII. Nunquam myſteriorum, & rerum obſcurarum, quas tractat difficultatem, vbi non eſt neceſſe, amplificet, nec magis a noſtra intelligentia abeſſe dicat, quam, re vera, abſunt: vt quidam in quæſtione de prouidentia, de præſcientia, & de Dei concurſu cum libero arbitrio facere ſolent. IIX. Denique eorum meminerit, quæ libro quarto, capite tertio ad hunc locum pertinentia docuimus. Atque hæc ſunt, ſacræ Theologiæ Candidate, quę in hac noſtra inſtitutione tibi tradenda duximus: quæ ſi tenueris, idoneus profecto eris ad ea intelligenda, quæ in hac ſacra doctrina de Deo opt. max. & rebus diuinis, tractantur. Nec velim, vt a me hoc loco requiras tractationem aliquam earum vocum, ſiue terminorum, quibus Theologicæ ſcholæ quotidie vti ſolent: tum quia paſſim ab ipſis doctoribus pro locorum oportunitate explicantur: tum etiã, quod multi de theologicis terminis libros integros confecerunt, quos conſulere poteris: qua de re, ſi nos ſcribere voluiſſemus, introductionis limites tranſiliuiſſemus. Neque etiam requiras ſummam aliquã omnium eorum, quæ in theologia tractantur, cum id præſtare alterius ſit ngocij, & multa iam exiſtant Theologiæ cõpendia: veluti diui Thomæ, diui Bonauenturæ, Dionyſij Carthuſiani, & aliorum. Potuiſſem etiam loco aliquam adhibere hortationem ad excitandos, atque inflammandos hominum animos ad ſacra Theologiæ ſtudium, quod ſane feciſſem, niſi hac de re integro libro, iam in lucem edito, qui Fons vitæ & ſapientiæ inſcribitur, fuſe lateq, egiſſem: vbi de præſtantia, dignitate, laudibus, vtilitate, neceſſitate, voluptateq; ſtudij ſacræ ſcripturæ, & Theologiæ ex ſanctorum patrum ſententijs, & diuinarum literarum verbis, quantum potuimus, fideles ad hoc præclarum ſtudium commonere conati ſumus: quem librum ſacræ Theologiæ candidatus conſulere poterit, & conſuluiſſe fortaſſe non pœnitebit. Hic itaque nobis noſtræ introductioni finis faciendus erat; feciſſemusque, ni voluntas benemerẽdi de re Theologica, nos ad alium librum, dum hi priores imprimebantur, conficiendum, impuliſſet. His itaq; quinque libris, in quibus

Lege Lexicõ theologicum Io. Arquerij, & Io. Altẽſteig. Armãdũ Bellouiſium de terminis Theologicis.

ſacræ Theologiæ naturam, cauſſas, principia, concluſiones, & media, ſiue locos ad quæſtiones Theologicas tractãdas expoſuimus, ſextum adijcere, non ſine magno labore, cãdide Lector, curauimus, ex quo facile cognoſces, qui libri, & quæ loca tibi conſulenda ſint, vt pro dignitate res diuinas tractare poſſis.

*Libri Quincti Finis.*

# INTRODVCTIONIS In Sacram Theologiam,

## *Liber Sextus:*

In quo varij citantur auctores, pro ijs rebus quæ in vniuerſa Theologia tractantur, legendi.

### *Huius libri conficiendi ratio, & vtilitas. Cap. I.*

MVLTÆ ſunt cauſſæ, quæ ad hunc librum conficiendum & ſuperioribus adijciẽdum, me impulerunt: quarũ nonnullas in præſentia breuiter recenſebo, vt noſtri conſilij in re noua ratio, lectoribus non ſit ignota. Hunc igitur antiquorum præſertim ſcriptorum indicem conficiendum, primum ea de cauſſa ſuſcepimus, quod primorum patrum, qui noſtri fuere magiſtri, ſemper pluris,

 quam

quam aliorum, qui eos ſecuti ſunt, doctrina facta fuerit; idque iure quidem optimo, cum ſemper aliquid melius redoleat antiquitas. Vt ergo nouus Theologiæ Magiſter, & Auditor, loca ex quibus firmior, ac ſolidior ſumitur doctrina in promptu habeat, placuit nobis in hac noſtra inſtitutione, ea quaſi digito a longe indicare. Deinde, cum noſtrorũ temporum hæretici non ita libenter nouos doctores audiant, & admittant, immo etiam reijciant; profecto prudenti Theologo opera danda eſt, vt antiquorum patrum, quibus aliquid hæretici tribuunt, doctrinam præ manibus habeat, quam habere ij non poſſunt, qui loca ignorant, vbi de rebus ad Theologiam pertinentibus illi diſputarunt. Poſtea, cum hominum memoria ſit anguſta & labilis, ita vt omnia quæ audiuntur, aut leguntur percipere, & diu retinere non queat, propterea maxima noſtræ ſcientię pars in eo poſita eſſe videtur, vt vbi res tractentur, & contineantur cognitum habeamus. Ideo Iuriſperiti, quorum doctrina late patet, & varia eſt, ampliſſima confecerunt repertoria: quæ in re Theologica, quod ſciam, nulla ſunt: cum tamen a multis deſiderentur: & nos huius maxime vtilis, & neceſſarij laboris ſuſcipiẽdi alicui occaſionem dabimus: cum in præſentia abſolutum hac de re opus conficere ob temporis anguſtias, non poſſimus. Ad hæc, qui non habet in promptu loca, vbi Patres, & ſacra concilia, & Pontifices de rebus ad Theologiam



ſpectantibus agunt, non poterit, ab his locis vllum ducere argumentum: cum tamen ſint huic diſciplinæ maxime proprij, vt ſupra libro quincto, docuimus. Occaſionem itaque ſacræ Theologiæ candidato dabimus, vt ipſos fontes adeat, ex quibus omnis theologica dimanat doctrina. Et denique, ne plures cauſſas perſequar, ideo hunc laborem ſuſcipere volui, vt multorum, & quidem optimorum auctorum, de quibus apud multos Theologos nulla eſt mẽtio, præbeam notitiam. Ex hac itaque noſtra induſtria, præter eas, quæ ex dictis colligi poſſunt vtilitates, nonnullas alias ſacræ Theologiæ ſtudioſus capiet. Primum, cognoſcet in quibus ſcriptoribus ſibi potiſſimum verſandum ſit, & quos ſibi libros parare debeat. Deinde, facile intelliget doctrinam, quæ in poſterioribus reperitur ſcriptoribus, nõ eſſe recens excogitatam, ſed ab illis primis magiſtris acceptam. Poſtea, dum ſanctos Patres, qui maiore quadam pietate, quã recentiores, ſcripſerunt, leget, non ſolum doctrina paſcet intellectum, ſed etiam pietate inflammabit affectum: ac proinde magnam hinc voluptatem profecto percipiet. Denique, vt multas alias vtilitates omittam, qui in lectione patrum verſabitur, & doctrinæ, & auctoritatis opinionem ſibi comparabit multo maiorem: quo fiet, vt, & a pluribus, & multo libentius audiatur, quam ij audiri, aut legi ſolent, qui in antiquorum ſcriptis minus ſunt verſati.

Affe-

*Afferuntur admonitiones quædam circa propoſitam materiam. Cap. II.*

ANTEQVAM autem ad auctores citandos accedo, admonitiones quaſdam, ex quibus longe melius noſtrum conſilium pius percipiet Lector, adſcribere placet. Primum, in hoc noſtro indice non eſt nobis propoſitum afferre omnia loca de omnibus rebus, quæ in uniuerſa Theologia tractantur, omnium ſcriptorum, quos aliquando legimus, & legendo obſeruauimus, ſed ſolum ea, quæ de ijs rebus agunt, quæ in ſcholis præcipue diſputantur. Verum tamen eſt, quod, quæ citabuntur erunt etiam ualde utilia pro concionatoribus & præſertim illa, in quibus de uitijs, & virtutibus agitur. Deinde, multa ex illis quæ citabuntur loca, non ſolum continebunt eam materiam, cuius cauſſa ſpeciatim citantur, ſed etiam alia, quæ cum eadem re aliquid affinitatis habebunt. Deinde, non omnia loca erunt ita ampla, ut contineant omnia, quæ ad eam rem cognoſcendã ob quam afferuntur, ſunt neceſſaria, ſed plura, vel pauciora. Vnde, cum cibabitur, exempli gratia, locus pro materia de prouidentia, non erit ſemper ita amplius, ut omnia complectatur, quæ ad hanc materiam plane explicandam ſunt neceſſaria; ſed ſatis erit, ſi ibi aliquid continebitur, quod ad rem faciat, & ſit cognitione dignum.



Deinde, in auctorum citatione non ero in præſentia ſolicitus de temporis, aut dignitatis ordine, quia id ſine magna temporis iactura parua, aut nulla utilitate compenſata, fieri non poſſet; nec, ſi facere uellem, nunc uacat. Deinde, quod attinet ad ordinem rerum, ad quas cognoſcendas auctores citabo, cum nolim per omnes materias Theologiæ ſubiectas priuatim percurrere, eum fere retinebo ordinem, quem diuus Thomas in ſua ſumma ſeruauit. Itaque, non tam uolo quid in hac ſuſcepta prouincia efficere poſſem, ſi tempus ſuppeteret, nunc experiri, quam alijs ad idem diligentius efficiendum occaſionem præbere. Et, ut ei, qui in hoc argumento uerſari uoluerit uiam apperiam, aliquot hic admonitiones in hac re obſeruandas ſubijciam. Prima, reuocandi eſſent auctores, præſertim cum plures citarentur, ad ſuas claſſes, ita ut Hebræi, Græci, Latini, ſacri, & profani indiſtinctis ponerentur claſsibus. Claſſium uero ordo ſumi poſſet ab ordine locorum Theologorum, de quibus libro quincto egimus. Secunda, quod attinet ad ordinem materierum, ni quis uellet ordinem aliquem a ſe excogitare, poſſet ſequi ordinem diui Thomę, percurrendo omnes quæſtiones, & articulos, quos ipſe tractat. Tertia, in citandis auctoribus ſeruandus eſſet temporum ordo: unde prius antiquiores, & maioris auctoritatis, quam poſteriores, & minus celebres citandi eſſent. Quarta, non ſolum libri,

libri, ſed & capita, & priuata loca quantum fieri poſſet, ſpeciatim, ut facilius inuenirentur, citare oporteret. Quincta, prius citandi eſſent illi ſcriptores, qui ex profeſſo rem illam tractaſſent, poſtea alij, qui aliquid non parui faciendum de eadem re ſcripſiſſent. Sexta, inter citandum non eſſent omittendi ſacri canones, nec quæ congeſsit in ſuo decreto Gratianus. Septima, qui ſe pro dignitate hoc præſtare poſſe profiteretur, deberet eſſe uir multæ lectionis, & uerſatiſsimus in omnibus diſputationibus, atque materijs, quæ in Theologia tractantur, aut tractari poſſunt: ut omnia loca, quæ ad omnes diſputationes explicandas conferrent, adnotare poſſet. Is autem, qui librorum multitudine careret, eos conſuleret auctores, qui ſcriptorum indices conflarunt: unde, quos pro ſingulis materijs deberet citare, ſumeret: ſed tamẽ quãtum fieri poſſet, ipſe deberet ſingulos auctores inſpicere. Denique, ne plures admonitiones ponam, poſſent citari ſeorſim omnes auctores, qui hiſtorias eccleſiaſticas ſcripſerunt, qui diuinas ſcripturas traduxerunt, qui eas expoſuerunt, qui locos obſcuriores explicarunt, qui apparentes contradictiones conciliarunt, qui contra ſingulas hæreſes ſcripſerunt, qui ſummas caſuum conſcientiæ fecerũt: nec eſſet præter rem, ſi quis de illuſtribus Theologis, ſacriſque ſcriptoribus aliquam breuem texeret hiſtoriam, ni a principio, ſaltem ab eo uſque tempore, quo hac de reſcriptum nihil fuit. En igitur materiam amplam ad ingens, & perutile opus conficiendum.



### *Citantur nonnulli auctores, legendi pro materia de Deo. Cap. III.*

HIs hunc in modum adnotatis, ad rem ipſam accedentes, & propoſitam methodum ſequentes, primum quoſdam auctores uniuerſe citabimus, qui uidendi ſunt pro materia de Deo, poſtea priuatim indicabo loca quædam pertinentia ad priuatas quæſtiones de ijs, quæ de natura diuina, eiuſquẽ attributis diſputari ſolent. Pro materia igitur de Deo legendus eſt Dionyſius Areopagita de diuinis nominibus, Iuſtinus martyr in admonitorio, & lib. de monarchia, Origenis libri Periarchon. Damaſcenus in libris de fide orthodoxa, Chryſoſt. homeliæ 5. de natura Dei, Euſebius Cæſarienſis in libris de præparatione euangelica, & ſpeciatim libro ſecundo, tertio, & quarto, ubi multa habentur de Theologia humana, & alij patres Græci, quos poſtea citabo: quorum multas auctoritates ad hanc materiam pertinentes, inuenies collectas apud Euthymium in Panoplia. Ex latinis, Auguſtinus in uarijs operibus, quæ poſtea citabuntur: & ſpeciatim in lib. de Trinit. ut lib. 6. 7. 8. & alijs: in lib. de ciuitate Dei, libro de Speculo, & cognitione ueræ uitæ; Anſelmus in Monologio, & Proſologio. Arnobius

bius in libris contra Gentes, Lactantius Firmianus in libris diuinarum inſtit. Gulielmus Pariſienſis libro de uniuerſo part. 1. Scholaſtici in lib. primum ſententiarum Magiſtri, diuus Thomas in prima parte, in primis quæſtionibus, in libris contra Gentiles, & in quæſtionibus diſputatis, Dionyſius Carthuſianus in ſuis opuſculis, ubi multa, & præclara ſpeciatim opuſc. de natura ueri Dei, & de diuina eſſentia. Alexander Halenſis in prima parte ſummæ, & Albertus Magnus, Henricus Gandauenſis in ſumma, Altiſiodorenſis in ſua ſumma, Antoninus in ſumma part. 3. tit. 30. Ioan. Capreolus. Raynerius in Pantheologia, Thomas Vualdenſis lib. 1. art. 1. Paulus Corteſius in ſua Theologia, Nicolaus de Cuſa in ſuis operibus, Hanibal Roſellus in Pimandrũ Mercurij Triſmegiſti, Franciſcus Georgius Venetus in ſuis canticis, M. Antonius Natta in libris decem de Deo, qui eleganter more oratorio ſcripſit. Mercurius Triſmegiſtus in ſuis ſermonibus, Iamblichus de myſterijs Ægyptiorum. Andreas Mocenicus lib. 1. ſuæ Theologiæ, Ariſtoteles lib. ultimo Metaphyſices, & ibi eius expoſitores, Plato in Parmenide, Sophiſta, & Timæo; Ficinus in libris de Theologia Platonica, præſertim lib. 1. & 2. Plotinus, Cicero de natura Deorum, &c. Ioan. Franc. Pici examen uarietatis doctrinæ gentium, & ueritatis Chriſtianæ diſciplinæ. Raymundi Sebundi Theologia naturalis. Sed omnia



omnia fere, quæ ab antiquis philoſophis dicta, ſunt de ui atque natura diuina inuenies in ſingulari & nũquam ſatis laudato opere Auguſtini Steuchi Eugubini de Perenni philoſophia.

## De nomine, deſcriptione, & exiſtentia Dei. Cap. IIII.

VARIOS auctores proximo capite numerauiſſimus, qui legendi ſunt pro ijs quæſtionibus, quæ tractantur ad uim naturamque diuinam explicandam: nunc ſpeciatim eoſdem & alios recenſebimus, qui pro priuatis diſputationibus uideri poterunt. Atque initium a nominibus Dei ſumentes, de hac materia legendus eſt Dionyſius Areopagita lib. de diuinis nominibus. Damaſcenus libro primo de fide orthodoxa, cap. 1. 14. 15. & 16. Theodoretus libro 2. de curandis græcannicis affectionibus, Epiphanius in ſua capſula medicinali contra hæreſes, Theophilus libro 1. cõtra Autolycum, Anaſtaſius Sinaita libro 6. in hexameron, Euchymius Zigabenus in Panoplia parte 1. titulo quincto. Atque hactenus de Græcis. Ex Latinis Tertullianus lib. de Trinitate, Ambroſius libro 2. & 5. de Trinitate, Auguſtinus in libris de Trinitate uarijs in locis, & ſpeciatim lib. 5. cap. 15. & 16. lib. 7. capite 34. libro 12. capite 15. lib. 15. cap. 5. & libro 8. de Ciuitate Dei cap. ſexto. Hieronymus epiſtola ad Marcellam cap. 7.

cap.7. & in Ieremiam cap.32. Alcuinus, ſiue Albinus libro de nomin. Dei. Multa de nominibus Dei ſcripſerunt Hebræi, quæ uidere poteris apud Galatinum in libris, qnos contra Hebræos ſcripſit, & apud Finum Ferrarienſem in ſuo Flagello contra eoſdem, & apud Petrum Galeſinum in ſuis annotationibus in hiſtoriam Sulpitij. De nominibus Dei Diuus Thomas ſpeciatim in prima par. ſummæ quæſt.13. & lib. 1. contra Gentiles capite 30. & ſequent. Diuus Antoninus in ſumma parte.3. titulo.30. Scholaſt. lib.1. ſent.d.22. & 26. Frater Archangelus lib. de nominibus Ieſu, Bartholomæus Anglicus lib. de proprietatibus rerum naturalium, a capite 13. ad 21. ubi agit etiam de nominibus Chriſti. Habes etiam quædam apud Gyraldum Syntagmate primo de Dijs gentium, & apud Cœlium Rodiginum libro primo. De recta nominum ratione diſputauit Plato in Cratylo, & ibi Ficinus.

Quod attinet ad uarias deſcriptiones Dei, hi auctores aliquo pacto Deum, qui tamen nulla oratione circumſcribi poteſt, deſcribere conati ſunt. Tertullianus lib. de Trinitate, & in libr. primo contra Marcionem, Marius Victorinus Apher lib. de generatione diuina contra Candidum Arrianum, & libro primo contra Arrium, Arnobius lioro primo contra Gentes, Auguſtinus in Manuali capite 1.& 2. libro de cognitione ueræ uitæ cap.7. Sermone 1. de uerbis Domini, lib. primo Confeſ. cap.7. Hilarius lib. de vnitate Patris & Filij. Iuſtinus Martyr in colloquio cum Triphone Iudæo, & in q. 139. ad Orthodoxos, Cyrillus Alexandrinus lib.1. contra Iulianum apoſtatam. Lege Euthymium in Panoplia par.1. tit.3. vbi admirabilem inuenies deſcriptionem ſanctiſſimæ Trinitatis, ex diuo Maximo: eſt etiam locus egregius in lib. de Myſtagogia cap.24. Quaſdam philoſophicas deſcriptiones videre poteris apud Iuſtinum martyrem in lib. de Monarchia, & in Admonitorio, ac etiā apud Clementem Alexādrinum in lib. Stromatum, atque apud Lactantium Firmianum lib.1. diuinarum inſtitutionum. Conſule etiam Triſmegiſtum ſermone quincto. Pulcherrimas Dei deſcriptiones ex effectis ſumptas, inuenies apud Iob cap.5.9. & 12.



De quæſtione, qua quæritur an Deus ſit, hi ſcriptores priuatim conſulendi ſunt. Dionyſius Areopagita cap. 7. de diuinis nominibus, Clemens Alexandrinus oratione contra Græcos, Iuſtinus libro de Monarchia, Cyrillus Alexandrinus lib. 3. contra Iulianum, Damaſcenus lib.1. de fide cap.1. & 3. Baſilius homelia 1.2.6.10.& 11. in hexameron. Olympiodorus in Eccleſiaſten, Chryſoſtomus homel.9.& 10. ad populum Antiochenum, locus eſt ampliſſimus: Maximus lib.1. Centuriarum. Lege Euthymium in Panoplia tit. primo. Irenæus lib. 1. cap. 9. Arnobius libro 2. 3. & 6. contra Gent. Lactantius Firmianus

mianus lib.1. cap.2. & ſequent. Auguſtinus lib. 15. de Trinit.cap.4. & lib.8.cap.6.lib.de verbis Domini cap.35.& libro de Spiritu & litera cap. 2. Diuus Hieronymus cap.36.in Iob, & lib.11. in Iſaiam, Anſelmus ex profeſſo in libro pro inſipiente,lib. contra inſipientem,in Monologio,& Proſologio,Gulielmus Pariſienſis parte ſecunda de vniuerſo,Sauonarola lib.de veritate fidei.Diuus Thomas lib. 1. contra Gentiles cap. 10. 11. 12. 13.& 14. Scholaſtici apud Magiſtrum ſent. lib.primo, diſt. tertia. Ariſtoteles lib.12. Metaphyſ.& ibi eius comment.& lib.8.Phyſicorum, M. Tullius lib. de natura Deorum. M. Anton. Natta libro 1. vbi eleganter hoc demonſtrat.

*Recenſentur varij auctores legendi pro varijs attributis diuinis. Cap. V.*

De attributis diuinis legendi ſunt auctores quos hactenus citaui: ſpeciatim Anſelmus in Monologio, & Proſologio, vbi eleganter & copioſe omnia proſequitur, Diuus Thomas prima par.& Henricus par. ſecunda. Verum vt aliquot loca priuatim videri poſſint, quædam priuata loca pro nonnullis attributis tractandis breuiter adijciam. Quod Deus ſit incorporeus, Dionyſius Areopagita de diuin. nominibus cap. 12. & 14. Cyrillus Alexandrin. lib. 2. dialogorum de Trinitate,cap.8.& lib.7.Origenes lib.1. Peri archon, & lib.7. contra Celſum. Iuſtinus

q.146.



q. 146. Theodoretus in Epitomis diuinorum, lib.5.cap.1. Damaſ.lib.1.de fide. cap.19. Auguſtinus epiſtola.58.& 111.lib.6.de Trin.& lib.7. cap.1. 2. 3. & 5. lib.4. Confeſ. cap.16. Hilarius lib.6.7.& 8. de Trinit. Anſelmus in Monologio capite 6. & 27.& in Proſologio cap.17.Bernardus ſerm.80.in cant.Euthymius in Panoplia tit. 3.Dionyſius Carthuſian. in ſuis opuſcul. Beatus Thomas lib.1.contra Gentiles, c.15. & ſequent. Scholaſtici lib.1. ſent.diſt.19.Marſilius Ficinus. Auguſtin.Steuchus lib.3.& 4.de perenni philoſ. De membris Deo attributis.Eucherius Lugdunenſ. epiſc. lib. 2. D. Hieronym. tom.4.Anſelmus,lib. de hac re. Conradus Brunus.

Deum carere accidentibus, Origenes lib. 1. Peri archon cap.6. Auguſt. lib.5. de Trin. cap.1. 4.5.& 16.

Deum eſſe ſuam eſſentiam Hilarius lib. 7. & 8. de Trinit. Auguſt.lib.15.de Trinit.cap.17. & lib.11. de Ciuit.Dei cap. 20. Anſel. in Monologio.cap.24.Boethius lib.1.de Trin. c.3. Bernardus epiſt. 80.Diuus Thomas lib.1.contra Gentiles cap. 23.

Deum eſſe ſimplicem,Concilium Lateranen. cap. Firmiter, de ſumma Trinit.& fide catholica, Gregorius Nyſſenus lib. de creatione hominis,cap.6.Auguſ.lib.7. de Trin.cap.6.& 7.lib.4. de ciuit. cap.10. 11. & 12. Item epiſt.85. Hugo S.Victoris libro de ſimplicitate Dei.D.Thomas. q.7.de potentia in quæſt.diſputatis, & lib.1.cõ-

Zz 2 tra

tra Gentiles, Anſelmus locis ſupra citatis, Schol. 1. ſent. diſtin. 8.

De perfectione Dei, quod omnium reru͂ perfectiones ſint in Deo, Dionyſius, cap. 5. de diuinis nominibus. Damaſ. lib. 1. de fide, cap. 8. Auguſt. ſerm. 4. de verbis Domini, lib. 5. ſuper Geneſi ad literam, Anſelmus in Monologio cap. 15. & 33. & in Proſologio cap. 35. De bonitate Auguſt. lib. de natura boni, lib. 8. de Trinit. cap. 3. Anſelm. in Proſol. cap. 14. & 15. Damaſ. lib. 1. cap. 5. Euthym. in Panoplia.

De infinitate Dei, Dionyſius, cap. 8. 9. & 12. de diuinis nominibus, Damaſ. lib. 1. de fide, c. 16. Auguſt. lib. de fide ad Petrum, cap. 12. libro de Speculo. cap. 33. Hilar. de Trinit. poſt principiu͂, Alcuinus, ſiue Albinus, lib. 1. de Trinit. cap. 14. & lib. 2. cap. 4. Lege Auguſtinum Steuchum, de perenni philoſophia, vbi multa de ſententia Philoſophorum. Anſel. in Monologio, c. 35. in Proſologio, c. 13. Caietanus in opuſ. de infin. Dei.

De exiſtentia Dei in rebus, an Deus ſit vbiq;, Dionyſius, cap. 13. de diuin. nomin. Athanaſ. lib. 3. de Trinit. Origenes lib. 1. in Iob, & lib. 1. contra Celſum ſub initium: Cyrillus Alexand. lib. 1. Theſaur. cap. 7. & lib. 8. contra Iulianum, Damaſcenus lib. 6. cap. 16. Auguſt. lib. 1. Confeſſionum cap. 2. & 3. qui locus eſt illuſtris, & lib. 7. cap. 5. libro de fide ad Petrum cap. 13. epiſt. 57. lib. 7. de Trinit. cap. 50. lib. de Speculo, cap. 20. & 23. Paulus Aquileie͂ſis epiſcopus lib. de fide. Agnellus lib. de fide: Anſelmus late in Monologio, cap. 19. 20. 21. Euthymius in Panoplia, par. 1. tit. 3. Franciſcus Georgius tomo 2. Cantico 2. cap. 1. vbi late: Auguſtinus Steuchus lib. 4. de perenni philoſophia, cap. 7. Scholaſtici lib. 1. ſenten. diſt. 36. & 37.



Deum eſſe immutabilem, Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap. 15. Boethius lib. 5. de Conſolatione philoſophiæ proſa vltima. Anſelmus in Monologio cap. 24. Scholaſtici 1. ſent. diſt. 8.

De vnitate Dei, quod non ſint plures Dij, Dionyſius cap. vlt. de diuinis nominib. Iuſtinus martyr in admonitorio, Clemens Alexandrinus oratione contra Græcos, Epiphanius varijs in locis contra hæreſes, Euſebius Cæſarienſ. de præparatione Eua͂gelica lib. 13. & 14. Damaſ. lib. 4. cap. 21. Lege Euthymium in Panoplia par. 1. tit. 1. Irenæus lib. 4. cap. 1. Lactantius Firmian. lib. 1. Arnobius lib. contra Gentes, Tertullianus lib. 1. contra Marcionem: Cap. Firmiter de ſumma trinit. & fide cathol. De vnitate & vno Boethij liber.

*De cognitione Dei, qua a nobis, & a beatis cognoſcitur: & an vnquam eius eſſentia a viatore viſa fuerit. Cap. VI.*

MVLTA de cognitione noſtra, qua Deum cognoſcimus habes apud Euthymium in Panoplia par. 1. tit. 4. De qua Gregorius Nazian-

zenus oratione in natalem Domini, oratione de Theologia, & iambico decimooctauo. Chryſoſtomus homelia qua demonſtrat Deum a nobis comprehendi nō poſſe, & homelia decimaquarta in Ioannem, Baſilius contra Eunomiū, Epiphanius hæreſi 36. Cæſarius Gregorij Nazian. Frater dial. 1. Iuſtinus colloquio cum Triphone, & q. 6. ad orthodoxos, Cyrillus lib. 9. in Ioannem cap. 36. Damaſ. lib. 2. de fide, cap. 1. 2. & 4. Clemens Romanus epiſt. 1. Auguſtin. epiſt. 111. & ſequentibus, lib. 22. de ciuit. cap. 29. & 30. lib. de prædeſtin. ſanct. cap. 5. to. 7. lib. 1. Confeſ. cap. 1. Hieronymus lib. 2. contra Iouinian. & lib. de expoſitione ſymboli, Gregorius lib. 4. moral. c. 42. Bernardus epiſtola ad Gulielmum Abbatem. Expoſitores ſacræ ſcripturæ, in illud, in domo Patris mei manſiones multæ ſunt: & illud Pauli, Inuiſibilia Dei, &c. & in illud, ſicut ſtella differt a ſtella in claritate. Ioannes [redacted] lib. contra Arrianos ortos in Polonia. Scholaſtici in 4. ſent. vbi agunt de beatitudine & 1. ſent. diſt. 3. Concilium Lateran. ſub Innocentio III. Clementina ad noſtrum de hæreticis: Capite ad apoſtollicam de presbytero non baptizato. Concilium Baſilien. ſeſſ. 22. diuus Thoma lib. 3. contra Gentiles, cap. 42. & 63.

Pro queſtione, an aliquis in hac vita Dei eſſentiam viderit, Dionyſius Areopag. cap. 21. de myſtica theologia, Chryſoſtomus hom. 14. in Ioannem, Gregorius Nazianzenus lib. 2. ſuæ Theologiæ,



Cyrillus lib. 1. in Ioan. c. 22. & lib. 9. cap. 36. Origenes lib. 1. Peri archon cap. 4. Gregorius lib. 18. Moralium, cap. 37. & 38. Alcuinus lib. 2. de trinit. cap. 16. Ambroſius lib. 1. in Geneſ. cap. 2. Auguſtinus epiſt. 112. & lib. 12. ſuper Geneſim ad literam, cap. 27. & 28. Baſilius hom. 1. in hexameron, Euariſtuss Papa epiſt. 1. decretali to. 1. Conclliorum Damaſ. in Carmin.

### *De ſcientia præſcientia Dei, & ideis.* *Cap. VII.*

De ſcientia Dei præter ſcholaſticos ſcriptores, qui de ea fuſe diſputant in libro primo ſentent. Legendus eſt Dionyſius Areopagita, cap. 7. de diuinis nomin. Auguſt. lib. 83. qq. quæſt. 46. lib. 11. de ciuit. Dei, cap. 21. & lib. 5. de Trinit. Diuus Thomas lib. 1. contra gentiles a cap. 44. vſque ad 71. Magiſter 1. ſent. diſt. 39. De ſapientia diuina Ægidius Rom. Deum cognoſcere futura, Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, Auguſt. lib. 5. ſuper geneſim ad literam cap. 15. libro de fide ad Petrum cap. 33. libro 5. de ciuit. cap. 9. & libro 11. cap. 21. lib. 25. de Trin. cap. 7. Sermone 11. de uerbis Apoſtoli, Chryſoſt. hom. 18. in primum cap. Ioannis, Origenes lib. 8. Peri archon. cap. 2. Boethius lib. 5. de conſolatione philoſophiæ proſa ultima, Ambroſius lib. 5. de fide ad Gratianum cap. 8. Deum cognoſcere ſingularia late demonſtrat

ex philoſophis Steuchus lib.4. de Perenni Philoſ.cap.6.& 9. & libro 3.cap.3.

De præſcientia Dei, Euſebius Cæſarienſ. libro 6. de Præparatione euangelica, Boethius lib.5. de conſolatione philoſophiæ, Auguſtin. lib.5. de ciuitate Dei cap.8. libro 3.de libero arbitrio, Anſelmus libro de concordia præſcientiæ cum libero arbitrio, Ioannes Picus lib.4. contra Aſtrologos. Alios auctores uide infra in materia de prouidentia & prædeſtinatione. Diuus Thomas in quæſt.diſputatis de ueritate. Scholaſt.1.ſent.diſt.38. Æneas Syluius.

De ideis, Dionyſius Areopagita cap.5.de diuinis nominibus, Euſebius Cæſarienſis lib.11. de Præparatione cap.1. Auguſtin. lib.83. quæſtionum q.46.& libro 12.de Ciuit. Dei cap.26. Hēricus quodlibeto. 7.q.8.Herueus quodlibeto 1.q.3. Alcinous libro de doctrina Platonis, Gulielmus Pariſienſis parte 2. de uniuerſo, Franciſcus Georgius fuſe tomo 1. cantico 2. cap.6. Sholaſtici lib.1.ſent. diſt.35. vſque ad 39. Diuus Thomas quæſt.3.de ueritate. De ideis, & de Deo Gregorius Gemiſtus.

*De potentia Dei, & nonnullis alijs attributis. Cap. VIII.*

DE potentia Dei doctores ſcholaſtici lib.1. ſenten. diſtin.42.43. & 44. &c. Albertus in ſumma, Diuus Thomas prima par. ſummæ quæſt.



quæſt.25. contra Gent. lib.2. cap. 7. & ſequen. & cap. 22. & in diſputatis quæſtionibus, De potentia Dei. quæſt.1. per 7.articulos. Anſelmus in Proſol. cap. 7. Hugo de Sancto Victore lib. de operibus trium dierum, Paulus Corteſius in ſua Theologia. Sauonarola lib.3. Petrus Damianus epiſt.4. Ioan. Scotus in quodlibetis. 7. 9. & 10.

De veritate, Auguſtinus lib.2. Soliloquiorũ, libro de vera religione, libro de veritate, Anſelmus opuſculo de natura ueritatis. Scholaſtici in 1.ſent.diſt.19. Henricus in ſumma articulo 34. & quodlib.3. Diuus Thomas quæſt.1. de verit. in diſputatis. Marſi. Ficin.

De vita Dei, Magiſter ſent. lib.1. diſt.36. & ibi Scholaſtici. Diuus Thomas lib.1. contra Gent. cap. 97. 98. De iuſtitia Dei Anſelmus in Proſologio cap.9. & 10. In omnibus operibus Dei reperiri miſericordiam & iuſtitiam, idem eodem lib.cap.10. Paulus Burgenſis in ſuo ſcrutinio diſtin.5.cap.9.ubi multa.

De voluntate Dei, Dionyſius Areop. de diuin.nomin.cap.4. Cyrillus Alexandrin. contra Iulianum lib.3. & libro 6. dialogorum Damaſ. lib.2.de fide orthodoxa cap.29. Tertullian.lib. de Trinit. Auguſtin. lib.3. de Trinit. cap.4. In Enchiridio ad Laurentium a cap.95. ad 108. libro 22.de ciuit. cap.2. Albertus in ſumma, Diuus Thomas contra Gent. libro 1. a cap.72. ad 90. in quæſt.23. de veritate. Anſelmus libro

bro de voluntate Dei, Nicolaus de Cuſa, in ſuis operibus. Henricus in ſumma, Paulus Corteſius in ſua Theologia. De poteſtate & voluntate Dei Hugo S. Victore lib. 2. Scholaſt. lib. 1. ſent. d. 45. 46. 47. 48.

De amore Dei, Scholaſtici lib. 1. ſent. diſt. 23. & 3. ſent. diſtin. 32. Diuus Thomas prima par. ſummæ. & lib. 1. contra Gent. cap. 91. Ficinus lib. 2. de Theologia platonica. Raynerius in pantheol. De beneficijs Dei. Dionyſius Carthuſ. Raymundus Sebun. lib. 2.

De miſericordia Dei Cyrillus lib. 5. contra Iulianum, Henricus de Haſſia in Soliloquio, Saluianus lib. de prouidentia, Raynerius, Io. Gerſon, tomo 3. Ioan. Driedo lib. de capt. & redemp. Generis humani Chryſoſtomus tom. 2. Scholaſt. 1. ſenten. Anſelm. in proſologio cap. 8. & 12.

## *De prouidentia & prædeſtinatione.* *Cap. IX.*

DE prouidentia, & præſcientia Dei, in toto fere libro Iobi diſputatur de diuina prouidentia, & Pſalmo 103. Gregorius Nazianzenus carmine iambico de prouidentia, Gregorius Nyſcenus lib. 8. de creatione, locus ampliſſimus, Chryſoſtomus de prouidentia & fato, Homel. ad populum Antiochenum, Theodoreti ſermones decem de prouidentia, & lib. 6. de



de curandis Græcanicis affectionibus, in epitomis diuinorum decretorum cap. de prouidentia, Iuſtinus martyr libro de Monarchia, Damaſ. lib. 2. de fide orthod. cap. 29. Theophilus Alexandrinus libro 2. Ambroſ. lib. de officijs, in primo tomo, Auguſtin. lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 9. 10. & 11. & lib. 7. cap. 29. & 30. libro 5. ſuper Geneſi ad literam cap. 21. Hieronymus in Hieremiam cap. 32. Saluiani Maſſilienſis epiſcopi libri 8. Gulielmus Pariſienſis libro de vniuerſo, parte prima. Albertus magnus in ſumma, Diuus Thomas lib. 3. contra Gentiles a cap. 64. ad 83. item cap. 94. & 95. quæſt. 5. de uerit. Dionyſius Carthuſian. tomo 1. opuſculorum, Sauonarola lib. de veritate fidei, M. Antonius Natta lib. 10. & 11. Ioannes Salebrienſis lib. 2. Petrus Emotte lib. de prouid. & prædeſtinat. Ex philoſophis Cicero lib. 2. de natura Deorum, Simplicius in Epictetum, Alexander Aphrodiſienſ. lib. naturalium quæſt. & lib. de fato, Plato in Timæo, & lib. 10. de legib. Plotinus ennæade tertia, Alcinous de doctrina Platonis, Beſſario libro contra Calumniatores Platonis, Ficinus lib. 2. de Theologia Platonica, Cælius Rodiginus lib. 22. cap. 33. & Iulius Scaliger. Auguſt. Steuch. de perenni philoſ. Philo Iudæus. Ioan. Fan. Picus. Seneca, Antonius Palearius lib. de prouidentia.

De prædeſtinatione ſpeciatim expoſitores in cap. 8. & 9. in epiſt. ad Romanos, ut Chryſoſtomus,

mus, Origenes, Theodoretus, Oecumenicus, Iacobus Sadoletus, & alij, ac etiam in quædam Euangeliorum loca, ubi de prædeſtinatione fit mentio. Auguſtinus lib. de prædeſtinat. & gratia, de prædeſtinat. ſanctorum, de bono perſeuerantiæ, de gratia & libero arbitrio, lib. de correctione & gratia, epiſtola 105. & 107. ad Simplicianum. quæſt. 2. in Enchiridio, c. 49. & libro in quo reſpondet ad articulos propoſitos. Hieronymus ad Hedibiam quæſt. 10. & lib. 1. epiſt. Damaſ. lib. 2. de fide. cap. 30. & lib. 4. cap. 22. Ambroſius in libris de uocatione Gentium, Hilarius epiſtola ad Auguſtinum, Proſper epiſtola ad eundem, Fauſtus lib. 1. & 2. de gratia, Fulgentius de veritate prædeſtinat. lib. 2. & de prædeſtin. lib. 3. ad Monimum. Anſelmus libro de concordia præſcientiæ & prædeſtinat. Albertus in ſumma parte 1. Henricus in ſumma quæſt. 4. art. 9. & quæſt. 5. art. 5. Diuus Thomas in quæſt. diſp. de verit. & lib. 3. contra Gent. cap. vlt. Ægidius Rom. lib. de prædeſt. Bertramus Presbyter lib. de prædeſt. Dionyſius Carthuſ. libro 1. ſuorum opuſculorum uerſus finem, Ambroſins Cather. lib. de prædeſtin. & in apologia contra Sotum, Sotus in apologia contra Catherinum. Decanus Louanienſis libro 1. art. 2. Roſenſis in ſuis articulis contra Lutherum, Iacobus Naclantus in epiſtolam ad Epheſios, Beneuent. contra Calu. Sixtus Senenſis libro 6. Bibliothecæ ſanctæ, adnotatione 224. Ioan-



Ioannes de Bononia lib. de prædeſtinat. & reprobatione. Matthæus de Cracouia libri 7. de prædeſtinat. Coſmi Philiarchi Piſtorienſis de Cauſſa prædeſtinationis, Cardinalis Contarenus in ſuis operibus, M. Antonius Mazaronius, lib. de prædeſtinat. excuſſus Peruſiæ, Paulus Corteſius in ſua Theologia, Alphonſus Mendozza in ſuis queſtionibus quolibeticis. Ioannis Echij centuriæ ſex. Ioannes de Franicfordia, libro de prædeſtinat. Scholaſtici primo ſenten. diſtin. 40. 41. & 42.

## *De myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis. Cap. X.*

PRo hac ampliſſima & altiſſima materia de Trinitate legenda ſunt in primis hæc potiſſimum concilia, Nicænum in præambulis, & actis poſt concilium, Syrmienſe ſub Iulio Papa, Aquileienſe ſub Damaſo primo, Tertia ſynodus in preambulis, Toletanum undecimum, & non nulla alia varijs in locis celebrata, donec viguit hæreſis arriana. Concilium Lateranen. ſub Innocentio III. Capite Firmiter, de ſumma Trinit. & fide catholica. Deinde epiſtolæ decretales horum Pontificum, Alexandri primi epiſt. 1. decretali ad omnes orthodoxos, Agatonis, quæ habetur ſynodo 6. action. 4. Hormiſdæ epiſt. 1. & Liberij acta de confeſſione Trinitatis. Poſtea, hi patres, Athanaſius in

in libris de Trinit. & vnitate & deitate, epiſtola ad Epictetum, & ad epiſcopos Aphros, & in ſymbolo ab Eccleſia approbato, & fere, omnia eius opera. Clemens Alexandrinus nonnihil de hac re lib. 5. Stromatum, Baſilius libro de fide Trinit. ad calumniatores de tribus dijs, lib. contra Eunom. lib. de Spiritu ſancto, & epiſtola ad Gregorium fratrem, Origenes dialogo de recta in Deum fide, & lib. 1. Peri archon. c. 2. hom. 2. in diuerſos. Epiphanius in Ancorato, & varijs in locis contra hæreſes, & ſpeciatim hæreſi 65. & 76. Cyrillus Alexandrinus in libris theſaurorum & libro, Quod Spiritus ſanctus ſit Deus: in libris dialogorum de Trinitate, lib. 1. & 8. cõtra Iulianum, & in expoſitione Concilij Niceni. Chyſoſt. tomo 5. operum eius, Iuſtinus martyr lib. de Trin. & in quæſtionibus ad orthodoxos, q. 139. Gregorius Nazianz. oratione de Spiritu ſancto, & in orationibus de Theologia, de natali domini, & ſtatu Epiſcopali, eiuſdem nonnulla carmina, vbi multa de hac materia. Cæſarij dialogi tres, qui habentur poſt opera Gregorij, Didymus lib. de Spiritu ſancto, Theodoretus de curandis græcanicis affection. lib. 2. Gregorius Nyſſenus lib. de ſancta Trinitate, libro, Tres dici Deos non oportere, lib. de fide, ſiue de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, lib. de Trinit. aduerſus Iudæos. Damaſcenus lib. 1. de fide orthodoxa. cap. 6. 7. & ſequent. & cap. 18. Ignatius epiſtola ad Philippenſes, Leontius aduocatus Bizãtius, Proclus



clus Conſtantinopolit. Epiſcopus libro de diuinitate Filij, Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus epiſtola ad Sergium, quæ habetur in 6. Synodo, locus omnino legendus. Lege Euthymij Panopliam par. 1. tit. 2. & par. 2. varijs titulis. Iuſtiniani Imperatoris fides, Theoriani Methodoxij colloquium cum Arrianis, Gennadius Scholaris Patriarcha Conſtantinopolit. lib. qui via ſalutis hominum inſcribitur. Ambroſius lib. 5. de fide. Auguſt. in lib. 15. de trin. & contra Maximinum; lib. de trinit. & vnitate Dei, epiſt. 66. 86. 150. & 174. Tertullian. libro contra Praxeam, Fauſtus Epiſcopus lib. de fide contra Arrium, & libro de duabus naturis ad Traſimundum, Alcuinus in tribus libris de trinitate, locus omnino legendus, Boethius lib. de ſancta trinit. & lib. de vnitate trinitatis, Bedæ commentaria. Anſelmus in Monologio a cap. 29. ad caput 63. Iſidorus, de ſancta trinitate, libro primo, & epiſtola ad Cyrillum: Fulgentius libro de ſancta trinitate: & lib. de immenſitate Filij Dei, Cerealis epiſ. Apher lib. cõtra Maximinum, Victor epiſcopus lib. de ratione fidei ad inſtantiã Hunſerici Regis Vandalorum, Eugenius Epiſc. Carthaginen. lib. de fide & ſancta trinit. Anſelmus in Monolog. Paulinus Aquileienſis Epiſc. libro ad inſtantiam Caroli. Peregrinus Laureacenſ. Epiſcopus, Idacus Hiſpanus contra Varimandũ, qui auctor ex diuinis literis præcipue diſputat, Ruſticus Diaconus libro contra Acephalos, Gregorius

gorius Beticus, cuius meminit Hieronymus de viris illuſtribus, in libro de fide, Prudentius in 2. lib. de ſancta trinitate, Hilarius libris de trin. & lib. de Patris, & Filij vnitate, Maxentij dialogus de hac re, Marij Victorini lib. 4. contra Arrium, lib. hymnorum de ſancta trinit. lib. de homouſio. Haymo in lib. de ſancta trinit. Richardus de ſancto Victore lib. 6. de trinit. lib. de tribus appropriatis perſonis in trin. lib. quod Spir. ſanct. eſt amor Patris & Filij. Scholaſt. lib. 1. ſent. Diuus Thomas. q. 9. & 10. de potent. latiſſime & exactiſſime proſequendo ſingulos errores: lib. 4. contra Gentiles a cap. 2. ad 26. Ioannes Docæi lib. de æterna Filij generatione, & temporali natiuitate, Gilbertus Genebrardus de trinit. lib. 3. contra modernos Trinitarios, Hieronymus Zanchius lib. de tribus Eloim, contra Seruetanos, Petrus Carolinus contra modernos errores de trinitate, & vno vero Deo, Dionyſ. Carthuſ. lib. 2. de fide cath. Rupertus, de S. Victore de trin. in vetus teſt. lib. 42. Io. Scotus in quolibetis, Nicolaus de Cuſa in cribratione Alcorani, Thomas Vualdenſis lib. 1. art. 2. Oratio de Trinit. & Sapientia diuina Cœlij Calcagnini. Denique quidam auctores, qui ſpeciatim ſcripſerunt contra Iudæos, Galatinus, Finus Ferrarienſis, qui multa de hac re libro octauo, Victoria Porchetti. Cœlius Rodigin. lib. 1. Auguſt. de peren philoſ. Ludouic. Viues lib. 2. de verit. Fidei, Marſil. Ficin. Ex hiſtoricis, Euſebius in hiſt. Eccleſ. Tripartita lib. 1.



lib. 1. cap. 14. Theodoretus lib. 1. ubi fuſe. Nicephorus lib. 6. cap. 26. libro 8. cap. 51. libro 9. cap. 49. & lib. 14. cap. 13.

De diſtinctione naturę & hypoſtaſis ſpeciatim agunt hi ſcriptores; Baſilius epiſtola ad Gregorium fratrē, & epiſtola ad Euſtathium, Gregorius Nyſſenus lib. de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſis. Damaſcen. lib. 3. de fide cap. 4. & libro de decretis & placitis, & primæ inſtitutionis. Leontius aduocatus lib. de hac re, Epiphanius hæreſi 73. Secunda ſynodus Nicæna actione 6. Iuſtinianus Imperator in ſuo edicto tomo 1. Conciliorum. Diuus Hieronymus de hypoſtaſi ad Damaſum. Liberatus in ſuo breuiario, in tomo 2. Concil. Boethius lib. de duabus naturis, Scholaſtici lib. 1. ſent. diſt. 23. & 26. & lib. 3. diſt. 3. Ioan. Baconus lib. 3. diſtin. 11. Diuus Thomas lib. 2. contra Gentiles cap. 52. Opuſculo de ente & eſſentia cap. 5. Caietan. opuſ. de ente & eſſent. Henricus quolib. 1. quæſt. 89. & quolib. 10. quęſt. 7. Paulus Sonzin. in lib. 4. Metaphyſices.

De verbo, priuatim legendus eſt Cyrillus lib. 7. Theſaurorum, & lib. 3. cap. 3. lib. 2. de Trinit. Damaſ. lib. 1. cap. 8. Auguſt lib. 9. de Trinit. cap. 7. 10. & 11. & libro 15. a cap. 10. ad 15. Anſelmus in Monologio cap. 43. Scholaſtici lib. 1. ſent. diſt. 27. Diuus Thomas lib. 1. contra Gentiles capit. 53. & opuſculo 13. & 14. Ægidius quod. 5. quæſt. 9. Nicolaus de Cuſa.

De ingenito, Athanaſius lib. de decretis Synodi Nicænę, Baſilius contra Eunomium, Gregorius Nazianzenus orat. prima de Filio, Cyrillus libro 2. Theſaurorum cap. 2. lib. 12. cap. 1. libro 2. de Trinitate, Epiphanius hæreſi 79. Damaſc. lib. 1. de fide cap. 9. Euthymius in Panoplia tit. 11.

Quod Spiritus ſanctus ſit a Patre & a Filio, Concilium Epheſinum in epiſtola Cyrilli, Cyrillus lib. 2. ad Reginas, & libro de recta in Deum fide ad Theodoſium, Concilium Florentinum, Cardinalis Beſſario in oratione habita in concilio Florentino, Anſelmus lib. de proceſſione Spiritus ſancti contra Gręcos, Paſchaſius Romanæ Eccleſiæ diaconus contra Græcos lib. 3. Diuus Thomas lib. 4. contra Gentiles, cap. 24. & opuſculo contra errores Græcorum. & opuſ. tertio. Armacanus lib. 6. quæſtionum Armenicarum, Auguſtinus de Ancona libro de Spiritu ſancto contra Græcos.

Sententiæ, ſeu exempla quædam, quibus explicatur myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis. Baſilius epiſtola 44. Gregorius Nazianzenus oratione de Spirituſancto, Diuus Maximus apud Euthymium in Panoplia, locus omnino legendus, Iuſtinus quæſtione 139. ad Orthodoxos, Sophronius epiſtola ad Sergium, Tertullianus libro contra Praxeam, Marius Victorinus Apher libro contra Candidum Arrianum, Pelegrinus Laureacenſis epiſcopus. Paulinus Aquileienſis



leienſis epiſcopus cõtra Felicem Vergilitanum, Zeno Veronenſis epiſcopus lib. 3. ſuorum ſermonum ſer. 1. 2. & 3. Ferrandus Diaconus in pedagogo militari.

### *De creatione, operibus ſex dierum, mundo, & natura boni & mali. Cap. XI.*

PRO his materijs legendi ſunt expoſitores in prima capita Geneſis, & ſpeciatim Ambroſius, Baſilius, Chryſoſtomus, Eucherius, Anaſtaſius Sinaita, & Lypomani Cathena in Geneſim. De creatione Orig. lib. 2. Peri archon. Claudius Mamertus Vienenſis, Fauſtus libro de creatione, Gregorius Nyſſenus libro de creatione, Theodoretus lib. 2. de curandis Græcanicis affectionibus, Damaſc. lib. 2. de fide uarijs in locis, ubi de mundo, de ſæculo, &c. Cyrillus in libris contra Iulianum, Epiphanius hæreſi 25. 26. & alijs in locis in ſua capſula, Philo Hebræus libro de mundo, Auguſtin. lib. de Geneſi ad literam, lib. de fide & ſymbolo, & lib. 2. contra Iulianum, Euſebius Cæſarienſis in libris de præparatione Euangelica, Euthymius in Panoplia tit. 6. & 21. Scholaſtici in 2. ſenten. Albertus in ſumma parte 2. Alexander Halenſis parte 2. Gulielmus Pariſien. lib. de vniuerſo parte 2. Diuus Thomas lib. 2. cõtra gen. c. 15. 16. &c. & in prima parte a quæſt. 66. in quæſtion. diſputat. de ueritate q. 4. & 5. De mundi creatione

ex ſententia Ariſt. Bernardinus Calellus. De æternitate mundi opuſ. 27. Auguſtinus Steuchus de Perenni philoſophia lib. 7. vbi multa ex philoſophorum ſententia, & in coſmopœia: Dionyſius Carthuſian. multa in ſuis opuſculis, ad has materias pertinentia, & ſpeciatim de venuſtate mundi. Franciſcus Georgius multa in ſuis Canticis uarijs in locis, Philoſophi in lib. 3. Phyſicorum.

Deum non creaſſe naturas malas, Athanaſius lib. 6. de Trinit. Leo Papa epiſt. 91. Concilium Lateran. ſub Innocentio III. cap. Firmiter, de ſumma Trinit. & fide cathol. Concilium Bracharenſe primum. Baſilius hom. de hac re, Damaſcen. dialogo de duobus principijs contra Manichæos. & lib. 4. de fide cap. 20. Orig. lib. 4. contra Celſum, & alij auctores citati. De mundi vnitate Chryſoſt. in Geneſim, Methodius lib. de reſur. Iſidorus lib. 8. Etymolog. cap. 5. Scholaſt. 1. ſent. diſt. 41. & 46. Marſ. Ficin.

De bono, & malo, Dionyſius Areopagita lib. de diuin. nomin. ubi multa, Auguſtin. lib. de natura boni, & mali. lib. de fide cap. 21. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 9. libro de bono contra Manichæos cap. 33. In enchiridio cap. 12. & 13. libro 1. de libero arbit. & lib. 2. de moribus Eccleſiæ, Scholaſtici lib. 1. ſent. diſt. 46. & lib. 2. ſent. diſt. 26. Diuus Thomas quæſt. 1. de malo, in diſputatis: late etiam diſputat. de bono & malo, lib. 3. contra gentiles a cap. 3. ad 16. Albertus Magnus



Magnus de bono liber unus. Multa diſputat de bono, & pulchro Plotinus. Proclus in Alcibiadem Platonis. Philoſophi morales apud Ariſt. lib. 1. eth. cap. 1.

## *De Angelis, & Dæmonibus. Cap. XII.*

DE Angelis & Dæmonibus non nihil dicunt expoſitores in primum caput Geneſeos, Concilium Lateranenſe cap. firmiter, de ſumma Trinitate, & fide catholica, Dionyſius Areopagita late lib. de Cœleſti Hierarchia, Athanaſius, non ille magnus, ſed alius, in quæſtionibus ad Regem Antiochum, Baſilius libro de Spiritusſancto cap. 13. Gregorius Nyſſenus lib. de oratione dominica, & lib. de homine, Damaſcenus libro 2. ubi de creatione, Angelo, & Dęmone, Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 10. Tacianus Aſſyrius oratione contra Gręcos, Pſellius libro de Dęmonibus, Euſebius Cęſarien. lib. 4. cap. 5. de præparat. Euang. Theodoretus de Curandis gręcannicis affectionibus lib. 3. vbi de dæmonibus, & magia. Fauſtus lib. de creatione, Auguſtinus libro 11. & 12. de eccleſiaſticis dogmatibus, libro 9. 10. 12. de ciuit. Dei, & Ludouic. Viues in hæc loca, Item ſuper Geneſi ad literam lib. 2. cap. 17. lib. 3. cap. 10. Gregorius Papa lib. 5. Moralium cap. 32. lib. 17. cap. 7. libro 32. cap. 20. 24. & 26. lib. 37. cap. 20. 24. & 25. libro

bro 34 cap.4. & 14. & epiſtola 38. lib.4.& in Ezechielem. Sanctus Maximus centuria 4. numero 38. Hidelbertus epiſtola 37. Ioannes Beleth libro de ratione diuinorum cap.154. ubi de numero Angelorum. Anſelmus libro de caſu diaboli. Anaſtaſius Sinaita in hexameron, Franco Abbas lib.1. de gratia, Alexander Halenſ. par. ſecunda, quæſtio. 20. Albertus Magnus lib. de quattuor coçuis, & in ſecunda parte ſummæ, Altiſiodorenſ. lib.ſecundo,ſummæ. Paulus Corteſius lib.2. ſententiarum, Diuus Thomas in quæſtione 6. de potentia lib.2. contra Gent. a cap.46. per multa capita & lib.3. cap.109.& ſequent.De ſtrigibus Bartholomæus Spina Piſanus, Bernardus Comenſis, Franciſcus Ponzinus.De ſortilegijs, & diuinat.apud Gratianum in quæſtionibus diſput.26.q.1.2.3.4.& 5. De cognitione Angelorum, Ægid.Rom.Gulielmus Pariſien.parte 2.de uniuerſo,ubi latiſſime, & docte,Dionyſius Carthuſian. in ſuis opuſculis, & in commentarijs in Dionyſium Areopagitam.Cœl.Rodig. lib.2. Marſilius Ficinus in lib. de Theologia Platonica, Franciſcus Georgius, tomo 1.cantico 8.cap.7. cantico 3. tomo 3.cap. 2.& 3.Auguſtinus Steuchus de perenni philoſophia lib.7. cap.5.17. & lib.8. capite 32. & 38. Schol.lib.2.ſent.diſt.1.2.3.4. & ſeq. Franciſcus Patritius lib.8.de regno,& rep.titulo 2. Cœlius Rodiginus lib.2.Ioannes Vuierius lib.de præſtigijs, ubi multa de demonibus, Malleus maleficarum,





carum, Niphus libro de Dæmonibus,Bartholomæus ſybilla in Speculo peregrinarum quæſtionum.Ariſtoteles, & philoſophi in lib.12. Metaphiſices. De Angelorum erga nos cura F. Felicianus Capitonus part.1.explicat.31.part.2. explicat. 30. deque eorum creatione par.3. explicat. 69. locorum communium utriuſque teſtamenti. Bartholomæus Caſſaneus in catalogo gloriæ mundi par.4.latiſſime de Angelis.

## *De hominis creatione, lapſu, & de anima.* *Cap.* *XIII.*

De hominis creatione, & de ijs quæ ad eius ſtatum, & lapſum pertinent, legendi ſunt expoſitores omnes in Geneſim, & Scholaſtici in librum 2. ſenten. diſtin.20. & ſequen. Diuus Thomas in prima par. a quæſtio. 75. per multas quæſtiones, in quæſtionibus diſputatis quæſtio.43. de ueritate, ubi de anima, Gregorius Nyſſenus lib. de creatione, ubi de creatione, immortalitate, & dignitate hominis. Theodoretus lib.5. de curandis grecanicis affectionibus. Ireneus lib.3. contra hæreſes, cap. 37. Chryſoſtom.hom.de creatione tomo 5.Euſebius Ceſarienſis lib.7. de præparat. Euangelica, Cyrillus lib.2. & 3. contra Iulianum, Epiphanius hæreſi 63. Damaſ. lib.2. cap.12. & libro quomodo homo ſit factus ad ſimilitudinem Dei. Lactant. Firmia.de opificio Dei, Lud.

Viues lib. 1. de verit. fidei. Gulielmus Pariſien. parte 2. vbi multa, Alexander Halenſis parte 2. ſummæ, & Albertus lib. de homine, & lib. de orig. animæ. Auguſtin. lib. 13. & 14. de ciuit. Dei, Henricus de Haſſia in ſoliloq. Franco Abbas lib. 2. de gratia, Ioan. Pontan. de immort. tom. 2. Andreas Mocenicus lib. 2. ſuæ Theologiæ, Ludouicus ſenſus italice ſcripſit hiſtoriam de homine. Remundi Sebundi dialogus de hominis caſu. Aug. Steuch. de hominis creat. & immor. ani. lib. 9. perē. philoſ. Æneę Platonici Chriſtiani de immor. & reſur. De hominis dignitate Zeno Veronenſis epiſcopus in ſuis ſermonibus. Ambroſius in illud, Faciamus hominē, & alij expoſitores. & lib. de dignitate humana. Auguſtinus Dathus orat. de hominis dignit. Ioan. Picus oratione de hac re, Iannocius de Manectis, Nos in libro de interiore homine. cap. 17. De anima Gregorius Nyſſenus lib. 2. de creat. c. 4. Tertullianus lib. de anima, ubi fuſe. Claudius Mamertus Vienenſis, Plotinus multa diſputat in ſuis operibus de anima, de eſſentia, de immortalit. &c. Caſſiodorus de anima lib. 1. Gregorij Nazian. carmen ſeptimum de anima, Augu. lib. de anima, & eius origine, libro de immortalitate animæ, epiſt. 7. 27. 157. & lib. 7. & 10. de Geneſi ad literam, Scholaſtici lib. 2. ſent. Albertus in ſumma par. 2. Antoninus in ſumma par. 1. tit. 1. & ſeq. late. Dionyſius Carthuſ. latiſſime in ſuis opuſc. Diuus Thomas in 1. parte, & lib. 2. contra

Gen-



Gentiles, de anima & eius potentijs, a cap. 56. Gulielmus Pariſienſ. par. 1. de vniuerſo, Marſilius Ficinus lib. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & ſequentibus de theologia platonica, Nicolaus de Cuſa li. 8. exercitationum, & lib. 6. ſermone, Reſpice Domine. Ludouic. Viues de anima lib. 3. Ariſtoteles in lib. de anima, & ibi eius commentatores, & lib. de myſtica theologia, ſi hic liber eſt Ariſtotelis. Franciſcus Georgius in ſuis canticis, Chryſoſtomus Iauellus de animæ indeficientia, tractatus ſecundum viam Ariſt. Platonis, & naturalem inclinationem, Alexander Aphrodiſ. in ſuis lib. de anima, & lib. 4. quæſtionum naturalium, Antonij Palearij libri tres verſu heroico, de animæ immort. Auguſtini Dathi Senenſes de immortalitate animæ libri 10. vbi proſequitur omnes opiniones & a libro tertio ad nonū varijs rationibus, ex varijs capitibus ſumptis rem hāc demonſtrat. Prudentius lib. de natura animæ. De ſtatu hominis ante peccatū. Magiſtr. 2. diſt. 19. & 29.

## *De fato, fortuna, iudicijs Aſtrologorum, & actione cœlorum in hæc inferiora. Cap. XIIII.*

De fato, & fortuna, Euſebius Cæſarienſis in libris de præparatione Euangelica, vbi multa, Theodoretus de curandis Græcanicis affectionibus lib. 6. Gregorius Nyſſenus lib. 6. & 7. Auguſt. lib. quæſtionum in Geneſim. quæſt. 91.

lib. 1.

lib.1.Retractat. cap.1. lib.1. de ciuit. Dei cap.1. & in Geneſ.lib.5 cap.21. & 22. Boethius in lib. de conſol.philoſ.Chryſoſtom. hom.de prouidẽtia & fato tomo 5. D. Thomas opuſculo 27. & 28.lib.3.contra gent. cap.92.& 93.& in fine primæ partis, Albertus in ſumma part.1.Dionyſius Carthuſian.tom.1.opuſculorum.Alex. Aphrod. lib.de fato. Georgius Valla Placentinus libro de fato,Ioan.Pontanus de fortuna lib.3. Medina in primam 2.quæſt.9. ar.4. Antoninus in ſumma. par.2.tit.12. Gulielmus Pariſien. lib. de vniuerſo, Plutarchi opuſc. de hac re. Plotinus de fato & fortuna & lib.arb.Marſ.Ficin.Gellius. lib.13. Æneas Syluius lib. de fato.

De iudicijs Aſtrologorum, an voluntas humana pendeat ab aſtris præter loca iam citata,in quibus aliquid habetur, quod huc pertinet. Expoſitores diuinæ ſcripturæ in caput 41. & 47. Iſaiæ & in cap.10.Ieremiæ, Origenes apud Euſebium lib. 5. de præparatione Euangelica cap.9. Homelia 6.in Numeros cap.27.Gregorius Nyſſen.lib.6.de homine cap.2. Cyrillus lib.10.contra Iulianum,Chryſoſtomus in hexamerõ, Tertullian.lib. de idololatria,Epiphanius lib. de põderibus,Leo magnus epiſt.91.cap.10. & ſequentibus.Auguſt.lib.2.de doctrina chriſtiana. c.21. ad 29.lib.de catechiſmo ſer.1.ad Simplicianum quæſt. 3. tomo 4.libro 4. Confeſſionum cap. 3. libro 7.cap.6. libro 12. ſuper Geneſ. cap. 16. & 17.lib.15.de ciuit.Dei cap.17. Gregorius hom. 10.Ambroſ. in hexameron lib. 4. cap. 4. Diuus Thomas.lib.3. contra gentiles a cap.82.83. &c Medina lib.2.de recta in Deum fide, Antoninus in ſumma par.2. tit. 12. Franciſcus Georgius in ſuis Canticis, & vt multos philoſophos omittã, legendus eſt Ioannes Picus in libris 12. contra Aſtrologos, & eius Nepos Io.Franciſcus lib. 5. prænotionum per multa capita. Quidam Æmilianus,referente Porphyrio,40.libros ſcripſit cõtra Aſtrologos,cum ipſe prius diu in eorum arte verſatus eſſet.Legendus eſt etiam Gratianus 26. quæſt.5.per totam,vbi nonnulla citantur concilia,In iure ciuili C.de epiſcopali audientia l. Mathematici. Dionyſius Carthuſianus opuſ. contra magos. & opuſculo de ſuperſtitionibus.



### *De actibus humanis, & libero arbitrio. Cap. XV.*

DE actibus humanis ſpeciatim & fuſius hi duo potiſſimum patres ſcripſerunt,Gregorius Nyſſenus lib. de creatione hominis, & Damaſcenus lib.2. de fide cap.12.13. & ſequentibus,vbi de paſſionibus liber.arbit.&c.Scholaſtici lib.2.ſent. diſt.24. ad 27. & de voluntate humana.2.ſent.diſt.38.& 39.&c. Exactiſſime omnium diuus Thomas,prima ſecũdæ,& in quæſt. diſputatis de Veritate, a 21.ad 27.vbi fuſiſſime, Almainus in ſuis quæſt. moralibus,Ariſtot.in 3. Ethico, ibi eius expoſitores,Buridanus,Burleus, Odo,

Odo, & alij. Martinus Nauar. in commentario de finibus humanorum actuum. De libero arbitrio, multa inuenies apud Euſebium Cæſarien. lib. 6. de præparat. Euangelica, vbi late de hac re ex Oenomano, Diogeniano, Alexandro Aphrodiſenſi, & Origene affert, locus omnino lectione dignus. Item lib. 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticę cap. 30. Origen. lib. 3. Peri archon, Theodoretus lib. 5. de curandis græcanicis affectionibus, Clemens Alexandrinus libro ſecundo & ſexto Stromatũ, Epiphanius hæreſi 3. Boethius libro quincto, de conſolatione, Irenæus lib. 4. cap. 71. & 72. Baſilius ſermone de libero arbitrio, Tertullianus libro 2. contra Praxeam, locus pulcherrimus. Auguſt. lib. de libero arbitrio tom. 1. Epiſtola 46. & 47. libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, lib. 83. quæſtionum, libro quæſtionum noui & veteris teſtam. q. 15. Gulielmus Pariſien. par. 2. Proclus in Alcibiadem Platonis, Calcidius in Timæum Platonis, Alcinous Platonicus, Iamblicus de myſterijs Ægyptiorum, Plotinus lib. 8. cap. 1. 2. 3. & 4. Philo lib. de mundo, Epictetus apud Arrianum, Cęlius Calcagninus libro de libero animi motu, Adrianus Cardinali ſancti Chryſogoni, Ioannes Franciſcus Picus, Dionyſius Carthuſianus in ſuis opuſculis tomo primo, libro de ordine creaturarum ad Deum. Proſper Aquitanus libro de libero arbitrio, Fauſtus libro de libero arbitrio, Anſelmus dialogo de libero arbitrio. Bernar. ſermo. 81. in cantic. libro de gratia & libero



libero arbit. Ex recentioribus multi, qui ſcripſerunt contra modernos hæreticos. Ioannes Roſenſis art. 36. Petrus Aurelius contra Lutherum, Echius, Ludouicus Orianus, Bartholomæus Camerarius Beneuentanus contra Caluinum, Ioãnes Driedo lib. de gratia & lib. arb. Gaſpar Saſgerus minorita de liber. arbit. contra Lutherum, Georgius Vincelius de liber. arbitr. & bonis operibus contra hæreticos, Conradus Clingius lib. 2. locorum communium cap. 38. Lege alios auctores, qui infra citantur in materia de gratia.

*De omnibus virtutibus, & vitijs in communi, & de donis Spiritus ſancti.* Cap. XVI.

DE virtutibus & vitijs vniuerſe, Ambroſius lib. de officijs, Alcuinus libello de virtutibus, Auguſtinus libro de libero arbitrio contra Iulianum, libro de moribus Eccleſiæ, & in libris de ciuitate Dei varijs in locis, ſpeciatim lib. quarto, & decimonono. Diuus Thomas exactiſſime omnium in prima ſecundæ, & opuſc. 72. in quæſtionibus diſputatis, quæſt. de malo, Plato in Memnone, in lib. de rep. Alcinous Platonicus, Ariſt. in Ethicis, in libris Magnorum moralium, libello de virtutibus, lib. 2. Rhetor. Cicero in libris de officijs, Macrobius de ſomno Scipionis, Plutarchus in ſuis opuſculis, Seneca libello de virtutibus, ſi modo eſt Senecæ, ſunt enim qui dicant eſſe Martini Dumenſis epiſcopi, Gulielmus

mus Pariſienſis, ſingulare opus de virtutibus & vitijs. Nicolaus de Cuſa, ſumma virtutum & vitiorum Peraldi. Vincentius in Speculo, Raymūdus in Pantheologia, Scholaſt. 2. ſent. diſt. 27. & & in 3. ſent. diſt. 23. & 35. De peccato 2. ſent. d. 41. & ſequent. Summiſtæ verbo, virtus, & peccatum, Alexander Halenſis par. 2. fuſe Antoninus parte prima, tit. 6. & ſequent. & par. 2. de ſeptem peccatis mortalibus. Diuus Bonauẽtura opuſculo 8. & 15. tomo 1. & libello de quattuor virtutibus cardinal. tom. 2. & opuſc. 35. de pugna ſpirituali contra ſeptem vitia capitalia. De pœna peccatis debita, D. Thom. lib. 3. contra gent. Ioānes Gerſon par. 2. in varijs opuſculis. Antonij monachi opus, quod Meliſſa inſcribitur, collectum ex diuinis ſcripturis, & ſanctis patribus, Aurelius Prudentius lib. de virtutibus. Gregorius Nazianz. in ſuis carminibus iambico decimoquarto, vbi omnes fere virtutes, & vitia omnia deſcribit, Chryſoſt. Iauellus in ſua philoſ. morali. Frāciſcus Picolom. in ſua morali philoſophia. Dionyſ. Carthuſ. lib. de virtutibus & vitijs, Rupertus Holcoth, Almainus in ſuis moralib.

De donis Spiritus ſancti Hugo de ſancto Victore lib. 1. Diuus Thom. 1. 2. & 2. 2. Dionyſ. Carthuſ. latiſſime in ſuis opuſc. Ioānes Roſbroc. Ioan. Gerſon par. 2. Antoninus in ſumma par. 4. a titulo 10. Peraldus, Raynerius in Pantheol. Iauellus de Chriſtiana philoſophia par. 4.

De conſilijs Euangelicis & ſtatu perfectionis Gerſon



Gerſon tomo 3. & omnes fere, qui ſcripſerunt contra modernos hæreticos.

## *De peccato originali.* *Cap. XVII.*

DE peccato originali, Concilium Mileuitanum, Arauſicanum, Aphricanum, Carthaginenſe quartum, & Tridentinum: Cœleſtinus primus epiſt. 1. ad epiſcopos Galliæ, Innocentius primus epiſt. 26. & 27. Leo Magnus epiſt. 22. 84. & 91. Auguſt. de peccatorum meritis, contra Iulianum, contra Pelagium, epiſt. 28. & 29. lib. 3. de lib. arb. a capite 18. ad 22. lib. de baptiſmo paruulorum, Chryſoſt. hom. 11. 12. & 13. in epiſtolam ad Romanos. Origenes lib. 5. in eandē epiſtolam, Cyrillus epiſtola ad Succeſſum, Pacianus libro de baptiſmo, Fauſtus lib. 1. de libero arbit. Ambr. lib. 1. de vocatione gentium cap. 3. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 2. Anſelmus libro de conceptu virginali, & peccato origin. Gulielmus Pariſienſ. par. 2. Scholaſtici in lib. 2. ſent. a diſt. 30. ad 33. Alexander Halenſis par. 2. Diuus Thomas prima ſecūdæ, & in diſputatis, quęſt. 5. de malo, lib. 4. contra Gentiles cap. 51. Ægidius Romanus opuſculo de hac re, Dionyſius Carthuſianus in ſuis opuſculis, Finus Ferrarienſis in ſuo Flagello contra Iudæos, Galatinus lib. 6. cap. 5. contra eoſdem, Ficinus lib. de doctrina chriſtiana, Ruardus Taper, ſeu Decanus Louanienſis art. 2. Paulus Burgenſis lib. de Scrutinio, diſt. 6. cap. 2.

cap.2.3.4.& 5.Ambroſius Catherinus opuſculo de hac re,& in Apologia contra Sotum,Sotus lib. de natura & gratia, & contra Catherinum, Antoninus in ſumma par.1.tit.8.Theodorus Peletanus e ſocietate Ieſu, in diſceptat. de peccato origin.

*De gratia, iuſtificatione, & merito. Cap. XVIII.*

PRo hac materia legendi ſunt nonnulli ex illis auctoribus, quos citauimus ſupra de libero arbitrio,& in materia de prædeſtinatione. Præterea Concilium Arauſican. Mileuitan.Carthaginen.epiſtola ad Innocentium Papam. Epiſtola Concilij Mileuitani ad eundem Pontificẽ, Epiſtola quinque epiſcoporum ad eundem. Innocentius in reſcriptis ad hæc concilia, & in reſcripto contra Pelagiũ. Cœleſtinus Papa in epiſtola ad epiſcopos Galliæ,vbi multa. Auguſtinus lib.de natura, & gratia, lib. de lib. arbit. de prędeſtinat. Sanctorum,cõtra Pelagium,Iulianum, & Cœleſtinum,Concilium Trident. ſeſſ.6.& 7. Hieronymus aduerſus Pelagium. Cyrillus Alexandrinus lib.de adoratione in Spiritu. Cypria. lib.de gratia Dei, Fulgentius de gratia Dei, & libero arbitrio lib.7.Bernar.lib.de gratia,& liber. arbitr. Cæſareus Arelatenſ.epiſcopus lib.de gratia,& lib.arb. Scholaſtici lib.2.ſent. d. 20.27.& lib.3.diſt.27.28.& 29.& lib.4. diſt.15. Alexander Alenſis par.3.q.60.&c. Altiſiodorenſ. lib.3. ſummæ. Diuus Thomas 1.2. & in quæſt.27.& 28.de verit.& lib.3. contra Gent.a cap. 147. ad finem vſque. Ioannes Driedo lib.de reparat. generis humani,Roſenſis contra Lutherum,Decanus Louanienſis in ſuis articulis, Gaſparis Caſalij de quadripartita iuſtitia libri tres, Dominicus Soto de natura & gratia, Andreas Vega ſuper concilio Tridentino, & in lib. de iuſtificat. de gratia & merito, Ambroſius Catherinus in ſuis diſceptationibus, Dionyſius Carthuſianus in ſuis opuſculis, Iuliani Collenſis tractatus de certitudine gratiæ,Ferrarienſis in lib.3. D.Thomæ contra Gentiles,Gregorius de Valentia contra hæreticos, Ioannes de Indagine lib. de natura & gratia,& de gratia & lib. arbit. Ioan.Driedo de concordia liber. arb. Vincentius Gencharius contra Lutherum lib. de gratia & libero arbitrio,Petrus Aurelius libro de gratia & libero arbitrio contra eundem,Gaſpar Cõtarenus Cardinalis. Conradus Clingius toto libro primo, locorum communium late diſputat de gratia,& iuſtificatione boniſque operibus contra modernos hæreticos. Item toto libro ſecundo,vbi etiã de merito Chriſti. De merito bonorum operum Algerius monachus Benedictinus lib. de gratia & libero arbitr.

*De legibus & præceptis.* *Cap.* XIX.

PRo materia de legibus, legendus eſt Plato in libris de legibus, & de rep. Ariſtoteles in Politicis, Cicero lib. de legibus. Scholaſtici lib. 2. ſent. diſt.44. diuus Thomas prima ſecũdæ in fine, libro tertio contra Gentiles a cap. 114. Alexander Halenſis par. 2. Ioannes Gerſon de origine iuris & legum parte prima, Theodoretus lib. 9. de curandis græcanicis affectionibus, Antoninus in ſumma parte prima, articulo 12. ad 20. Chryſoſtomus Iauellus in epitomis in Politicã Platonis tract. ſexto, & lib. de ciuitate chriſtiana. Aſtenſis in ſumma lib. 1. Gulielmus Pariſienſis lib. de leg. parte prima ſuorum operum. Alphonſus a Caſtro libro de lege pœnali, Albertus Pius lib. 15. contra Eraſmum. Ioan. Cochlæus de legibus politicis & conſtitutionibus humanis. Dominicus a Soto in libris de iuſtitia & iure, Summiſtæ verbo lex, &c. Vincentius in Speculo. Canoniſtæ a diſt. 1. & ſequentibus vſque ad 14. apud Gratianum, & ſpeciatim Turrecremata, & extra de Conſtitutionibus, de conſuetudine, & lib. 6. eodem titulo, ibi Decius, Felinus, Panormitanus, & alij. Iuriſperiti. ff. de legibus. Fernãdus Vaſquius in lib. quæſtionum illuſtriũ. Sebaſtianus Medices lib. de legibus & ſtatutis, Albertus Bolognetus in ſuis diſputationibus de æquitate, lege, & iure. Andreas cœcus de origene



gene iuris. Franciſci Balduini libri 2. in leg. 12. tabul. De differentijs legum ciuilium, & canonum Galuanus Bononienſis, Hieronymus Zannettinus, Proſdocimus Patauinus. De fine vltimo vtriuſque iuris Fortunius Gracia Hiſpanus, Iuris canonici librorum cognitione Bartholomæi Cœpollæ. De conſuetudine Petrus Rauennas, Rocchus Curtius Papienſ.

De lege veteri, multa habentur apud Cyrillũ in libris cõtra Iulianum, & apud Euſebium Cæſarienſem in libris de demonſtratione euangelica, & apud Irenæum lib. 4. De vtraque lege multa habes apud Paulum Burgenſ. in ſuo Scrutinio diſtin. 8. & apud ſcriptores contra Iudæos, quos infra citabo.

De præceptis decalogi, ſumma Aſtenſis lib. 1. late, Ioãnes Nider in ſuo præceptorio, Henricus Harphius de præcept. decalog. lib. 1. Cardinalis Aræcœli, Ioannes Gerſon in 2. parte. Eiuſdem opuſculum de erroribus cõtra præceptum, Non occides, eiuſdem cõtra ſuperſtitiones. Matthęus Feliſcus de præceptis decalogi, Ioannes de Burgo, Ioannes Richolaus de præceptis decalogi, Raynerius in ſua Pãtheologia, Sotus lib. de iuſt. & iure. Martinus Nauarra in ſua ſumma, diuus Thomas in prima ſecundæ, & in opuſculo 4. de decem præceptis, & lege amoris, Bonauentura lib. de decem præceptis tomo 2. opuſculorum. De ſuperſtitionibus Martinus de Arles. De ſortibus Troilus Maluetius. De præcepto & diſpen

 ſatione

ſatione D.Bernar.Cyprian.contra idololat.Henricus de Vrimaria.De obligatione præceptorum Caietan.quæſtiones duæ in ſuis opuſc.

## *De virtutibus theologicis, & moralibus ſpeciatim. Cap. XX.*

DE virtutibus theologicis, & moralibus ſpeciatim, Diuus Thomas tota fere ſecunda ſecundæ,& in quæſtionibus diſputatis, de ſpiritual. creaturis q.5.6.7.& 8. & in quæſtionibus de verit. a quæſtione 8. ad 16. Scholaſtici in 3. ſent.diſt.27.& ſequen.Alexander Halenſ.par.3. Antoninus in ſumma parte 4.Chryſoſt.Iauel.de chriſtiana philoſ.par.2.de virt.Theol. & moral. Summa Aſtenſis lib.2.Ioannes Gerſon par.2. de ſeptem virtutibus. Raynerius in Pantheologia, Paulus Corteſius lib.3.ſuæ Theologiæ.Legendi prætcrea ſunt ſermones,homeliæ ſanctorum patrum, de varijs virtutibus & vitijs, vt Chryſoſtomi,Baſilij, Beati Ephrē, Nili Abbatis, Antiochi,Cæſarei Arelatenſis epiſcopi, Bernardi,Innocentij Papæ, Leonis, & ſpeciatim elegantiſſimi ſermones Zenonis Veronenſis epiſcopi. Item opuſcula Carthuſiani,Summa virtutum & vitiorum: Caſſiani libri,Bonauenturę opuſcula. Cōſule etiam auctores citatos ſupra, de virtutibus in communi.

De fide,ſpeciatim Scholaſtici in 3.ſent.diſtin. 23.24.25.& ſequen.Alexander 3.par.q.79.&c. Medina. de recta in Deum fide, Antoninus in ſumma, parte quarta, titulo octauo. Clemens Alexandrinus libro ſecundo Stromatum, & in admonitorio Theodoretus libro primo de curandis græcanicis affectionibus, Arnobius libro primo contra gentes, Auguſt. lib. de vtilitate credendi,Euſebius Cæſarienſis lib.12.de pręparatione Euangelica. Sixtus Tertius, epiſt. de fide & operibus, Damaſcenus lib. 4. de fide orthod.cap.11.De fide catholica,Franciſcus epiſc. Squillacenſis. Albertus Pius Carpenſ.de fide & operibus,lib.20. contra Eraſmū. Adrianus Cardinalis lib.1.de vera philoſophia. Caiet. in opuſcul. de fide & operibus. & alij qui contra hæreticos de fide & operibus recens ſcripſerunt. Ioan.Gerſon de ſchiſmate tractatus. tom.1.



## *De ſummo Pontifice & Eccleſia. Cap. XXI.*

MVLTI ſunt auctores, qui de ſummo Pontifice, & Eccleſia ſcripſerunt: quorum nonnullos hoc loco citabimus. Symmachus Papa in apologetico ad Anaſtaſium Imperatorem, Innocentius III. in ſuis ſermonib. Berengotius Abbas lib. de myſterio ligni crucis, vbi habet quædam de laudibus Eccleſiæ, Auguſt. contra epiſtolam Petiliani, Turrecremata ſumma de Eccleſia,Thomas Vualdenſis lib.2. artic.2. & 3. Albertus Pighius lib. 2. de hierarchia Eccleſiæ,

Ioan. Echius in Enchiridio, Melchior Cano de locis Theologicis, vbi de Eccleſia, & Pontifice, lib. 5. & 6. Ioan. Gerſon tom. 1. de concil. & poteſtate eccleſiaſtica, & omnes fere, qui de Pontifice ſcripſere, ijdem de Eccleſia, & contra. Auguſtinus de Ancona latiſſime in libris de Eccleſiaſtica poteſtate, Thomas Campegius Epiſcopus Feltrenſis de auctoritate Pōtificis Romani, Ioānes Driedo in lib. de libertate chriſtiana, Ioānes Franciſcus Pogius, Hieronymus Albanus, Thomas Illyricus de poteſtate ſummi Pontif. Ægidius Rom. de eccleſiaſtica poteſta. lib. 3. Albertus Picus comes Carpenſis lib. decimoquarto, contra Eraſmum, Æneas Syluius, Gaſpar Contarenus Cardinalis in ſuis operibus, Petrus Licetius Aluernius de auctoritate Eccleſiæ & poteſtate Papæ, Franciſcus Turrianus e ſocietate Ieſu. Nicolaus Cuſanus epiſtola ad Boemos, Cardinalis Caietanus tomo primo, Opuſculorum. Antonius Florebellus de Eccleſiæ poteſtate. Lege Gratianum can. In nouo, diſtinct. 21. & 22. Conradus Clingius libro tertio de locis communibus contra hæreticos, De eccleſiæ curſu Ludou. Viues libro ſecundo, de verit. fidei chriſt. Petrus de Aliaco libro de ſtabilitate Eccleſiæ. De pontificia poteſtate Petrus Albinianus, Frater Bartholomæus Spina de poteſtate Eccleſiæ, Stephanus Aufrerius De primatu Papæ, & maieſtate Imperatoris, Petrus a Monte, Venetus. Gerardi Iauenſenij, tractatus ſeptem, Henricus Blyſſenius de Eccleſia militante, Michael Buchingenus tractatu de Eccleſia, Cyprianus Bonetus. De vnitate Eccleſiæ Petrus de Aliaco. Ioannes Raudeus Gallus de caſibus in quibus Pontifex, & epiſcopus diſpenſant. Auguſt. Steuchus lib. de iure & auctorit. Papę. Ioſephus Stephanus Valentinus de adoratione pedum Romani Pontificijs, Michaelis Ageri oratio pro Pontificis Romani auctoritate, & quod ſit caput Eccleſię, Gulielmus Lindanus in libro primo dialog. Scholaſtici in 4. ſent. diſt. 24. & 3. ſenten. diſtinct. 25. Marſilius q. 14. &c. Franciſcus Vargas de auctorit. Pontif. Petrus Bertrandus Vienenſ. epiſc. de duabus poteſtatibus ſpir. & temporali, & earum origine. De origine Romanę ſedis & eius poteſtate Lęlius Iordanus Romanus. De Ouili & Paſtoris vnitate, Michael de Aninyon.



## *De Concilijs, & Symbolo.* *Cap. XXII.*

QVOD attinet ad diſputationem de Concilijs legenda in primis ſunt ipſamet concilia, & ſpeciatim vniuerſalia, in quibus multa ad hanc materiam pertinentia leguntur. Deinde, Iuonis, & Martini Bracharenſis collectanea, Gratianus a diſt. 15. ad 20. Iſidorus lib. 6. etymologiarum cap. 16. Hilarius lib. de ſynodis, Beda libro de ſex ętatibus, Gloſſa ordinaria in acta Apoſtolo-

ſtolorum, Ioannes Pſellius, Photius de ſeptem Synodis, opuſculum tripartitum, quod habetur tomo tertio Conciliorum. Ioannes Gerſon tractatu de poteſtate Eccleſiæ & Conciliorum par. prima, Turrecremata libro tertio ſummę de Eccleſia, Thomas Vualdenſis libro ſecũdo doctrinæ fidei cap. 26. & 27. Dionyſius in tribus lib. de concilijs, Nicolaus de Cuſa, Echius in Enchiridio, Clichtouęus in defenſione Concilij Senonenſis, Iodocus Titelmanus in defenſione Concilij Tridentini, Ioannes Cochlæus lib. de concilijs, Ioannes Roſenſis artic. 28. & 29. Thomas a Vio Caietanus in ſuis opuſculis, Durandus de S. Portiano lib. de concil. celebran. Albertus Pighius libro ſexto hierar. Eccleſiaſticæ, Ioannes de Capiſtrano de Papę & Cõcilij poteſtate, Cardinalis Varmiẽſis in explanatione Symboli cap. 24. & lib. 2. contra Prolegomena Brentij, Petrus a Soto in ſua defenſione contra Brentium, Antonius Delphinus libro ſecundo de Eccleſia, Melchior Cano de locis Theologicis, Cõradus Clingius libro tertio de locis communibus, cap. 23. Quando concilia cœperint celebrari. Polydor. Virg. lib. 8. Alphonſus a Caſtro lib. de hęreſibus, Dominicus Iacobatius Cardinalis libro de concilijs, Gaſpar Villalpandeus in diſputationibus pro Concilio Tridentino, Gulielmus Lindanus libro tertio Panoplię cap. 7. Cyprianus Bonetus, Ioan. Franciſcus Pogius, Roſinianus lib. de re ſacerdotali, de modo quo concilia vniuerſalia celebranda ſint. Bartholomæi Carranzæ controuerſię quattuor, Fecit etiam hic auctor conciliorum ſummam, ſicut & Cardinalis Contarenus. M. Antonius Mantua Patauinus, Gulielmus Durandus de modo celebrandi concil. De conciliorũ auctorit. Thomas Campegius epiſc. Feltrẽ. De Synodo epiſcopi, & epiſcoporum ſtatutis ſynodalibus Henricus Bottæus Brixiani.



In Symbolum ſcripſerunt, Cyprianus, Hieronymus tomo quarto, Auguſt. ſerm. 113. & 115. de tempore, Chryſoſt. tomo quincto, Venantius Presbyter Italicus, Diuus Thomas opuſculo ſexto, Finus Ferrarienſis in ſuo Flagello contra Iudæos latiſſime. Henricus de Haſſia, Cyrillus Alexandrinus, Simon de Caſſia in Symbolum.

## *De hæreſi, & hæreticis.* Cap. XXIII.

CIRCA hanc materiam ſcriptores partim hæreſis naturam, & mores hæreticorum explanarunt, partim hæreſes collegerunt, ſed non impugnarunt, partim collegerunt & confutarunt. Pro hac itaque materia legendi ſunt hi auctores. Diuus Irenęus, Epiphanius in capſula medicinali, Hiliarius lib. de hæreſ. Auguſtinus lib. dę hæreſibus, Philaſtrius epiſcopus Brixienſis, Damaſcenus lib. de hæreſibus, Vincentius Lirenenſis, Leontius Bizantius, Conſtantinus Armenopolus de Sectis hæreticorum, Guido Carmelita, Ioannes Hoſmeiſter de artibus ma-

lis

lis hæreticorum ex ſanctis Patribus, Petrus Licetius Aluernius de hæreticis, & eorum pœnis, Frater Matthæus Ory. Robertus Arboricenſis, Sebaſtiani Medices Catalogus de hęreticis, Ambroſij Catherini methodus ad cognoſcēdas hæreſes, & Speculum hæreticorum, Ioannis Arelatani abſolutus tractatus, Paulus Giraldus, Turrecremata lib.4.ſummæ par.2. Melchior Canus lib.12. de locis theologicis a cap.8. ad 11. Gabriel Prateolus, qui diligenter numerauit omnes hæreſes, Conradus Clingius lib.3. de locis communibus a cap.16.ad 22. Alphonſus a Caſtro lib. de hæreſibus, & de iuſta hæreticorum punitione, F. Felicianus Capitonus par.2.explicat.13.20.25.38.94. & par.3. explic.45. & 59. locorum commun. utriuſque teſtam. Bernardus Lutzemburgus, in Catalogo hæreticorum. Damianus Roſcius lib. de hæreſibus, Hoſius Cardinalis Varmienſis, Robertus Belarminus, Georgij Caſſandri conſultationes, Scholaſtici in lib.3.ſent.diſt.23.24.& 25. & in 4. ſent.diſt. 13.Canoniſtæ.24.q.3.& in titulo de hæreticis, ſummiſtæ, uerbo hæreſis. De agnoſcendis aſſertionibus catholicis, & hæreticis Arnaldus Albertinus epiſcopus Pactenſ. Ambroſius de Vignate, Bernardus Comenſis, Conradus. Brunus de hæreticis, Gundiſſaluus de Villadiego, Ioannes a Royas Valentinus, Ioan. Nicolai Arelatani, Ludouicus Carrerius Zanchinus Vgolinus Ariminenſ. De hæreticorum pœnis, apud Gra-



Gratianum 23. quæſt.7. De Iudæis & alijs infidelibus Marquardus de Suſannis.

## *De ſpe, caritate, amicitia, pace dilectione inimicorum, correctione, & bello.* Cap. XXIIII.

DE. ſpe & caritate legendi ſunt auctores cap.16. citati, Scholaſt. in lib.3.ſent.diſt. 26. Diuus Thomas.2.2. & in quęſtionib. diſputatis quæſt. de virtutibus, & opuſculo 61. de dilectione Dei, & proximi Summiſtæ verbo ſpes, & caritas. De caritate ſpeciatim legendi ſunt ſermones Zenonis Veronenſis epiſcopi, & Cæſarei Arelatenſis epiſc. Fulgentius lib. de carit, Beati Ephren.ſer.Chryſo.hom.de carit.& hom. quod ex inimicis capiatur utilitas. Ioannes de Indagine lib.de carit. Richardus S.Victoris lib. de gradibus caritatis, Dionyſius Carthuſian.lib. de perfectione caritatis. Pelbertus in Roſario par.3.vbi de ſpe & charitate. Ioan. Franciſ. Picus de diuini amoris imagine. De amore, Plato in conuiuio, ibi Marſi. Ficin. idem in alijs ſuis operibus, Proculus in Alcib. Platonis, Raymun. Sebun. lib. 3. Violæ, Philo Hebræus. Rayner. in pantheolog. Sancti Maximi centuriæ de caritate, Thalaſij hecatombæ, Hugo ſancto Victore de ſubſtant. dilect. & laud. carit, Auguſtinus libro de quattuor virtutibus, de laudibus caritatis, lib. de ſubſtantia dilectionis,

lectionis, de diligendo Deo. tom. 9. Franciſcus Victoria lib. de augmẽto & diminutione caritatis. Nicolaus de Cuſa multa ſcripſit de amore. Bernardus lib. de diligendo Deo. Adrianus Cardinalis lib. 3. de uera philoſophia. Henrici Arnoldi tractatus de caritate.

De amicitia, Auguſt. lib. de amicit. Ariſto. lib. 8. Ethic. Cicero in Lęlio, Io. a Lignano Bonon. Alcinous, Platonic. De dilectione inimicorum, & de pace. Schol. 3. diſt. 30. Eligius ſerm. 1. & 8. Hidelbertus epiſt. 21. Sanctus Antiocus ſer. 52. 53. 54. Ioannis Rickolai ſermones de dilectione Dei, & proximi, Gregorij Nazianzeni orationes tres de pace. Dominicus a Pace late ſer. 23. & 24. & de dimittendis iniurijs ſerm. 25. Lippi Brandolinj de dilect. inim. F. Felicianus Capitonus par. 2. explicatio. 9. locorum communium. Augu. Dathus orat. de pace. Cœlius Calcagninus de concordia & mutuo amore. Dionyſ. Carthuſ. Opuſc. de gaudio & pace interna. Lęlius Zanchus de dilectione & iniurijs, Ioannes Gerſon tractatu de pace, parte 1. Auguſtinus Niphus in commentariolo de inimicorum lucro, locus omnino pro hac re conſulendus, Plutarchus in opuſculo de utilitate ab inimicis capienda, Maximus Tyrius ſermo. 2. de ferenda iniuria, Lud. Viues in 4. lib. de concordia, & lib. de pacific. & quę nos iuniores ſcripſimus in lib. de Pacificatione, & libro de Amore & cõcordia fraterna. De fide, tregua & pace Nicolaus Moronus a Gualdo, Octauianus Vlpellius. De reconciliatione priuata Raynaldus Corſus Corrigiẽſis.

De correctione Ioan. de Indagine lib. de correctione frater. Dionyſ. Carthuſ. lib. de modo iudicandi, & corripiendi. apud Gratianum can. ſi peccauerit. 2. q. 1. & diſt. 19. can. ſuper. Alphonſus a Caſtro, uerbo, ſubditus. ſummiſtæ. verb. correctio. Ioan. Gerſon. tom. 2. Scholaſtici in materia de caritate, Oreſieſis monachus lib. de inſtitutione Monachorum, Bracharius epiſtola ad Ianuarium, late de eadem re Dominicus a Pace parte 2. ſerm. 21. Diuus Thomas in quæſt. diſputatis, & 2. 2. q. 33. Sotus de ratione tegendi, & detegendi ſecretum. Alexan. Halen. 3. par.

De bello & uindicta legendus eſt Gratian. 23. q. 1. 2. 3. 4. & 8. & ibi expoſitores, & titu. de cleric. pugnan. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. Ambroſ. lib. 1. de offi. cap. 27. 29. 40. & 41. Thomas Vualdenſ. lib. de ſacramentalibus. Ioan. Roſenſ. art. 34. Ioan. Arboreus lib. 2. Theoſophiæ cap. 14. Albertus pius lib. 21. contra Eraſmum. Sotus in lib. de iuſt. & iure, Sixtus Senenſ. annotatione 156. Carthuſ. in ſuis opuſ. Ioan. Driedo lib. de libertate chriſtiana. Conradus Clingius lib. 5. locorum communium cap. 32. Frater Felicianus Capitonus parte 2. explicatione 41. Ioan. de Indagine libro de iuſto & iniuſto bello. Ioan. a Lignano, Ioan. Lupus, Franciſcus Arias Hiſpanus, Paris a puteo, Petrus Bellonus.



De

### *De paupertate, dominio & eleemoſyna. Cap. XXV.*

DE paupertate, Diuus Bonauent. tomo primo opuſcul. 17. 18. & 19. Diuus Thomas libro tertio contra gentiles cap. 131. & ſequen. Alexander Archirota tractatu de voto paupertatis. De paupertate & eius priuilegijs. Cornelius Benincaſius Peruſinus.

De dominio, Ioan. Gerſon lib. de poteſt. Eccl. conſiderat. 13. de vita ſpirit. lect. 13. Conrad. lib. de contract. Medina Cod. de reſtit. Sotus lib. 4. de iuſt. & iuræ. q. 1. Nauarræ commentar. cano. Non dicatis 11. q. 3.

De eleemoſyna, libri paſchales Timothei epiſcopi, vbi ſpeciatim multa contra eos, qui differunt eleemoſynam ad finem vitę lib. 4. libri omnino legendi, Sermones Cæſarei Arelatenſis epiſcopi, & Eligij, Aduberti preſbyteri homelia cõtra diuites, D. Baſilij oratio contra diuites, homel. de diuite epulone, Gregorius Nazianzen. orat. de pauperibus amandis, & Gregorij Nyſſeni. Auguſt. in Enchiridio a cap. 70. ad caput 76. Cypri. lib. de eleemoſyna. Beati Laurẽtij ſermones de eleemoſyna, Chryſoſtomus homil. 32. in Matthæum, & tomo quarto, hom. 32. & ſequen. Cyprianus ſerm. 1. de eleemoſyna. Abulenſis in cap. 6. Matthæi a quæſtione 19. Scholaſtici in 4. ſent. diſt. 15. & 16. Diuus Thomas 2. 2. q. 32. in Decreto diſtinct. 45. & 46. & diſt. 3. de pęnit. Summiſtę verbo Eleemoſyna. Lege libellum Iulij Folci de bono eleemoſynæ, vbi collectæ ſunt auctoritates patrum de hac materia. Caietanus opuſculo de præcepto eleemoſynę. Medina Codice de eleemoſi. tracta. 5. Nauarra in Manuali cap. 24. Gunterus monachus Benedictinus libro 13. de eleemoſ. & ieiun. Marſ. Ficin. Ludou. Viues lib. duo Pelbert. in roſario tomo 4.



### *De iuſtitia, iudicijs, & alijs materijs huc pertinentibus. Cap. XXVI.*

THEOLOGI ſcholaſtici in librum 4. ſenten. diſtinct. 15. Canoniſtæ titulo de iudicijs, Gratianus, a cauſſa 2. vſque ad 8. 10. 11. & 14. Iuonis decretum. Sotus de iuſtitia & iure lib. 3. queſt. 4. Martinus Nauarra in relect. in cap. Nouit, de iudicijs. Multa pertinentia ad materiam de iuſtitia, vt de vſuris reſtit. cenſibus, &c. Conradus Clingius libro quincto locorum cõmunium, de iudicijs Vincentius in Speculo, Didacus Couarruias in libris variarũ reſolutionum Dionyſius Carthuſ. in ſuis opuſculis, Almainus in ſuis moralibus, Ariſtoteles lib. 5. ethico. & ibi expoſitores, Raphael Volateranus lib. 9. Diuus Ambroſius epiſt. 20. lib. 5.

De contractibus, Scholaſtici in 4. ſent. diſtin. 15. & ſpeciatim Ioannes Maioris. Diuus Thomas opuſculo 66. Ioannes Gerſon lib. de poteſtate

ſtate eccleſiaſtica conſiderat. 13. & de uita ſpirituali lect. 13. Alexan. Halen. 3. par. q. 66. Fabianus de monte S. Sauini, Ioannes Guterius. de empt. & vendit. cum pacto retrouen. Franciſcus Zannetus. Conradus latiſſime in ſuis libris de contractibus, ſumma Aſtenſis late. lib. 3. Dominicus Soto lib. 6. de iuſtitia, & iure, Tiraquellus libro de iuſto rerum pretio, Nauarra in ſumma, Medina in codic. de reſtit. Henricus in quolib. Didacus Conarruuias in lib. variarum reſolutionum, Ioannes Nider. lib. de contractibus mercatorum, Matthęus de Cracouia lib. de cōtract. Beneuenutus Anconitanus lib. de mercatura, Ioannes Conſobrinus, Laurentius de Rodulphis libro de contractibus mercatorum, & de monte pietatis, de quo etiam Caietanus in ſuis opuſculis, Dionyſius Carthuſ. in opuſculis, Gerardus Theutonicus, Ioſeohus Angles in quæſt. de contractibus. Canoniſtæ tit. de emptione, & venditione. de commodato, depoſito, locato, conducto. De emphyteuſi abſultus tractatus, Auctore D. Aurelio Corbulo, &c. Guido de Suzaria. Henricus Oyta de contractibus lib. 1. Ioan. de Franicfordia libro de contractibus.

De homicidio, Scholaſtici in 4. ſent. diſt. 14. vbi ſpeciatim Ioan. Maioris, Gabriel, Franciſcus Victoria relectione de homicidio. Alexander Halens. parte tertia, Couarruuias in lib. variarum reſolutionū, & relectione in clementinam, Furioſus. Nauarra in ſumma cap. 15. Vaſquius in



in lib. Illuſtrium quæſtionum, Canoniſtæ tit. de homicidio, ſummiſtæ verbo homicidium.

De furto, Scholaſtici 3. ſent. 37. 4. ſent. d. 15. Martinus Nauar. in ſumma cap. 17. Canoniſtæ, titulo de Furtis, Iuriſconſulti l. 1. ff. de furtis, Antoninus ſecunda parte, Alexand. Halen. par. 3. Couaruuias, Relectione in regulam, Peccatum & lib. variarum reſolut. Medina de reſtitutione. Rayner. in Pantheol. Sotus lib. 5. q. 1.

De reſtitutione, Altiſiodorenſis libro quarto ſuæ ſummæ, Gulielmus Pariſienſis de ſacramento pœnitentiæ, Alexander Halenſ. tertia parte. Adrianus Papa in 4. Scholaſtici libro quarto ſenten. diſtinct. 15. ſpeciatim Ioan. Maioris, Ledeſma, Richardus, Sotus libro quarto, quæſtio. 6. Franciſcus de Platea tractatu de reſtitutione late. Medina de reſtit. Pelbartus in Roſario parte quarta. Didacus Couaruuias in regulam Peccatum, qui late, & diligenter. & in lib. variarum reſolutio. Antoninus ſecunda parte, titulo ſecūdo. Caſtro nonnihil libro de lege pœnali, Nos libro de Pacificatione. De Aucupio, Piſcatione, & Venatione Sebaſtianus Medices.

De vſura, Canoniſtæ tit. de vſuris, & 14. q. 3. 4. 5. & 6. Scholaſtici. in 4. ſent. diſt. 15. Summiſtæ verbo, vſura. Couaruuias libro tertio variarum reſolutionū Medina Cod. de vſuris, Ioan. Bapt. Lupus, Conradus lib. de contractibus, Dominicus Soto libro ſexto, quæſtione prima, de iuſtitia & iure, Gaſparis Caballini tractatus de vſuris,

vſuris, Gerardus, Michael Cæſar breuiter vniuerſam materiam de vſuris complexus eſt, Caietanus in ſuis opuſculis, diuus Thomas opuſ. 73. Plutarchus opuſculo, quod non oportet fœnerari. Martinus Nauar. de vſuris can. Si fœnerauer is 14. q. 3. B. Antoninus, Laurentius de Rodulphis Florentinus, Gulielmus Bont, Guido Papa, Antonius de Roſellis, Ambroſius de Vignate. Alphonſus Villagud. in tractatu de vſuris: in 35. quæſtiones tractat, &c.

De cenſibus Scholaſtici in 4. ſent. diſt. 15. Antoninus ſecunda parte, Couaruuias libro tertio variarum reſolut. Medina C. de reſti. Hẽricus in quolib. Sotus lib. 6. de iuſt. & iur. Nauar. in ſumma, Benedictus Bouius Cortonenſis, Summiſtæ verbo, cenſus, Pij V. Bulla, Petrus Follerius.

De Cambijs, Nauarra tract. de cambijs. Boninſegnius, Medina quæſt. de cambijs. Sotus libro ſexto, q. 10. de iuſtitia, & iure, Frater Hieronymus de Luca, Andreas Orixienſis in tractatu de cambijs. Caietanus in opuſc. de cambijs, idem de monte pietatis, Ioſephus Angles q. de cambijs. Frater Fabianus Genuenſis.

De ſocietatibus, Petrus de Peruſio tract. de duobus fratribus, Sotus lib. 6. q. 5. Nauar. cap. 17. ſummæ, & in tract. de camb. Antonin. ſecunda parte, Couaruuias libro tertio variarum reſol. Ioannes Maioris in 4. ſent. Summiſtæ verbo, ſocietas. De contractu aſſecurationis Conradus q. 71. Sotus lib. 6. q. 7.

De



De ludo, Stephanus Coſta, Ioan. Bapt. Caccialupus, Paris a puteo. Sotus lib. 4. de iuſt. & iur. q. 1. ar. 2. Alex. Halenſ. 3. par. q. 86.

## *De beneficijs, reſidentia, acceptione perſonarum, ſimonia, honore, &c.* *Cap. XXVII.*

DE beneficiorum materia late ſcripſit Ioan. de Sylua, Rebuſus in ſua practica, Paulus Borgaſius, Franciſcus Sarmẽtus, Ioan. Borgaſius Gimonteus late, Alphonſus Noiada, Franciſcus Petrutius Senenſis de pluralitate & permutatione beneficiorum, Martinus Nauarra in commentario, & apologia de redditibus Eccleſiaſticis, & commentario de alienatione rerum Eccleſiaſticarum, & commentario de ſpolijs. Thomas Cãpegius de beneficiorum commendis, idem de pluralitate benefic. & reſeruationibus, Camillus Cautius, Franciſcus Duarenus, Chriſtophorus Rufiniacus, Ægidius Bellamera, Cæſar Ottinellus in conſilio de redditibus Eccleſiaſticis, Ioannes Coraſius, Diony. Carthuſ. opuſc. de pluralit. beneficiorum, Conradus Clingius libro ſecundo, locorum communium cap. 50. & 51. Petrus Andreas Gammarus. Summiſtę ver. beneficium. Gratianus. 16. q. 1. & ſequent. & canoniſt. tit. Renati Choppini de ſacra politia forenſi libri tres. Concil. Trid. ſeſſ. 24. & 25.

De penſionibus, Paulus de Roma, Hieronymus Gigas. Io. Bapt. Caccialupus, Thomas Campegius,

pegius, Camillus Cautius de penſionibus epiſcoporum, Gulielmus Rodanus de ſpolijs Eccleſiaſticis.

De decimis, Gratianus cauſſ. 13. per totam. Canoniſt. titulo de decimis. Andreas Hiſpanus ordinis S. Benedicti, Petrus Rebufus. Sotus lib. 9. de iuſt. & iur. q. 4. Vincent. in Specul. Rayner. in Pantheol. Ioan. Echius. De gabellis Iulius Ferrettus, Ioannes Bertachinus.

De reſidentia, Canoniſtæ tit. de Clerico non reſidente, Auguſtinus de Ancona lib. de Eccleſiaſtica poteſtate, Frater Bartholomæus Carranza, Franciſcus Turrianus, Thomas Campegius, Hieronymus Campegius, Catherinus.

De acceptione perſonarum, Sotus libro tertio, quæſt. 6. Abulenſis in c. 22. Mat. quæſt. 116. Scholaſt. in 4. ſenten. diſtinct. 15. ibi Paludan. Richar. & alij.

De Simonia Scholaſt. 4. ſent. diſt. 35. Canoniſt. 1. quæſt. 1. vſque ad 6. ibi Turrecrem. & tit. de Simonia, Caietan. in opuſculis, Nauar. in ſumma, Armacanus libro decimo, Ioannes Carafæ tractatu de ſimonia, Thomas Campegius, Ludouicus Gomeſius, an Papa poſſit incurrere in labem ſimoniæ, Dionyſ. Carthuſ. in opuſc. contra ſimoniacos, Gulielmus Rodanus de ſimonia mentali, Sotus libro nono de iuſtitia & iure, q. 5. Ioannes Scaphyleus de gratijs & aſpectatiuis Summiſtæ ver. ſimonia.

De honore, fama, laude, gloria, Lege commentarium Martini Nauar. can. inter verba 11. q. 3. Bartholomæum Caſſaneum in catalogo gloriæ mundi, vbi latiſſime, parte prima. Apud eundem inuenies laudes ſingularum ætatum, ſtatuum, & artium, par. 4. & 10. De hominis & mulieris dignitate parte ſecunda. De fama, Thomas de piperata, & nos in lib. de Pacificatione, vbi late de natura, honoris, &c. De nobilitate Caſſaneus par. 8. De ordine & præcedentia graduum vtriuſque fori Nicolaus Boerius.



### *De virtutibus & vitijs generatim & ſpeciatim.* *Cap. XXVIII.*

DE virtutibus & vitijs legẽdi ſunt auctores, quos ſupra citauimus cap. 16. & ſpeciatim diuus Thomas, & in diſput. quæſt. de malo. Vincentius in Specul. doctr. Raynerius in pantheologia, Iauellus in ſua philoſ. morali. Franciſcus Picolom. in ſua morali philoſ. Ioan. Salebrienſ. in ſuo Polycrat. Franciſci Philel. diſcip. moralis. De prudentia Ariſtoteles libro ſexto Ethico. diuus Thomas 2. 2. Pontani libri quinque. De iuſtitia, Ariſt. lib. 5. Etich. Plato dialogo de iuſto. Cœlius lib. 23. Cic. lib. de officijs. De fortitudine Ariſt. lib. 3. Ethic. Cœlius lib. 22. cap. 29. Raphael Volater. lib 7. cap. 90. Seneca lib. 13. epiſt. 88. Breues definitiones omnium virtutum & vitiorum habes apud Gregorium Nazian. carmine de hac re. Sancti Maximi & Diadochi variarum

rum virtutum capita. Beati Ephren,& Iſaiæ Abbatis opera.

De patientia, Tertullianus lib. de patientia, locus elegantiſſimus, Cyprianus ſermone de patient. Polydorus Virgilius Vrbinas duobus libris de patient. Ioan. Bapt. Mantuanus lib. de patientia, Diuus Baſilius orat. de patientia, Ioannes Arboreus lib. de vera patient. Chryſoſt. homeliæ 5. de patientia Iob, Diuus Hieronymus to. 4. Aug. epiſt. 136. Simon de Caſſia. lib. de patient.

De obedientia Cæſarij Arelatenſ. epiſ. ſermones. Caietan. opuſculo de vinculo obedientiæ. Ioan. Pont. libri 5. De humilitate Henrici Arnoldi tractatus. De pudicitia, carmen Greg. Naziã. De auaritia Maximus Taurinenſ. lib. Contra auaritiam, Saluiani lib. 4. Diuus Chryſoſt. paſſim in ſuis homelijs & moralibus inſtitutionibus, & ſpeciatim in epiſt. Pauli. Ioannes de Capiſtrano contra auaritiam libri tres. Petrus Damianus de auaritia prælatorum. Vincent. in Speculo. Rayner. in Pantheolog. Raphael Volater. a lib. 28. ad 32. Gregorius Nazianz. Iambico 21. Caſſianus lib. 7. De ſcandalo, expoſitiones in Euang. vbi fit mentio de ſcandalo, Chryſoſt. homil. 13. & 45. tomo 2. De ira Baſilij ſermo. contra iram & inuidiam, Gregorius Nazian. iambico 20 Caſſian. lib. 8. De accidia, idem lib. 10. De inuidia diui Baſilij liber. Chryſoſt. hom. 44. 45. ex 80. tomo 4. Plutarchi opuſculum. Marſ. Ficin. Ludouicus Viues lib. 3. de anima. Raphael Volater. lib. 31. De ingratitudine Campani libri tres. Multa de hac. Quinctil. Mandoſius libro de ingratiſ.



De ambitione, Dionyſius Carthuſian. lib. cõtra ambitioſos. De ſuperbia Magiſt. ſent. lib. 2. diſt. 42. ibi Schol. De mẽdacio Magiſter. 3. ſent. diſt. 37. 38. & 39. Auguſt. aduerſus mendacium tom. 9. contra mendacium ad conſentium to. 4. De periurio Magiſt. 3. ſent. diſt. 29. & 39. de iuramẽto Gratian. cauſſa 22. per totam. Sotus lib. 8. q. 1. & 2.

Contra eos, qui frequenter iurant, Gregor. Nazianzen. iambico 15. Chryſoſt. multis in locis, qui vbique iurandi abuſum inſectatur. Contra ornatum mulierum Clemens Alexand. in lib. Stromatum, & elegantiſſimus Greg. Nazianze. liber.

De peccatis mortalibus, Robertus Holcoth. lib. de hac re. ſumma Sebaſtiani Medices. Caſſianus de octo vitijs capitalibus. De pollutione, diurna & nocturna Gerſon tomo ſecundo, S. Nibi Abbatis orationes octo contra vitia capitalia. Richardus de ſancto Victore libro de differentijs peccatorum. Ioan. Gerſon de peccato veniali tomo ſecundo, Summa, ſeu deſtructorium omnium vitiorum Alexandri Angli. Prudentius, de origine peccatorum, Gulielmus Lugdunen. in ſumma. Chryſoſt. Iauel. de peccatis mort. de philoſophia chriſtiana parte tertia. De multis peccatis ſpeciatim Conradus Clingius toto fere lib. 5. locorum communium contra hæreticos.

*De voto, & ieiunio.* *Cap. XXIX.*

DE voto, Scholaſtici agũt de voto in 4. ſent. diſt.38. vbi Paludanus, Richardus, Io.Maioris, Ledeſma,&c.Ioan.Baconus 4. ſent. diſt.2. 3.q.2.Diuus Thomas 2.2.quæſt.88.Dominicus Soto lib.7.de iuſt.& iure.Canoniſtæ apud Gratianum 17.q.1.vbi multa Turrecrem.& in titulo de voto,& voti redempt. Antonin.in ſumma parte ſecunda,titulo vndecimo, Nauarra in ſumma cap.17.a nume. 24. Caietan. tomo ſecundo opuſc.Summiſtæ,verbo,votum. Thomas Vualdenſ.tomo quincto de ſacramen. cap.83. & 84. Lindanus in Panoplia, Hoſius Cardinalis, Caſtro lib.de hæreſ.ver.votum. Albertus Pius carpenſ.lib.16.contra Eraſmum. Conſule Claudij Eſpencei libros de continentia.

De ieiunio,Diui Baſilij orationes plures.Diui Chryſoſtomi homeliæ nonnullæ,Ambroſius de Elia & ieiunio.Scholaſtici.in 4.ſent.d.15.& 16. Alexander Halenſ.par.4. Diuus Thomas.2.2.q. 147.Gratianus de conſ. diſt.5. & ibi canoniſtæ. Albertus Pius lib.4. contra Eraſmum, & omnes fere, qui ſcripſerunt contra modernos hæreticos pro traditionibus & pręceptis Eccleſię.Frater Felicianus capitonus parte prima.Explicatione 13. locorum communium Sacræ ſcripturæ, parte ſecunda,explic.6.16.26. 393. & parte tertia explicat.42. & 83. Guntherus Monachus Benedictinus, Iacobus Zocchus Ferrarienſis, Medina. tractatu quarto de Ieiunio, Nauarra in Manuali cap.22.Summiſtæ verbo Ieiunium. Extat libellus italice de bono ieiunij, Ioannes Faber. De Ieiunio quadrageſimæ,Maximus Taurinẽſ. Pelbartus in Roſario parte quarta,Nili Abbatis oratio de ieiunio.



*De ſtatibus, ſiue hominum officijs & viuendi generibus, & de prophetia.* *Cap. XXX.*

DE hac materia diſputant Scholaſtici in 4. ſent.diſt.38.Diuus Thomas in 2.2.in fine. Latiſſime, & bene, Dionyſius Carthuſianus in ſuis opuſ. Antonius in ſumma parte 3. ubi late. Ioan. Gerſon de ſtatibus eccleſiaſticis tomo 1. Bernar. Flores, Auguſtin. de Ancona in lib. de eccleſiaſtica poteſtate. Thomas Vualdenſ. lib. 2.artic.3.& lib.3.& 4. Belarminus tomo 1. ſuarum diſputat. Rodricus Zamorens. in ſuo ſpeculo, Chryſoſtomus Iauellus libro de ciuitate, & œconomia Chriſtiana, vbi multa habentur de ſingulis fere ſtatibus. Ægidij Nectlet lib. 4. opus compactum ex epiſt. Hieron. Aluarus lib.2. de plantu eccleſiæ Sotus lib.10. de iuſt.& iure. Barthol. Caſſaneus.par.4.

De ſtatu & officio epiſcopi, & de ijs, quæ ad epiſcopum pertinent, Gregorius Papa in paſtorali, Bernardus de cõſideratione ad Eugenium, Chryſoſt. in ſex. libris de ſacerdotio, Gregorius Nazianz.

Nazianz. oratione de ſtatu epiſcopali, & carmine ad epiſcopos. Concilium Aquiſgranenſe, qui locus eſt ampliſſimus, vbi colligitur ex varijs patribus doctrina neceſſaria ad inſtituendos omnes animarum curatores, locus omnino conſulendus. Ambroſius lib. de cura paſtorali, Auguſt. hom. de Ouibus. epiſt. 148. Ioan. Gerſon tomo 2. De vita & qualitate epiſcoporum, Multa habes apud Gratianum a diſtin. 34. ad 49. & a diſtin. 82. ad 90. De eorundem electione apud eundem a diſtin. 60. ad 67. Anſelmus de paſtore bono & mercennario, Laurentius Iuſtinianus. De conſtitutione & origine prælatorum, Gaſparis Contareni libri duo, Albertus Pius Carpenſ. lib. decimotertio contra Eraſmum. Ioan. Cochlæus. De moribus epiſcoporum, Iacobus Vuimphelingus, Clypeus paſtoralis Antonij de Pretis, eiuſdem de iuriſdictione epiſcoporum. Thomas Campegius de coadiutore epiſcoporum. Dionyſius Carthuſ. Opuſ. de regimine prælatorum. De epiſcopali dignitate Troilus Maluetius. ſchol. 4. ſent. diſt. 24. Polydorus Virg. lib. 4.

De cardinalatu, Paulus Corteſius, Hieronymus Albanus, ad Paulum III. Hieronymus Manfredus Ferrarienſis, Martinus Garatus, Andreas Barbatia, Gundiſaluus Villadiego, de origine, poteſtate, & dignitate Cardinalium. Ioan. Echius, de Cardinalium orig. Polydorus Virg. libro 4.

De



De legato a latere Andreas Barbatia, Nicolaus Boerius, Petrus Andreas Gammarus. De legatis eleganter & copioſe Conradus Brunus.

De ſacerdotibus & clericis, Canoniſtæ titulo de uita & honeſtate clericorum, & in titulis ſingulorum ordinum. vt de officio Diaconi, Archidiaconi &c. Gratianus diſt. 21. per totam. Ambroſius lib. de inſtitutione ſacerdotum, & lib. de dignitate ſacerdotali. to. 4. Iudocus Clichtoueus libro de uita & moribus ſacerdotum, de uita clericorum Diui Cypriani liber. Hieronym. tomo 1. & 4. Ioan. Lupi de libertate eccleſiaſtica. Concilium prouinciale Colonienſe. De ſacerdotis dignitate M. Sabellici oratio. De perfecto clerico abſolutiſſimum opus Alberti Trotti. Io. Gerſon tomo 2. De ſtatu clericorum, Ioannis Matthæi conſtitutiones ad curam paſtoralem. De officio ſacerdotis multa habes apud Franciſcum Georgium cantico 2. tomo tertio. Durandus de S. Portiano lib. de inſtitutione clericorum. Dionyſ. Carthuſ. Opuſc. de vita Canonicorum, de officio Archidiaconi. Rabanus, de inſtit. cleric. lib. 3. Petrus Bleſenſis. Ioan. de Lapide tractatus de his, quæ ad dignitatem ſacerdotalem exiguntur.

De officio principis Chriſtiani Diuus Thomas opuſculo de regimine principum, Ægidius Romanus opuſculo de eadem re. Raphael Volateranus, Thomas Campegius, Pontanus, de offic. prin. Iodocus Clichtou. de officio regis. Io.

Gerſon

Gerſon de conſiderationibus quas debet habere Princeps, tom. 2. Princeps Chriſtianus Mambrini Roſei italice.

De officio iudicis, Claudius Cautiuncula, de officio aduocati Ambroſius Catherinus. Iauellus locis ſupra citatis in ſua philoſophia morali: Franciſcus Lucius Durantinus de optima reip. adminiſtrat. lib. 2.

De ſtatu religioſorum & monachorum, Gratianus 14. cauſſ. q. 3. 4. & 18. q. 19. per totam. de ingreſſu religioſorum Gratianus cauſſa 21. per totam. & in decret. ſexto, & c. in certis titulis. Diuus Thomas opuſc. 17. 18. & 19. & in quæſtionibus diſput. diuus Bonauent. in ſuis opuſc. editis in defenſionem religioſorũ. Albertus Pius lib. 5. Contra Eraſmum, Belarminus tomo primo ſuarum diſput. De vita & ſtatu Eremitarum Nicolaus Boerius Burdegallenſ. De religioſis ſectis, earumq; auctoribus Remundus Freguier. Chryſoſtomi homelia, quod melior ſit ſtatus monachi, quam Regis, & aliæ nonnullæ homeliæ huc pertinentes, tomo quarto, homel. 56. 57. 58. Dionyſ. Carthuſ. opuſc. de vita ſolitaria, & contra proprietatem monachorum. Laurentius Iuſtin. de vita ſolitaria, Franciſcus Petrarcha. Io. Clichtho. Laudes vitæ ſolitariæ, Petri Damiani regula ſolitariorum. de Inſtitutis Monachorum Caſſian. lib. 4. Marci Eremitę ſententiæ. Nili Abbatis ad Monachos inſtitutio, Beatus Ephren de vita ſpirituali, Alphabetum monachi Thomæ de Cemps. Io. Gerſon de ſtudio religioſorum, Auguſt. lib. de operibus Monachorum.



De vita militari, Fernandus Diaconus in pedagogo militari, Dionyſ. Carthuſian. opuſculo de vita militum. Antonius Poſſeuinus italice, in libro, qui inſcribitur, Miles chriſtianus. De militibus Bartholom. Caſſaneus par. 9.

De vita ſcholariũ, Hugo in didaſcalio, Bonauent. in Breuiloquio, opuſc. de principijs ſcripturæ ſerm. 19. Dionyſ. Carthuſ. opuſculo de vita ſcholarium.

De virginitate & ſtatu virginum, Ambroſius lib. de Virginibus, exhortatio ad Virgin. & de inſtitut. virgin. Athanaſius lib. de virginit. Baſilius lib. de virginit. Damaſcenus libro quarto, de fide orthod. cap. 25. Gregorius Nazianz. carmen de laudibus virginit. & præcepta de virginit. Beatus Ephren in ſuis operibus de virginit. & caſtit. Hieronym. epiſt. ad Demetriadem, ad Euſtochium, & in lib. contra Iouinian. & apologia ad Pammachium. Cyprianus lib. de virgin. Fulgentius lib. de virginit. Auguſt. lib. de ſancta virginit. Sixtus Tertius lib. de caſtit. & continẽtia. Tertullianus libro de virginit. de virginibus velandis. & lib. de exhortatione ad caſtitatem. Saluianus Maſſilienſis in tribus libris de virgin. diuus Thomas libro tertio contra gentiles. cap. 136. & 137. Henricus de Gandauo. libro de virginit. Albertus Pius lib. 17. Cõntra Eraſmum. Bernardini Scandæonij Patauini libri ſeptem. Dionyſ.

Dionyſ.Carthuſ.opuſc. de vita virginum, Idem opuſculo de vita Monialium.de virgitate late & docte Sāctes Pagninus lib.4.ſuæ Iſagoges a cap. 24. & ſeq.

De viduis Ambroſ.de viduis,diuus Hierony. ad Saluiam. Dionyſi. Carthuſian. opuſcul. de vita viduarum.

De vita coniugatorum, Fulgentius de continentia coniugali. Chryſoſt. Iauel. in ſua politia, & œconomia chriſtiana, Franciſcus Barbarus in duobus libris de re vxoria. Dionyſ. Carthuſ. de vita coniugalium. Plures auctores habes infra in materia de matrimonio. Inſtitutio fœminæ chriſtianę Ludouicus Viues.Idem de officio mariti. Claudius Eſpenceus in libris de continent.

De vita nobilium,Dionyſi.Carthuſia. in ſuis opuſc.De optimo ciue Platina libri duo. Chryſ. Iauel.in ſuis opuſc. moralibus.

De vita mercatorum Diony.Carth.opuſculū.

De vita contemplatiua, Ioannes de Indagine. Maximi Tyrij philoſophi platonici ſermo,Proſperi Regienſis libri tres, Ludouicus Viues lib. ſecundo de anima,Chriſtoph. Landinus, Marſ. Ficin. Ariſtotel.libro decimo Ethic.Franc. Picolomin.in ſuis moralibus, Pelbartus tom. 3. ſui Roſarij.

De prophetia,diuus Thomas in fine.2.2.& in quæſtion. diſputatis. Alber. Magn. lib. de diuinatione & prophetia. Iacobus de Valentia tract. 2.in prologum pſalmorum,Petrus Ioan. Oliuerij, Iacobi Brochardi libri duo. Auguſtinus Niphus lib. de prophetia.



## *De Incarnatione & Chriſti vita.* *Cap.* *XXXI.*

VARII fuerunt auctores, qui de hoc ſacratiſſimo myſterio ſcripſerunt, quos ad certas claſſes reuocare poſſumus. Prima claſſis, in qua continentur Pontifices Romani, Eutychianus epiſtola ad epiſcopos Boeticæ prouinciæ tomo 1. Concil. Gaius epiſto. ad Felicem epiſcopum,Marcellinus epiſt.1. ad Salomonem, Liberius in ſuis actis, & in confeſſione fidei, Damaſus epiſt. ad Paulinum, & in profeſſione fidei, Leo primus epiſtola ad Flauianum, & in epiſtola 4.11.50.60.70.83.91. & in non nullis alijs. Gelaſius lib. de duabus naturis, Hilarius in ſuis decretis, qui etiam approbauit Concil. Nicæn. Epheſ. & Chalcedon. Hormiſda epiſt. ad Iuſtinianum Imperatorem, Ioannes Secundus epiſtola ad Valerium epiſcopum, Damaſus epiſtola ad Paulinum, Agapetus epiſt. ad Antherum, tom.2. Concil. Agatho in epiſt.quæ habetur in 6. Synodo. Secunda Claſſis, in qua continentur concilia, Concilium Nicænum, vbi interfuerunt 318. epiſcopi, & pro Pontifice legati, Biton, & Vincentius, contra Arrium. Conſtantinopolit. 1.can.2. contra Photium & Apollinarem: ubi interfuerunt epiſcopi 150.& legati,

legati, Timothæus, & Meletius. Epheſinum contra Neſtorium, vbi 200. epiſcopi, legati pro Cœleſtino Cyrillus Alexandr. & Menno, ſub Theodoſio Iuniore: Chalcedon. in Bythinia contra Eutychen ei Dioſcorum: interfuerunt 630. epiſcopi, legati pro Leone primo, Paſchaſius, & Lucentius, ſub Mariano Imperatore. Synodus Conſtantinop. Secunda, quæ fuit quincta generalis, in epiſt. contra Neſtorium. Interfuerunt 165. epiſcopi: in profeſſione fidei, & a can. 2. ad 14. Synodus 3. Conſtantinop. ſub Agathone Papa, vbi 170. epiſcopi interfuere, præſides, Georgius epiſcopus Conſtant. Theodorus presbyter, & Ioannes diaconus, contra Sergium, & quoſdam alios: actione 1. 4. 11. 13. 14. 17. 18. Synodus Nicæn. 2. vbi 367. epiſcopi fuerunt: & denique in Concilio Florent. in quo omnia ſuperiora confirmata fuere. Huc referres ſacros canones, in quibus fit aliqua de hoc myſterio mentio. cap. Firmiter de ſumma Trinit. & fide catholica, Clementina eodem titu. extrauag. de pœnit. & peccatorum remiſſione: de celebratione miſſarum, cap. in quadam. Tertia Claſſis conciliorum prouincialium, Concilium Antiochenum contra Paulum Samoſatenum, de quo Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 32. & maxime in epiſtola ad Dionyſium cap. 36. Concilia Romana tempore Sylueſtri, & Iulij celebrata. Color:ienſe, ſeu Agripinenſe, ſub Iulio 1. celebratum. Syrmienſe in profeſſione fidei:



dei: Carthaginen. 4. can. 1. & Carthag. 6. Toletanum 2. in aſſertione fidei: Tolet. 2. 3. 4. capite 1. multa & præclara: & 11. in profeſſione fidei, locus egregius. Aurelianenſ. 5. cap. 1. Hiſpalenſ. can. 13. ubi fuſe agitur teſtimonijs ſcripturæ. Bracharenſ. 1. cap. 1. & 4. Vormacienſe in profeſſione fidei. Et denique Lateran. ſub Alexan. III. & Innoc. III. In quarta claſſe ſunt patres Græci, Athanaſius lib. de incarnat. contra Macedonium, contra Arrium. Cyrillus de recta in Deum fide ad Theodoſium, & ad Reginas: in libris Theſaurorum, lib. dialogorum de Trinit. in epiſt. ad Succeſſum: in ſcholijs de incarnat. in anathematiſmis, quæ ſunt omnino legenda, in epiſtola ad Neſtorium in expoſit. Symboli Niceni, in lib. 8. contra Iulianum, & libris in Ioannem Ignatius epiſt. 4. & 9. Damaſ. lib. 3. de fide per totum, vbi etiam de uita & genealogia Chriſti: & in principio lib. 4. & lib. de duabus voluntatibus. Theodoreti Eraſtus, & contra Euthychetem, & lib. 6. de curan. gręcanicis affectionibus. Iuſtynus martyr in colloquio cum Triphone: & lib. de fide. Epiphanius contra hæreſes varijs in locis, & in ancorato. Gregorius Nyſſen. oratione catachetica in qua præcipue docet cur noſtram carnem acceperit: oratione ad Theophilum, & oratione contra Apollonium. lib. 2. de creat. cap. 12. Sophronius in epiſtola doctiſſima, quæ habetur in Cōcilio Chalcedon. actione 11. quæ epiſt. eſt approbata a Concilio. Origenes

 dia-

dialogo de recta in Deum fide hom. 1. in diuer-
ſos. Theoriani orthodoxi cum Armeno collo-
quium, vbi multa de duabus naturis. S. Maxi-
mus orat. de recta confeſſ. contra Eutych. & Dio
ſcorum, in quinque centurijs de œconomia, id
eſt, de incarnatione, vbi multa. Leontius Bi-
zantius de duabus naturis contra Seuerum: Ana
ſtaſius monachus contra Seuerum. Proclus epiſ.
Conſtantinop. contra Armenos, & Neſtorium,
Euthymij panoplia vbi multa ſunt collecta ex
ſanctis patribus. Iuſtiniani Imperatoris edictum
tomo 1. Conciliorum in fine, Gennadius in
opuſc. contra Neſtorium. Flauianus epiſcop.
Conſtantin. in reſcripto ad Leonem, Euſebius
Cçſarienſ. lib. 4. 5. 6. 8. 9. & 10. de præparatione
euangelica, vbi multa, Iſaac Syrus contra Ne-
ſtorium lib. 2. Denique libellus de duabus na-
turis, qui habetur in antidoto contra hæreſes.
Quincta Claſſis Latinorum patrum, Irençus in
lib. contra hæreſes varijs in locis: Tertul. lib. de
vera carne Chriſti, & multis alijs in locis ſuorũ
operum, Gregorius Bçticus, qui floruit ante Hie
ron. tẽpora lib. de fide ad Gallã, & Placidiã. Amb.
de fide ad Gratianũ, & lib. de incarn. & de Spir.
ſanc. lib. de fide & Symb. Auguſt. ad Voluſianũ,
& lib. de incarnat. S. Quinctiani fides, Breuia-
rium liberati tomo 2. Concil. Io. Caſsianus lib.
de duabus naturis contra Neſtorium. Boethius
lib. de duabus naturis. Hilarius lib. de ſynodis,
& lib. de Patris, & Filij vnitate. Alcuinus in 3.
libris



libris de Trinitate: Vigilius in libris contra Eu-
thyche. Fauſtinus epiſc. lib. de fide contra Arriũ.
[illegible] Maxentius dialogo contra Neſtorianos, lo-
cus omnino legendus, Paulinus Aquileienſis
epiſcopus aduerſus Felicem Vergilitanum, &
Eliphandum Toletanum epiſcopum, Aurelius
Prudentius contra Patripaſſianos, Agnellus epi-
ſcopus libro de ratione fidei, Ruſticus diaconus
lib. contra Acœpalos, Fauſtus lib. de duabus na-
turis, Cerealis epiſcopus Apher lib. contra Ma-
ximinum, Antonini epiſcopi epiſtola, Fulgen-
tius lib. de duabus naturis ad Traſimundum re-
gem Vandalorum, de myſterio mediatoris, &
de incarnatione, Anſelmus lib. cur Deus homo,
lib. de incarnat. de conceptu Virg. Guilelmus Pa
riſienſ. lib. cur Deus homo, Richardus S. Victo-
ris lib. de Verbo incarnato, vbi ſpeciatim incar-
nationis congruentiam demonſtrat. Hugo S. Vi-
ctoris in 4. lib. in quorum primo de anima Ghri
ſti, in 2. de Sapientia, in 3. de triplici voluntate,
in 4. de incar. In ſexta claſſe ponuntur Scholaſt.
apud Mag. in 3. lib. par. 23. diſt. Diuus Thomas,
par. 3. ſummæ & lib. 4. contra gent. a cap. 27. ad
56. & in diſput. quæſt. vnica de vnione Verbi, de
gratia Chriſti, q. 29. de verit. Paulus Corteſius
lib. 3. vbi etiam de vita Chriſti. Ioan. Driedo lib.
de captiuitate, & redempt. generis humani. Vin-
centius lib. de gratia Dei. Franciſcus Georgius
in ſuis canticis varijs in locis. Idem late de Chri-
ſti ſacerdotio, Antoninus in chronica. tit. 6. par-

 te

te prima, Alphonſus Mendoza in ſuis quæſtion. quolibeticis, &c. Alphonſ. archiepiſc. Salernit. lib. de vnione Verbi, & hominis. Ioannes [redacted] de appellationibus, ſeu epithetis Filij Dei ex ſcriptura collectis. In ſeptima collocari poſſunt quidam alij ſcriptores, qui diſputantes contra Iudæos nonnihil de hac materia ſcripſerunt, vt ſunt, Galatinus, Finus Ferrarienſ. Paulus Burgenſ. in ſuo Scrutinio, Victoria Porchet. & quidam alij.

De Chriſti paſſione ſpeciatim Athanaſ. lib. de paſſione, Anſel. dialogo de paſſione, diuus Bernar. lib. de paſ. diuus Thomas parte tertia, Dionyſ. Carthuſ. lib. 4. de fid. & lib. 4. meditat. dominicæ paſſionis, Simon de Caſſia in lib. de geſtis Chriſti. Ioan. Franciſc. Picus, Landolphus Carthuſ. D. Bernardini Senen. lib. de paſs. Ioan. Taulerius, Nicolaus Eſchiuſ.

De miraculis, Auguſt. lib. 10. 11. & 12. de ciuit. diuus Thomas in diſput. quæſt. 6. lib. 3. contra gentil. cap. a 98. ad 107. Dionyſ. Carthuſ. in opuſc. Antonin. in ſumma.

## *De veneratione, inuocatione, canonizatione, ſanctorum, & imaginum adoratione.* *Cap.* XXXII.

SYNODVS 7. vniuerſalis, Concilium Florēt. & Triden ext. de reliquijs & veneratione ſanctorum, Cyrillus late lib. 10. contra Iulianum, Cyprianus ſermone de laudibus martyrij, Ambroſ. lib. 7. epiſt. 59. & 60. Auguſt. homil. 17. in Apocal. De Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 73. lib. de cura pro mortuis agen. cap. 3. 16. lib. 22. de ciu. Theodoretus lib. 7. & 8. de curandis græcanicis affectionibus, Damaſ. lib. 4. cap. 13. 16. 17. Hieronymus contra Vigilan. Albertus Pius lib. 9. contra Eraſ. Alanus copus, fuſe, docte, & eleganter. Hoſius Cardinalis Varmienſ. Thomas Faſellus lib. de rebus ſiculis, Ioan. Faber Berengotius Abbas ſerm. in die dedicationis Eccleſiæ, ſerm. in natali martyrum, Theophidius ſer. de veneratione diuorum. Frater Felicianus capitonus par. 1. explicat. 46. 47. & 58. locorum communium, de inuoc. Sanctorum, & venerat. imaginum, parte prima, explicat. 26. 46. 53. 57. & alijs in locis, Caietan. tomo tertio opuſc. de canonizatione ſanctorum late, Auguſtinus de Ancona lib. de eccleſiaſtica poteſtate, Troilus Maluetius, Gregorius Buſtus, Conradus Clingius lib. 4. locorum communium cap. 42. & ſeq.



De adoratione imaginum legenda eſt tota Synodus 7. quæ hac de cauſſa potiſſime celebrata fuit, in qua varij citantur ſuper hac re auctores, Adrian. I. lib. de imagin. Athanaſ. in ſermone de imagine Chriſti in Beryto, Leontius epiſcopus Neapoleos, Sophronius Hieroſolymorum epiſc. Baſil. hom. 47. Cyrillus epiſt. ad Acacium. Auguſt. contra Fauſtum. lib. de moribus Eccleſiæ cap. 34. Pſellius in carminibus de 9. Synodis,

nodis, Gregorius lib.9.epiſt.39. & lib.7. epi.54. Euſebius Cæſarien.in hiſtoria Eccleſ.lib.7.c.14. Ionas Aurelianenſ. in tribus libris, Nicephorus lib.6. cap.15.16. & lib.9. cap.30. lib.10. cap.7. Theophidius Abbas ſerm. de ſanctorũ reliquijs locus omnino legendus. Berengotius, lib. de laudibus ſanctæ crucis, & lib. de myſterio ligni, Rabanus lib. de laudibus crucis. Martinus Pereſius in lib. de traditionibus, Albertus Pius Carpenſ. lib.8. contra Eraſ. Michael Bucchingerus contra Lutherum, Canoniſtæ tit. de reliquijs & veneratione ſanctorum. Lege vitas Simonis Metaphraſtes, & auctores citatos pro veneratione ſanctorum.

*De conceptione beatæ Virginis, & de eius laudibus.* *Cap. XXXIII.*

MISSIS priuatis patrum locis, quoſdam citabo auctores, qui ex profeſſo de hac re diſputarunt, vbi patrum auctoritates legere poteris. Diuus Antoninus parte prima, tit. octauo, Turrecremata in tractatu de hac re. Vincentius de Caſtro nouo, Chryſoſt. Iauellus quæſt. de cõcept. Petrus Vincentius Dominicanus fecit catalogum eorum, qui de conceptione ſcripſerunt. Caietani opuſculum. Ioannes Gerſon cuius opuſculum eſt omnino legendum, Ambroſius Catherinus, Carolus Phernandus de puriſſima concept. B. Virg. contra Vincent. de caſtro nouo. D.Bernard. Senen. lib. de concept. Dominicus Bolanus Venetus. de cõceptione lib.1. Frãciſcus Martini Carmelita de puriſſima concept. lib.7. Iacobus Vuimphelingus pro concept. B. Vir. Philippus Alberti de Nurſia pro puriſſima concept. B. Virg. Philippus Kerſlel Carmelita contra Vincen. de caſtro nouo. Rupertus Xaguinus ordinis S. Trinitatis contra Vincent. Petrus de verberia, alias Aureoli, in lib. de concept. B. Virg. Henricus Oyta lib. de concept.

De laudibus B. Virg. Anſelmi opuſculum. Bonauent. opuſculo 15. & 24. tom.2. Antoninus in ſumma. par.3. tit.31. par.4. tit.15. vbi multa. Carthuſ. in ſuis opuſc. latiſſime. Bernar. in ſerm. in illa verba, Miſſus eſt Angelus. Caniſius latiſſime, Franciſci Coſteri e ſocietate Ieſu de vita & laudibus beatæ Virginis meditationes. Albertus Mag. lib. de laud. Virg. Iacobus Vuimphelingus lib. de laudibus Mariæ, Paulus Burgenſis in ſuo Scrutinio parte ſecunda, diſtinct.2. cap.2.3.4. & ſequentibus.

*De ſacramentis in communi, de baptiſmo, circumciſione, & confirmatione.* *Cap. XXXIIII.*

DE ſacramentis in communi, Dionyſ. Areopag. de eccleſiaſt. hierarchia, Cyrillus, Ieroſolymitanus in ſuis Catecheſibus, Ambroſius in libris 6. de ſacram. tom.4. & lib. de myſterijs initian-

initiandis. Damaſ. lib. 4. Hugo de ſancto Victore lib. 12. de ſacram. Gulielmus Pariſienſ. parte ſecunda, Decretum Eugenij ad Græcos & Armenos. Concil. Florentinum, & Tridentinum, & multa prouincialia concilia: vt Maguntin. & Colonienſ. Gratian. in diſtin. de conſecrat. & decretales in titulis ſacramentorum. Thomas Vualden. tomo ſecundo, Ioannes Eckius in homelijs de ſacramen. Ioannes Roffenſis contra articulos Lutheri. Hoſius Cardinalis in confeſſione polonica. Decanus Louaniẽſis, ſiue Ruardus Tapper in ſuis articulis, Iodocus Tiletanus in refutatione examinis Kemnitij, Gulielmus Alanus lib. de ſacram. Lindanus in ſua panoplia lib. 4. Diuus Thomas lib. 4. contra gent. cap. 56. Scholaſtici in lib. 4. ſenten. diſtinct. 1. &c. Petrus Soto de inſtitut. Sacerdotum. Ioannes Gerſon parte ſecunda, Petrus Emotte de ſacram. Ioan. de Burgo, Gregorius Buſtus, Nicolaus de Polue, Paullus Corteſius. libro quarto, ſuæ Theologiæ. Summa Aſten. lib. 4. Cardinalis Contareni lib. 4. Conradus Clingius toto libro quarto, de locis communibus, vbi de omnibus ſacramẽtis contra hærericos. Chryſoſto. Iauel. de chriſtiana Philoſ. parte quincta, Algerius monachus Benedictin. lib. de ſacram. Gulielmus Durandus in rationali diuin. Petrus de Aliaco lib. de ſacramentis. Iuonis epiſcopi Carnotenſis decretum, Io. Gerſon, libro de 7. ſacramen. tomo ſecundo.

De baptiſmo, præter loca ſuperius citata, in quibus



quibus vniuerſe agitur de ſacramentis, placet nonnulla alia ſeorſim ad ſingula ſacramẽta pertinentia recenſere; & pro materia de baptiſmo, hæc ſpeciatim notanda ſunt. Legendi ſunt igitur in primis expoſitores ſacræ ſcripturæ in ijs locis in quibus de baptiſmo fit mentio, vt Ioan. 3. & alijs ſimilibus. Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica hierarchia, Gregorius Nazianz. oratione in ſanctum Lauacrum, Anaſtaſius Sinaita libro quincto in Gen. Coſmæ Hieroſolymitani Hymni. Damaſcenus libro quarto de fide ortho. cap. 10. Gregorius Nyſſenus orat. de ſancto baptiſmo, Baſilius in libris de baptiſmo, & oratione hortatoria ad baptiſmum, Tertullianus libro de baptiſ. Cyprianus lib. de baptiſmo, Ambroſ. lib. de his, qui initiantur, Cyrillus Ieroſolim. in ſuis catacheſibus, Chryſoſtomus hom. ad Neophitos, Auguſt. lib. de baptiſmo contra donatiſtas, & tract. 5. & 6. in Ioan. tract. 5. & 6. Clemens Alexandrinus libro primo pedag. cap. 6. Melchiades Papa epiſt. ad Epiſcopos Hiſpanos, Gelaſius ad Epiſcopos Lucaniæ, Anaſtaſius ad Anaſtaſium Auguſtum, Leo epiſt. 4. 5. & 84. Pacianus lib. de baptiſmo, Marcus Abbas dialog. de baptiſmo, Thomas Vualdenſ. Guillelmus pariſ. Henricus Harphius libro primo, cap. 15. ſuæ myſticæ Theologiæ, Ioan. Faber de baptiſ. paruulorum, Bartholomæus Spinola de forma baptiſmi. Canoniſtæ de conſecrat. diſt. 4. & tit. de baptiſmo & eius effectu: & cõcilia fere omnia aliquid de

de hoc ſacramento dicunt. Venantius Honorius Fortunatus, Paulinus Nolanus Epiſcopus, Bruchardus Vormacien. de ritibus baptiſmi. De baptiſmo infant. contra anabaptiſtas, Gregorius Caſſander, qui patrũ auctoritates collegit. Scholaſtici 4. ſent. a diſt. 3. ad 6. Richar. de ſancto Victore lib. de baptiſmo Chriſti.

De Circumciſione, Euthymius in panoplia. tit. 8. Damaſ. lib. 4. de fide cap. 26. Zeno Veronẽ. epiſc. lib. 3. ſer. 8. Cyprian. ſerm. de circumciſ. & lib. contra Iudæos, Auguſt. lib. 2. contra Pelag. & Cœleſtin. Hieronym. tomo 4. Ambroſius varijs in locis in ſuis epiſt. & lib. de circumciſ. Origenes & alij expoſitores in epiſt. Pauli ad Romanos, Gulielmus Pariſienſis lib. de legibus, Aug. contra Iulian. Iuſtinus dial. cum Triphone, Ecbertus canonicus Bunnenſ. ſermo. 6. & 8. Schol. lib. 4. ſent. diſt. 3. Finus Ferrarien. in ſuo Flagello contra Hebræos multa.

De Confirmatione, Clemens Romanus epiſt. 4. & lib. 3. conſtit. cap. 10. 16. & 17. & lib. 7. cap. 44. Fabianus Papa epiſtola decretali tomo primo conciliorum, Melchiades in epiſtola ad epiſcopos Hiſpaniæ, qui locus eſt illuſtris, Gregorius epiſt. 9. libro tertio, Concilium Florent. & Trident. & nõnulla alia prouincialia. Dionyſius Areopag de Eccleſiaſtica hierar. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi. 3. Damaſc. lib. 4. cap. 10. & 26. Cypria. lib. 1. epiſt. vltima, Rabanus lib. 1. de inſtitut. clericorum. cap. 30. Amalarius lib. 1.

de



de officijs Eccleſiaſticis. Hugo lib. 2. Scholaſt. in 4. diſt. 7. canoniſt. de conſecrat. diſt. 5. a can. primo ad 8.

## *De Euchariſtia, & Sacrificio Miſſæ. Cap. XXXV.*

INNVMERI fere ſunt ſcriptores, qui de hoc ſacramento aliquid litteris commendarunt, & præſertim his noſtris temporibus, quibus hæretici tam varie, & tam peſſime de hoc ſingulari Chriſti domini in nos beneficio, ſenſerunt, quorum bonam hoc loco partem recenſebo. Dionyſius Areop. in lib. de eccleſiaſtica Hierarchia, Cyrillus Hieroſolym. catecheſi 4. Baſilius & Chryſoſt. in ſuis liturgijs. Damaſ. lib. 4. de fide. c. 14. Cyrillus Alexan. lib. 8. contra Iulian. Fauſtus Regienſis, ſiue Euſebius Emiſſenus auctor latinus, ſer. de corpore Domini. Lanfrancus epiſcopus Canthuarienſ. contra Berengarium, Ecbertus Canonicus Bunnenſ. ſerm. 11. & 12. Cyprian. epiſt. 3. lib. 2. Gratianus de conſecrat. diſt. 2. per totam. Stephanus Neduenſis epiſc. lib. de ſacramento altaris. Paſchaſius Abbas lib. de corpore Domini. Antonius Monchiacenus de veritate corporis Chriſti in ſacrificio, Benedictus Vuierus monachus de ſacramento Euchar. vbi habes magnam copiam auctoritatum. Camilli Cautij de Sacramento Euchariſtiæ, Chriſtophorus Madridius Ieſuita de frequenti vſu Euchariſtiæ

Claudius

Claudius Eſpenceus lib. 5. de Euchar. de vtraque miſſa publica, & priuata, Cladius de Sainctes Theologus Sorbonenſ. de communione ſub vna ſpecie. Franciſcus Turrianus de Euchariſtia. Nicolaus Menius contra Vbiquitas, Petrus Scarga e ſocietate Ieſu contra Caluinum. Ioan. Anton. Delphinns lib. 2. de eccleſia, Hoſius Cardinal. in confeſſione Polonica a cap. 44. Lindanus lib. 4. panopliæ a cap. 57. Pereſius Aiala lib. de traditionibus par. 3. Ioan. Cochlæus in diſcuſſione art. 11. & 13. Auguſtanę confeſſionis. Ioannes a Dauentria in confutatione eorundem articulorum. Ioannes Hoffemeiſterus in iudicio de eiſdem articulis. Chryſoſtomus Iauellus lib. de philoſophia chriſtiana parte quincta, tractatu quincto. Gramineæ de Vigilijs lib. de ſacramen. Euchariſtiæ contra Caluin. & vbiquitas. Martinus Schemagius de præſentia Chriſti in ſacram. lib. 3. Gregorius Vincelius de Euchariſtia contra hæreticos. Ioan. Garetij teſtimonia patrum de corpore Chriſti. Ioan. Hoſman tracta. de communione ſub vtraque ſpecie. Gregorius Caſſander de liturgia, ſiue miſſa, & de collectis fuſe, Michael Bucchingerus de Euchariſtia contra Lutherum, Iſidorus Hiſpalen. epiſc. libro de corpore & ſang. Domini & de officio miſſæ lib. 1. Io. Gerſ. de cõmunione ſub utraque ſpecie par. 1. Sanctes Pagninus in ſua Iſagoge. Ex poſitores ſacræ ſcripturæ in illis locis, ubi fit mẽtio de hoc ſacram. Finus Ferrarien. lib. 8. fuſe, Sauona-



uonarola lib. 3. de ueritate fidei. Laurentius Iuſtinianus lib. de ſacram. altaris; Beſſario Cardinalis de Euchar. lib. 4. Ægidius Romanus lib. de corpore Chriſti. Hidelbertus lib. de ſacram. altaris, Algerius monachus benedictinus de Sacram. altaris lib. 3. Io. Faber de ſacrif. miſſæ Matthęus de Cracouia de celebrat. miſ. Henricus Inſtitor de Sacram. Euchar. Caietan. in opuſ. de celebra. de valore orationum dictarum in die feſto, de commun. ſub vtraque ſpetie, & Dion. Carth.

De ſacrificio miſſæ, Io. Faber lib. 2. 3. 4. & 5. de miſſa Caietanus tractatu de hac re. Rofenſis lib. de uiſibilio ſacerdotio. Gregorius Caſſander de Liturgia, ſiue miſſa, & de collectis fuſe. Ambroſius Catharinus lib. de veritate incruenti ſacrificij, Martinus Pereſius lib. de traditionibus par. 3. conſideratione 4. Ioannes Echius de Sacrif. miſſæ, Gaſpar Scargerus in tractatu de miſſa Io. Driedo lib. 4. de diuinis ſcripturis c. 5. par. 4. Iodocus Tiletanus in apologia pro Concilio Trident. Decanus Louanienſ. art. 16. Albertus Pighius lib. 4. Hierarch. eccle. Antonius Demochar. libri 4. de hac re. Caſtro lib. 10. de hæreſibus, Hoſius in confeſſione Polonica c. 41. Lindanus lib. 4. Panopliæ a c. 57. & ſeq. Cano lib. 10. de locis Theol. c. 13. Nicolaus Plouæus, Guilelmus Alanus lib. 2. de Euchar. Gregorius de Valenza in tractatu, & apologia de ſacrif. miſſæ. Iacobi Pontelini canonici Burgenſ. de liturgia latinorum tres tomi. Scholaſt. 4. ſent. a diſt. 8. ad 13. Alex.

Alex.Hal.par.4. Canoniſtæ de conſ.diſt.1.& 2. & tit.de celebrat. miſſarum.

*De Sacramento pœnitentiæ & confeßionis.*
*Cap. XXXVI.*

CONCILIVM Florentinum de vnione Armenorum, Tridentinum ſeſ.14.& non nulla alia prouincialia, & priuatim Colonienſe, quorum multa habentur apud Gratian. in diſt. de pœnit. & 23.q.3. & in his locis Turrecremata. & in decret.tit.de pęnit.& remiſſionibus, eodem tit.lib.6. & in Clemen. & Bulla Leonis X. contra Lutherum. Chryſoſt. homeliæ nonnullæ tomo 2. de pœnit.& compunctione. B. Ephren. ſerm. de pœnit.& compunctione, Baſilij orat.de pœnit. Theodoretus in epitomis diuin. Zenonis Veronenſ. epiſc. & Cæſarei Arelatenſ. epiſc. ſermones, Beatus Fulgentius epiſtola ſeptima, & libro de pœnitentia, Tertullianus libro de pœnitentia, Cyprianus contra Nouatianum, & ſermone de lapſis, Ambroſius libro de pœniten. & in hortatione ad pœniten. Auguſt. lib. de vera & falſa pœnit, libro de vtilitate pœnitentiæ, lib. de contrit. cordis. tomo 9. Iſaac Syrus lib. de pœnit. Cornelij epiſtola ad Eccleſiam Antiochenam contra Nouatum, Pacianus Barcilionenſis epiſcopus in epiſtola ad Simpronianum, & alia epiſtola omnino lectione digna de pœnitentia, & confeſ. Ioannes Gerſon in Magnificat, Scho-



Scholaſtici in lib. 4.ſent.diſtin.14. & ſequen.vſque ad 22. & ſpeciatim Ioannes Maioris, Paludanus, Martinus Ledeſma Richardus, ſotus, &c. Adrianus in 4.ſent. & in quolib. Alexander Halenſ. par.4. Richardus de S. Victore libello de Clauibus, Hugo de Sancto Victore lib.2.de Sacram. par.14. Diuus Thomas de forma abſolutionis opuſ.22. & de modo confitendi opuſ.64. Bonau. opuſculo 9. tomo 1. de ratione adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ, & opuſc.11. de ratione confitendi peccata. Medina Codic. de pœnit. Andreas Vega ſuper Concilio Trident. Ioan. Baptiſt. Mantuan.lib.de pęnit. Henric. de Gandauo lib. de pœnit. Thomas Vuald. lib.2.cap.135.& ſequen. Melchior Cano relect. de pœnitent. Petrus a Soto, & omnes fere qui ſcripſe contra Lutherum & modernos hæreticos, ut Echius, Roſenſis, Decanus Louanienſis in ſuis articulis, Hoſius, Vincentius Gencharius contra Lutherum, Albertus Pighius controuerſia 4. Albertus Pius Carpen. lib.19. contra Eraſ. Ioannes Gropperius in Enchiridio, Dieghus Payua lib.8.orthodoxarum explicationum, Iacobus Latomus contra Oecolampadium de confeſſione ſecreta, Alphonſus a Caſtro contra hæreſes, ſumma Aſtenſis lib. 5.Nauarra in commentario in 7.diſt.de pœnit.locus illuſtris, Summiſtæ omnes uerbo pœnit. confeſſio, & ſatisfactio. Petrus Bleſenſis Archidiaconus lib.de confeſſ. auricula ri,Marianus Victorius Reatinus lib.de utilit.cōfeſsion.

feſſion. Nicephorus epiſtola ad Theodoſium, Lindanus in ſuis dialog. lib. 2. Caietanus in opuſc. de contritione, confeſſione, ſatisfactione, de pollutione ex auditione cõfeſsionis, de miniſtro ſacramenti pœnitentiæ, de iniunctis pœnitẽtijs, de ſigillo confeſ. de quo Sotus lib. de tegendo ſecreto. Ioan. de Indag. Carthuſ. lib. de uera & falſa pœnit. lib. de modo confitendi. M. Marulus libro 4. cap. 9. 10. & 11.

### *De purgatorio, indulgentijs, & iobelæo. Cap. XXXVII.*

DE purgatorio in Cõcilio Florentino, & Tridentino decernuntur quædam. Expoſitores primæ epiſtolæ Pauli ad Corinthios cap. 3. in illa verba, Saluus fiet quaſi per ignem. Ecbertus Canonicus, Bunnenſis ſerm. 9. contra Catharos, Cæſarius epiſcopus Arelatenſ. multa de purgatorio in ſuis ſermonibus, Damaſcenus lib. de ijs qui in fide obdormierunt, vbi de oratione pro defunctis, Conradus Clingius, lib. 4. cap. 49. & ſeq. F. Felician. par. 3. explicat. 30. Scholaſt. 4. ſent. diſtin. 46. Ioan. Faber. Ioannes Garetius lib. de oratione pro defunctis vbi habes congeſtas multas patrum auctoritates, Ioannes Latomius in explicat. art. 6. Louanien. Iodocus Clichtouæus lib. de purgatorio, Alphonſus a Caſtro verbo, purgatorium, Martinus Pereſius Aiala lib. de traditionibus, Claudius Couſſord contra Vualden-



Vualdenſes, Caietanus tomo 1. tract. 23. & 24. Franciſcus Orantius lib. 5. de locis catholicis, Ambroſius Catharinus lib. de veritate Purgatorij, Hugo Herianus de egreſſu animarum ab inferis, M. Marulus lib. 5. cap. 11. Roſenſis artic. 38. contra Lutherum, Ioannes Echius lib. 4. de purgatorio, Bunderus in ſuo compendio titu. 18. Theodorus Peletani de purgatorio, ſuffrag. &c. Antonius in ſumma par. 3. tit. 32. Vincentius Gencharius cõtra Lutherum Cœlius Rodigin. lib. 10. Belarminus. Bernardus de Lutzemburgus lib. de purgatorio.

De indulgentijs diſputant Scholaſtici in lib. 4. ſent. diſt. 20. Caietanus multa de indulg. tracta. 1. opuſculorum. Antoninus in ſumma par. 1. tit. 10. Conradus Clingius lib. 3. de locis commun. cap. 14. Raynerius in Pantheol. Ioannes Echius in Enchirid. cap. 24. Roſenſis art. 17. contra Lutherum, Ioannes Gerſon parte 2. Gregorius Buſtus, Summiſtæ verbo, indulgentia. Theſaurus cœleſtis indulgentiarum italice. Pelbartus in Roſario par. 4. Adrianus in 4. in materia de indul. Caſtro de hæreſibus verbo, indulgẽtiæ. Ioſephus Angles. quæſt. de indulg. Anton. Roſellus Patauinus, Ludou. Bologninus, Bonon. de indulgentia plenaria, Felinus Sandęus Ferrar.

De Iobelęo, Ioannis Ananiæ tractatus, Stephani Notij explicatio breuis Iobelęi, Cyrilli Franci Bononienſis commentarius, Martinus Nauarra de iobelęo & indulgentijs.

## *De oratione, horis Canonicis, & traditionibus.* *Cap.* XXXVIII.

De oratione habes quædam apud Clementem Alexandrinum libro 6. Stromatum. Legendæ ſunt duæ pulcherrimæ orationes diui Chryſoſtomi de oratione, Nili Abbatis de oratione capita centum lectione omnino digna, Singulare opus Gulielmi Pariſienſis de rhetorica diuina, quod habetur in prima parte. Dionyſius Carthuſianus latiſſimæ & exactiſſime in ſuis opuſculis. Caſſian. lib. 2. & 3. Alexander Halenſis parte 4. quæſt. 88. & ſeq. Late Ioannes Roffenſis tract. de orando Deo, Summiſtæ hoc titulo, Alphonſus a Caſtro contra hæreſes verbo, oratio, Medina tract. 6. de oratione, Scholaſtici in 4. ſent. diſt. 15. Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 83. Ioſephus Angles quæſt. de orat. Richar. de Sancto Victore lib. de oratione mentali, Ioan. Gerſon de oratione, & eius valore tomo 3.

De horis Canonicis, Nicolaus de Ploue Gerardus Theutonicus, Io. de Lignano, Albertus de Ferrarijs. Martinus Nauarra de oratione & horis canonicis, & miſcellanea de oratione, & præſertim de Roſario B. Mariæ. & in c. Quãdo, Summiſtæ hoc titulo. Ioſephus Angles in quæſtione de horis canon. ſummiſtæ & maxime Sylueſter verbo, Hora canonica, Sotus lib. 10. de iuſt. & iure, quæſt. 5. Caſtro verbo, Templum lib. de hæreſibus. Qualiter canendum apud Gratian. diſt. 91. & 92.

91. & 92.



De horis can. Henricus de Haſſia. Franciſcus Zabarellus de horis canonic. Ioan. Echius de orat. & horis canon.

De traditionibus, ritibus, & cęremonijs Eccleſiæ, Tertullianus libro de præſcriptionibus, Epiphanius in compendio, Vitæ Simonis Metaphraſtis, Lyppomani, & Laurentij Surij ſanctorum vitæ. Victoris Vticenſis hiſtoria, Ioannes Belethus in rationale diuinorum: qui auctor floruit ante 400. annos, Theodulphi Aurelianẽſis lib. de Eccleſiaſticis obſeruationibus, Ecbertus Canonicus Bunnenſis in ſuis ſermonibus, & ſpeciatim ſermone tertio. Martinus Pereſius Aiala ex profeſſo, in libro de traditionibus, Albertus Pius Carpenſis lib. 6. & 7. contra Eraſmũ, Ioan. Ecchij Enchiridion, Albertus Pighius de hierarchia Eccleſiaſtica libro primo, Conradus Brunus lib. de cęremonijs, Ioan. Cochlęus, Matthæi de Cracouia Rationale diuinorum lib. 7. Melchior Cano libro tertio, de locis Theologicis, Rationale diuinorum, Conradus Clingius lib. 3. de locis communibus a cap. 26. per multa cap. F. Felicianus capit. in explicationibus locorum commun. vtriuſque teſtam. vbi varijs in locis defendit ritus & traditiones contra hæreticos, Ioan. Faber. Vienen. epiſc. Iuonis decretum, Turrecremata libro de aqua benedicta, Ludouicus Maioranus multa de traditionibus in Clypeo Eccleſiæ.

### *De Sacramento ordinis, extremæ vnctionis, & de cenſuris. Cap. XXXIX.*

DE hoc Sacramēto habes nōnihil apud Dionyſium Areopagitam lib. de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 5. legendus eſt Chryſoſt. in libris de ſacerdotio, D. Hierony. de ſeptem gradibus Eccleſiæ, tomo 4. Ambroſius lib. de dignitate ſacerdotali, Ecbertus late ſermone 5. Gratianus in decretis a diſt. 51. ad 59. & a diſt. 60. ad 81. De continētia Clericorum a diſt. 27. ad 33. & cauſſa 9. per totam. Et in decretalibus in varijs titulis de clericis, & de clerico, non ordinato, ordinato per ſaltus, &c. corpore vitiatis, qui ordinem furtiue ſuſcepit, Ne clerici, vel monachi, &c. & in libro ſexto, & Clementinis. Concilium Trident. ſeſſ. 23. Scholaſtici in 4. ſent. diſt. 24. 25. &c. Albertus Pighius lib. 2. hierar. Eccleſiaſt. Summa Aſtenſis lib. 6. De cœlibatu ſacerdotum Clicthouæus contra Lutherum, De cœlibatu non abrogando Thomas Campegius, Robertus Aboricenſis de ſacro cœlibatu, Marquardus de Suſannis Vtinenſ. Caietani opuſculum de ſacri ordinis collatione, quæſtio de modo tradendi, ſeu ſuſcipiendi ſacros ordines. Diuus Thomas lib. 4. contra Gentiles cap. 74. & ſequent. Alphonſus a Caſtro de hæreſibus verbo, ordo. De miniſtris Eccleſiæ apud Gratian. diſt. 21. 23. & 24. De officijs ſingulorum, diſt. 25. & in decretalibus in ſuis

ſuis titulis, Guliel. Duran. lib. 2. Rationalis. De clauibus, Scholaſt. diſt. 18. & 19. Alexan. Halen. par. 4. quæſt. 19. & 20. Turrecrem. lib. 1. ſummæ de Eccleſia, a cap. 93. Richardus de ſancto Victore libello de clauibus, Victoria in duabus relectionibus de hac re. Pelbartus in Roſar. par. 4.

De Sacramento extremæ vnctionis, Innocentius Primus epiſtola 1. ad Decentium Epiſcopū Eugubinum, cap. 8. Innocentius Tertius, capite cum veniſſet de ſacramenti vnctione, Cōcilium Florent. de vnione Armenorum, Tridentinum ſeſſ. 14. & nonnulla concilia prouincialia: vt Gabilionenſe 2. can. 48. Vormaciēſe can. 72. Aquiſgranen. 2. can. 8. Scholaſtici in 4. ſen. diſt. 23. Diuus Thomas lib. 4. contra gent. cap. 73. Bruchardus lib. 4. can. 75. Cōradus Clingius lib. 3. locorum commun. cap. 39. & 40.

De cenſuris, de excommunic. Scholaſtici 4. ſent. diſt. 18. Alex. Halen. quæſt. 81. Auguſt. epiſt. 75. de irregularitatibus & diſpenſat. diuus Bonauent. opuſc. 10. tomo primo. De excommunicatione B. Antoninus, Franciſcus de platea, Iacobus de Beluiſio, Ioānes a Capiſtrano, Io. Echius, Nicolaus Plonius de irregularit. excommunicat. & interdicto, Ioan. Faber. Celſus Mapheus Veronenſ. de interdicto Eccleſiaſtico: Summa Aſtenſis lib. 7. late de excommunicat. Ioannes Gerſon parte ſecunda, Thomas Campegius, Didacus Couarruuias in conſtitutionem, Alma mater, Summiſtæ in proprijs titulis, & ſpeciatim.

tim Summiſtę canonici, vt Hoſtienſis, Gofredus, &c. De irregularitate beatus Antoninus. Pelbart. in Roſario par. 4. de excommunicat. & irregul. Canoniſtæ de ſententia excommunicationis. Caiet. in opuſc. quęſt. de excommunic. De caſuum epiſcopo reſeruatorum, & de cenſuris, liber auctore Lælio Zecco. Candelabrum aureum parte ſecunda, de Eccleſiaſtico interdicto Ioannes a Lignano, Ioannes Calderinus, De excommunic. apud Gratianum 24. per totam, & 26. quæſt. 6.

*De Sacramento matrimonij. Cap. XL.*

DE hoc Sacramento legendi ſunt expoſitores diuinæ ſcripturæ in 2. & 9. cap. Geneſeos, in caput 5. & 9. Matthæi, & in cap. 10. Marci, & Lucæ 16. Et in Ioannem in hiſtoria de nuptijs celebratis in Cana Galileæ, & alijs in locis, vbi dantur leges matrimonij in lege Veteri. Sacri canones, de adulterijs, clandeſtina deſponſatione, de cognatione legali & ſpirituali, de cōiugio leproſorum, ſeruorum, conſanguinitate, & affinitate, conuerſione coniugatorum, de eo qui duxit in matrimonium eum, quam polluit, de frigidis, ſponſalibus, ſponſa duorum, & alijs, ad hanc materiam pertinentibus, libro quarto, per totum, Et in ſexto, in his locis canoniſtæ. In decreto apud Gratianum diſtinct. 27. quęſtio. 1. & 2. & 28. vſque ad 33. de pœnit. q. 4. & 5. & 34. &



34. & 36. per totam. in his locis Turrecremata, Hoſtienſis in ſumma. Habes etiam multos auctores collectos in tomo 10. tractatuum. Ioan. Andreæ, Ioannem Brunelli, Ioannem Lupi, Stephanum Coſtam, & alios. Iuriſperiti inſtitut. lib. 1. tit. de nuptijs, & in ff. de ritibus nuptiarum, Sylua nuptialis, Vaſquius lib. 1. quæſt. illuſtr. Couar. in epitomis in quartum librum decretaliũ, locus omnino conſulendus. Vacouius lib. 1. tit. 3. 4. & 5. Scholaſtici in 4. ſent. diſt. 26. vſque ad 42. diſtinctionẽ, & ſpeciatim, Paludanus, Adrianus, Dominicus Sotus, Richardus, &c. D. Thomas lib. 3. contra gentiles, a cap. 123. & lib. 4. cap. 78. Franciſcus Victoria relectione de matrim. Petrus a Soto in ſuis inſtitut. ſacerdot. Pelbartus in Roſario par. 4. Antoninus in parte tertia, tit. 1. & ſequent. fuſe. Summiſtæ verbo matrimon. nuptiæ, ſponſalia, & alijs huc pertinentibus, Altiſiodor. lib. 4. ſummæ, Gulielmus Pariſien. tract. de matrimon. Hugo lib. de ſacramen. Thomas Vualdenſ. Summa Aſtenſ. lib. 8. late: Albertus Pius Carper. lib. 18. contra Eraſmum. Caietanus in ſuis opuſc. de cōtractu matrimonij de vſu matrimon. quæſtio de matrimonio, de diſpenſatione matrimonij cum Eccleſia occidẽtali, de redditione debiti inter coniuges altero eorum exiſtente in adulterio, de coniugio cum relicta fratris. Ex modernis multi qui ſcripſerunt de diuortio, Robertus Genalius, Thomas Campegius, Catherinus, Gaſpar Sangerus de matri-

matrimonij indiſſol. contra Lutherum, Ioannes Nicolai Arelatani de ſecundis nuptijs, Bartholomæi Spinæ de poteſtate Papæ in diſpẽſandis gradibus prohibitis. Alphonſus a Caſtro lib. de hæreſibus verbo, Matrimonium, nuptiæ, & coitus. De Bigamia, Ioannes Montaigne. De conſanguinit. & affinit. Gregorius Rhamnuſius, Hieronymus Mangiaria Papienſ. Stephanus Coſta Luſitanus. Ex ſacris Concilijs, Concilium Lateran. ſub Innocentio III. par. 4. Antiſiodorenſ. vbi de gradibus prohibitis, Bracharenſe tertium, Tribunienſe, vbi multa, Colonienſe in ſuis inſtit. Florentinus de vnione Armenorum, Trid. ſeſſ. 24. & nonnulla alia, Ex antiquis patribus, Clemens Alexandrinus in libris Stromatum, & maxime lib. 2. & 3. Leo Papa epiſt. 77. ad Nicetam epiſcopum Aquileien. & epiſt. 90. & 92. Syricius Papa epiſt. 1. & 2. cõtra Iouin. Fulgentius lib. de bono coniugali, Tertul. in exhortatoria ad caſtit. & ad vxorem, ſed caue quod videtur ſentire de bigamia, ſeu ſecundis nuptijs. Epiphanius contra hæreſes pertinentes ad hanc materiam, Theodoretus in epitomis diuinorum, vbi ſpeciatim de ſecundis nuptijs. Auguſt. de bono coniugali cõtra Iouinianum, lib. de adulterinis coniugijs, nonnihil lib. 14. de ciu. lib. de bono viduitatis, lib. 9. de Geneſi ad lit. c. 3. & lib. de ſancta virg. Gregorius Nazian. oratione hortatoria ad virgin. vbi de diuortio, Sixtus III. lib. de caſtitate, Hieronymus contra Iouin. epiſt. ad Hebidiam. Hugo de S. Victore

ctore



ctore lib. de nuptijs & concupiſcentia. Plato lib. 6. de legib. Stobeus ſer. 65. Cęlius Rodig. li. 28. Camp. orat. de laud. matr. Multa inuenies huc pertinentia apud Tiraquellum de legibus connubialibus, locus legendus. De nuptiarum ritu Barnabas Yſſoritius Gallus, de nuptijs legitimis, Ioannes Boſchæus, de ſecundis nuptijs, Nicolaus Faianus Viterbienſ.

### *De reſurrectione, iudicio, & inferno.* *Cap. XLI.*

PRo materia de reſurrectione legendus eſt Tertull. lib. de reſurrectione carnis, vbi elegantiſſime & ſubtiliſſime diſputat contra Marcionem. Athenagoras lib. de reſurrectione, Iuſtinus martyr in quæſtionib. ad orthodoxos, & in apologetico, 3. Ephrẽm ſer. 2. 3. 10. & 17. Theodoretus in epitomis diuinorum, titulo de reſurrectione, & lib. 9. de prouid. & lib. 11. de cur. grę can. affect. Gregor. Nyſſ. lib. 4. de creat. hominis cap. 23. & ſequent. & in diſputat. de anima & reſurrectione cum ſorore ſua Macrina, Chryſoſt. hom. de reſur. Damaſcenus lib. de Antichriſto & reſurrectione lib. 4. de fide, cap. 27. & 28. Multa de hac re habet Origenes in dialogo de recta in Deum fide, Euſebius Cæſarienſis lib. 11. de præparatione Euangelica, Epiphanius hæreſi 63. & in Ancorato. Irenæus lib. 5. contra hæreſes vbi multa ſcribit ad hanc materiã pertinẽtia, Amb. lib.

lib.acęphalo de hac re,& oratione de fide reſurrect.tom.3.Cyrillus lib.4. in Ioan.Hierony.epi. ad Euſtochium,& ad Laurentium . Aug.lib.20. & 22. de ciuit. & in Enchirid. vbi breuiter, ſed egregie de hac re diſputat, Gregorius Papa lib. 4.Moralium & cap.30.Sanctus Maximus hom. 3.& 4.Clemēs Romanus lib.1. conſtitutionum cap.8.Arnobius lib.2.& 5.contra Gentes,Aurelius prudentius lib.de reſurrectione carnis. Zeno Veronenſis epiſcopus lib. 3. ſuorum ſermonum, ſerm. de reſurrect. quo nihil poteſt videri elegantius, Gulielmus Pariſienſ. par.1. & 2. de vniuerſo,Dionyſius Carthuſ. in ſuis opuſc. Beatus Paulinus Nolanus epiſt.44. Franciſcus Georgius in ſuis canticis,to.7.cant.3.latiſſime, Carolus Bouillus de reſur.lib.2.Scholaſtici in 4. ſent. diſt.43.& ſequen.Andreas Mocenicus lib.1.ſuæ Theologiæ, Aug.Dathus lib.vltimo de immort. animę. Io.Fran.Sforzaninus de orig. Antichriſti.

De extremo iudicio,omnes fere, quos hactenus citaui,& ſpeciatim Iuſtinus in admonitorio, & lib.de monarchia, Euſebius Cæſarien.lib.11. de præparatio.Euangel. Sixtus III. epiſtola de malis doctoribus,Theodoretus lib. de curandis græcanicis affection. Auguſt.lib.20.& 21. de ciuit.vbi multa. Guliel. Pariſienſ. lib. de vniuerſo Antonin. par.1. titu.7. Marcus Marul. toto lib. 6.Scholaſt.in 4.loc.cit.diuus Thomas lib.4.contra gentiles cap.79.& ſequent.Dionyſ.Carthuſ. legendus in ſuis opuſc.Paulus Corteſ.lib.4. ſuæ Theologiæ. De inferno. Schol.4. ſent. diſt.50. Vincent.in Spec. Raynerius in pantheolog. Auguſt.Steuch.lib.10 de peren. Philoſ. Richardus de ſanct. Vict. lib. de poteſtate iudiciaria in extremo iudicio, Ioannes Faber de extremo die iudicij. Pelbartus in Roſario,par.4.



*De fine hominis, ſeu beatitudine, & vita æterna. Cap. XLII.*

De humana felicitate Clemens Alexandr. lib.2. Stromatum circa finem, Theodoretus lib.vltimo de curandis gręcanicis affectionibus, Euſebius Cæſarienſ. lib.11. de præparatione Euangelica cap.2. Baſilij homel. Damaſ. lib. 2. Aug.lib.8.9.11.12.18.19.22.& 23. de ciuit. Dei, & lib. de cognitione veræ vitæ, epiſt. Boethius lib.2.3.& 5.de conſolatione philoſophiæ, Cicero lib. de finibus, & in prima Tuſculana, Ariſtot.lib.1.& 10. Ethic.& ibi philoſophi morales, Diogenes Laertius de vitis Philoſophorum. Auguſtinus Steuchus lib.10. de perenni philoſ.Ioan. Franciſcus Picus lib.1.examinis doctrinæ gentium cap.17. Dionyſ. Carthuſian. in ſuis opuſc de felicit.animæ. Antoninus in ſumma par.3. titu.50. Ægidius Romanus libro de influentia Dei in beatos, Cœlius Rodigin. lib. 4.Flam. Nob.lib.tres. Scholaſtici diſt.45.& 49. quarti ſent. Diuus Thom.2.2.in principio. & libro 3. contra Gentiles vbi per multa capita de finis

nis natura, de vltimo fine omnium rerum, & de felicitate humana. De ſummo bono Conſtantius Rogerius Gallus. Plotinus enneade prima. Chryſoſtom. Iauel. de chriſtiana philoſ. part. 8. Ludouicus Viues lib. 1. de fide chriſtiana. Mar. Maſul. lib. 6. c. 12. & 15. Baptiſta Mantuan. lib. de beata uita Marſil. Ficin. De falſo & vero bono Platinæ dialogi tres, Pelbartus in roſario par. 4.

### *Citantur nonnulli alij ſcriptores pro varijs materijs legendi. Cap. XLIII.*

CONTRA Hebræos, ex profeſſo integris operibus hi auctores ſcripſere, Iſidorus libro ad ſororem. Prudentius in libro contra Iudęos, Galatinus, Finus Ferrarien. in ſuo Flagello, Victoria Porchetti, Iulianus Pomerius lib. tres, Petrus Alphonſus, Paulus Venetus, Tertullianus lib. cōtra Iudęos, Cyprianus in lib. ad Quirinum Damaſcen. lib. 4. de fide cap. 24. Euſebius Cæſarien. lib. 1. & 2. de præpar. Euāgelica, Aug. epiſt. 200. creatione cōtra Iudęos to. 6. Chryſ. homelię 5. to. 1. Ludouicus Carretus epiſt. ad Iudæos. Paulus Burgenſis in ſuo ſcrutinio. Raphael Aquilanus italice. Hamulus epiſcopus Lugdunen. Iacobus Perez de Valentia in tractatu, contra Iudæos, quæſtiones quinque. Lyranus lib. 1. Io. Baconus, Ludou. Viues lib. 5. de verit. fid. Chriſt.

Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores. Abdias Babylonis epiſcopus, Sulpitius Seuerus cū annotationib. Petri Galeſini, & Sigonij. Dorotheus epiſcopus, Haymonis Alberſtaten. epitomæ hiſt. eccleſ. Victor vticēſ. Theodoretus, Sozomenus, Socrates, quibus collecta eſt vna hiſtoria, quæ tripartita & eccleſiaſtica hiſtoria dicitur, Euſebius Cęſarienſis, lib. 8. quibus acceſſerunt duo per Rufinū Nicephorus, qui fuſiſſime omnium, Beda. Paulus Diaconus, Paulus Oroſius, nuper Cæſar Baronus eccl. annales, Hegeſippus lib. 5. hiſt. eccle. Euarigius monachus ſcripſit ſex lib. Antonin. Chronic. libri tres, Petrus Comeſtor, &c.



Summiſtę, & ſcriptores caſuū conſciētię, ſumma Antonina, Sylueſtrina, Aſtenſis, Tabiena, Armilla, Piſanella, ſiue magiſtrutia, a Bartholomęo piſano edita, Caietana, Corona, Pacifica, ſumma confeſſorum, Angelica Baptiſtina, ſeu Roſella, Martini Nauarrę, Raymundi, ſumma ſacramentorum Victoriæ, ſumma peccatorum Sebaſtiani Medices, Scrutinium ſacerdotale, Candelabrum aureum eccleſię, Inſtitutio confeſſionum Bartholomæi Medinæ italice ex idiomate hiſpano, Reſponſiones caſuum conſcientiæ per Ludouicum de Boia Luſitanum, cui eſt annexa inſtitutio pro confeſſoribus in materia de contractibus, italice, Directorium Polanci pro confeſſoribus, Manipulus Curatorum, &c.

Scriptores locorum cōmunium, Diuus Bonauentura tomo 1. opuſculo 12. qui libros quattuor locorum communium ex ſanctis patribus collegit, Ludouic. Granat. loci communes, Ioan. Da-

Dadræus, Andreas Ebracenſ. Antonij monachi cognomento Meliſſæ, loci communes, &c.

Scriptores in fauorem & laudem religionis Chriſtianæ, Orig. contra Celſum, Iuſtin. martyr in duabus apologijs, Tertul. in apologetico, Cyrillus contra Iulianum, Theophilus contra Autolycum, Euſeb. Cæſar. de præparat. & demonſt. Euang. Arnobius contra gentes, Theodoretus in libris de curan. græcan. affect. Tacian. Aſſyrius, Lactan. Firm. Aug. in lib. de ciuit. Io. Fran. Picus, Marſ. Fic. lib. de relig. Sauona. in triũpho crucis, Adrian. Cardi. in libris de vera philoſ. Rupertus Tuitien. de victoria verbi Dei, Medina de recta in Deum fide, Lud. Viues in libris de verit. fidei Chriſt. Aug. Dathus de laudib. relig. Chriſt.

De formandis concionibus, Aug. in libris de doctr. chriſt. Laurent. a Villauincentio in 3. libris de hac re. Alard. Æmeſterredaini introductio eccleſiaſtes, Lud. Granat. & Auguſt. Valerij Rhetorica, Theſaurus concion. Franciſ. Panicar. Amb. Quiſtellius, Lucas Ballionus italice. Extat, ut audio tabella Fratris Angeli Rocchæ ubi citantur ſcriptores huc pertinentes.

De ſtudij rerum diuinarum laudibus, & hortatione, Hieronym. ad Pammach. Hugo de S. Vict. lib. 2. de ſacram. Bonau. opuſc. principiorum Theol. & opuſ. de reduct. artium ad Theol. Conradus Vimpin. Io. Gerſon de cõſolat. theol. Petrus de Aliaco lib. de laud. ſcrip. Adri. Cardi. lib. 4. cap. 18. & 23. Petri Cocburni oratio, Timothęi Circhui oratio de propag. ſcripturę, Hieronym. Zanchij oratio de danda opera literis ſacris, Roberti Foliettæ hortatio ad ſtudiũ Theol. Ioan. Iorce præconium ſcripturæ, Matth. Smalcaldeſij oratio de ſtudio Theolog. non deſerendo, F. Barthol. ſpina de præſt. ſacræ Theol. Omnes fere Scholaſt. in prolo Mag. in 1. ſent. Nos in libro Fons vitæ & ſapientiæ late.



Atque hoc loco in huius libri cõfectione, multis de cauſis mihi conſiſtendum eſt, in quo conficiendo, non potui eã diligentiam adhibere, quæ neceſſaria fuiſſet. Animum iuuandi, chriſtiane lector ſpecta, & ſi quid in locorum citatione erratum eſt, ignoſce, cum per temporis anguſtias non potuerim, ſingula loca conferre, & ſingulos auctores conſulere. quod igitur do accipe, perfectius quiddam alias accepturus.

Quo loco te monitum velim, me in citãdis auctoribus duos indices, veterem, & nouum adhibuiſſe, ne quem minus probatum citarem, quod ſi quis fortaſſe ſubrepſit, cum nonnullos adſcripſerim, ab alijs citatos, non adſcriptum putes: & ſi in quem fortaſſe incideres, expunge, dele, vre: cum ex omnium hominũ memoria tollendi ſint, qui ſuis ſcriptis veritatem catholicam, quam ſemper profeſſus ſum, & profiteor, & ad ſanguinem vſque, cum Eccl. Rom. ſemper profitebor, delere conati ſunt. Nec facile fuit in tanta auctorum copia, nominum varietate, ſimilitudine, & ſcribendi ratione diuerſa, non labi: & ne laberer,

berer, ſemel & iterum hũc indicem Inquiſitoris cenſuræ ſubieci, eique hanc meã declarationem oſtendi, quam ad omnem culpam vitãdam ſatis eſſe, voce ipſa declarauit. Et vt planius, quã omnem culpam vitare velim intelligas, aliquid ſpeciatim dicam. Cum cito Io. de Indag. cito illum Carth. cũ cito quoſdam, quorum aliquod opus eſt prohibitum, alia vero non ita, vt Sauonarolę, Æneæ Syluij, &c. quæ conceduntur cito. ex omnibus autem, propter varietatem ſcribendi, duo Io. poſt impreſſionẽ, dubij ſunt, unus. p. 726. ver. 19. alter p. 788. ver. 3. citatur. Audio etiã fore, vt ſtatim alius index prodeat, vbi fortaſſe aliqui ex citatis erunt, a quibus tunc tibi cauẽdum erit. Reſtat igitur, chriſtianę lector, vt quod iuuãdi cauſſa, non ſine ſummo labore præſtitimus, boni æquique conſulas, & noſtris laboribus, quales quales ſint, vtaris, donec in Dei gloriam, tuamque vtilitatem ſcholaſticas diſputationes in vniuerſam Theologiam in lucem, Deo fauente, dabimus, cui ſit honor & gloria in ſæcula.

*Libri Sexti Finis.*

Laus Deo, Opt. Max. & Beatæ Virgini Annuntiatæ.